This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





Vente Dumas n° 3535

J. Jh. Parker 10.

Arch Bibl

EXCERPTVM POLONICAE LITTERATURAE HVIVS ATQVE SVPERIORIS AETATIS.

AVCTORE

IO. DAN. ANDR. IANOZKI

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG. SCARBIMIR. BIBLIOTHECAE ZALVSCIANAE PRAEFECTO.

Vol. I.



VRATISLAVIAE

APVD GVIL. THEOPH. KORNIVM ET GAMPERTVM

A. R. S. MDCCLXIV.

258. b. 82

BIBLIOTHECA·BODLEIANA

ZALVSCIANAE
PVBLICAE VARSAVIENSI
BIBLIOTHECAE
POLONICARVM ATQVE LITVANICARVM
BIBLIOTHECARVM
REGINAE.

PRIMVS IPSIVS PRAEFECTVS

IOANNES DANIEL ANDREAS

IANOZKI

CAN. CATHEDR. KIOVIEN.

ET COLLEG. SCARBIMIRIEN.

PERENNEM FELICITATEM.

TIBI, ZALVSCIANA BIBLIOTHECA, lucidum Septentrionis decus, totiusque Poloni Orbis pulcerrimum ornamentum! hocce meum opuſculum, ex animo conſecro atque dedico. Dicendis autem laudibus TVIS non immoror. Summi viri, iidemque eloquentiae principes, ſplendidiſſimis verbis ad caelum TE extulerunt. TEque laudaſſe, ſempiternae ducunt ſibi gloriae. Pia ego mea vota adiungo. MISERICORS DEVS, Po-

lonicisque Litteris PROPITIVS, fulgentiſſimum conditorem TVVM, ZALVSCIVM MVSAGETAM, doctiſſimum & ſanctiſſimum Kioviae Praeſulem, Regnique Poloniae integerrimum Senatorem, diutiſſime incolumem ſervet: EIVSque cura atque liberalitate, TE magis atque magis amplificari atque exornari permittat; neque prius, niſi corruente univerſo Terrarum Orbe, TE interire ſinat. Vale, POLONIAE OCELLE, meque, TVI amantiſſimum, conſtanter redama. Varſaviae, *Kal. Nov. A. R. S. MDCCLXIII, aetatis meae XLIII, praefecturae XIX.*

I. Kioviae

I.

Kioviae inſula Zaluscio, maximo illi & celeberrimo Poloniae Referendario, obtigit. Pius ac magnanimus Rex ultro ei obtulit. Inſignes eas, quas iam in Polono Regno poſſedit, Praelaturas ſimul retinere eum iuſſit. Pontifex Maximus perbenigne annuit. Ac Zaluscium, Praelati ſui domeſtici, ſibique ad ſolium pontificium aſſiſtentis, dignitate adornavit. In celebrando hoc Praeſule eminentiſſima ingenia inter ſe contendunt. Katenbringius caeteris palmam praeripere videtur mihi. Ita quidem ille:

Ad Inſulam, meritiſſimo capiti Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi *Domini*, D. Joſephi *Comitis in* Zaluskie *ZALUSKI*, *Kiovienſium Antiſtitis*, *Regis* AUGUSTI III. *magnorum virorum promerita ex aequo remunerantis*, *beneficio recèns impoſitam:*

Inſula! virtutis merces, regalis amoris
Pignus, & emeritae nobile frontis onus!
O quoties noſtris votis, quod tarda venires,
Arguimus menſes, arguimusque dies!
Diximus: ô tandem, quid gaudia noſtra moraris?
Tam carum muſis, Inſula, cinge caput!
Tam carum patriae, fidei ſuccurrere rebus
Quod poterit lapſis, Inſula, cinge caput!
Plurima de lauro decorant iam ſerta IOSEPHUM,
Quid porro ſupereſt? Inſula, cinge caput!
Votorum ſatis eſt. Ades Inſula! miſſa benigna
Regis ab AUGUSTI, *Pontificisque manu.*
Iam gaudes meritam ZALUSCI *cingere frontem,*
Et ſacras vittis condecorare comas.
Te rogo! perpetuum conſerva frontis honorem,
Conſerva tantum non moritura decus!
Nam tua res agitur, ſi conſervare peroptas,
Quicquid ſplendoris, quicquid honoris habes.
Sint, tibi qui debent decus omne, Tiara! IOSEPHO
Omne tuum debes, ſacra Tiara! decus.

Referendariatus honor delatus eſt Podoscio, Praepoſito Cathedrali Cracovienſi, Metropolitanoque Canonico Gneſnenſi, viro patriarum rerum periſſimo, omnique elegantiore doctrina exculto, & ad iuvandas manſuetiores muſas mire propenſo. Lipscius, perpetuus Lubinenſis Abbatiae Adminiſtrator, Eccleſiaeque Metropolitanae Gneſnenſis Canonicus, ſingulari virtutis laude commendatus, Magni, in Regni Theſauro, Notarii locum obtinuit.

Lectiſ-

Lectiſſimus atque ornatiſſimus ille KRASICIUS Premiſlienſis Eccleſiae Cathedralis Praepoſitus, a novo Kioviae Praeſule, Vanchocenſis Abbatiae Coadjutor eſt aſſumptus.

II.

SIERAKOWSCIUS, Premiſliae Antiſtes, ſanctiores diſciplinas, in ea urbe, mirum quantum promovet. Namque ibi Collegium Societatis Jeſu profeſſione Theologiae publica adauxit. Eique, conſentiente Cathedrali Capitulo, copioſam & perpulcram illam ſupellectilem librariam, à VALENTINO HERBURT, incomparabili Praeſule, Baſilicae relictam, noſtra vero aetate pernimium neglectam, donavit. Continet ea complura maximae molis opera, ſub ipſum artis typographicae exortum, procuſa. Cura ejus digerendae ac diſponendae data eſt, P. DOMINICO ROSTKOWSCIO, viro docto atque induſtrio. SIERAKOWSCIUS reditum annuum conſtituit, ad comparandos libros Theologicos recentiores. Prodiit nunc è typographeo, ab illo ipſo Antiſtite, magnis impenſis exſtructo, Reuerendi Patris PAULI GABRIELIS ANTOINE, Societatis Jeſu Presbyteri, SS. Theologiæ Doctoris Et Ex-Profeſſoris, Theologia Speculativa Et Dogmatica. Ad uſum Candidatorum Theologiae, in compendium redacta, à P. JOANNE KOWALSKI, ejusdem Societatis, in Collegio Premiſlienſi,

miſſienſi, Theologiae Profeſſore, et per Dioeceſim univerſam Examinatore. Opus iſtud, in tomos duos Formae octavae majoris, eſt diviſum. Prior exhibet, Tractatus De Fide Divina; De SSma Trinitate; Et De Angelis, Adjiciuntur Canones Conciliorum, Propoſitiones proſcriptae, Catalogus Conciliorum, Pontificum &c. Poſterior, Tractatus De Incarnatione; De Actibus Humanis; De Gratia; De Sacramentis in Genere, & in Specie, complectitur. Huic ſubnectuntur Canones Conc. Trident. & Propoſitiones damnatae. Uterque eſt dedicatus, ANDREAE PRUSCIO, Proepiſcopo Premiſlienſi, in quo incredibilis quaedam virtus, cum ſummo tuendae ac propagandae veteris, tam religionis, quam litteraturae ardore, certat.

III.

WISNIEWSCIUS noſter, magnus humaniorum litterarum vindex, ac ſummus philoſophiæ inſtaurator, Colloquia Philoſophica, ſermone Polonico conſcripta, emiſit. Ingenti undique plauſu ſunt excepta. Etiam mulieres illuſtres, geminae praeſertim heroinae MNISZECHIAE, frequenter legunt, ac vix è manibus dimittunt. Ab ANTONOWICIO, Præpoſito nunc Oſiecenſi, M. Val. Martialis Spectaculorum Librum accepimus, factum Polonicum. NAGURCZEWSCIUS, Polonæ venuſtatis, hac noſtra ætate, facilè princeps, Demoſthenis Orationes Polonicè vertit. Sumptu

Prin-

Principis Czartoryscii, maximi Lituaniae Cancellarii, per quem, in vaſtiſſimo eo Ducatu, eſfloreſcunt litterae, publicam in lucem exibunt. Bartoszewicius, in Vilnenſi Academia, eloquentiam docet. Edidit, his ipſis diebus, Orationes Quatuor non inelegantes; ex quibus duae, de Cauſis exigui progreſſus in litteris, antequam ſtudia repeterentur; duae verò, de Beata Catharina Virgine, ejus feſto die, ad Senatum caeterosque Academicos, publice ab eodem habitae. Thomae Josepho Korsak, Canonico Cathedrali Vilnenſi, ſtudiorum amoeniorum cupidiſſimo, ſunt dedicatae. Praematura ac peracerba morte, huic Academiae ereptus eſt Zebrowscius, eximius & philoſophus, & mathematicus. Coeptam ab eo Speculam Aſtronomicam, felici progreſſu continuat perdignus eius diſcipulus, Jacobus Nakcyanowicius. Suppeditat regales planè ſumptus Elisabetha de Oginsciis Puzynina, Caſtellana vidua Mſciſlavienſis, femina opum copia non magis, quam animi excelſitate, ingenuarumque omnium artium cognitione, memorabilis. Cujus quoque liberalitate, brevi lucem viſurae ſunt, Prælectiones Mathematicae, Ex Wolfianis Elementis Adornatae, atque ſic uſui Auditorum Matheſeos accommodatae; ut, quae ibi praetermiſſa, vel in alium locum reiecta, deſiderari poterant à Tyronibus, adiicerentur; quae verò vel obſcuritatis, vel prolixitatis accuſari ſolebant, dilucidiùs & breviùs exponerentur

à P.

à P. Jacobo Nakcyanowicz S. I. AA. LL. & Philoſophiae Doctore, in Academia Vilnenſi Publico ac Ordinario Matheſeos Profeſſore. Zenowicius, è Presbyterorum Miſſionis, hominum ſanè graviſſimorum & ſanctiſſimorum, diſciplina vix egreſſus, à Tyszkiewicio, Samogitiae Epiſcopo, maximis & litterarum, & fidei ornamentis conſpicuo, Eccleſiae ſuae Cathedralis Canonicus eſt creatus. Flagrat optimus adoleſcens immani illuſtrandae propugnandaeque religionis orthodoxae deſiderio. Mirè incenſus Iurgiewicii ſcriptis, quae aſſiduò legit relegitque, & in ſuccum & ſanguinem pene convertit. Fuit quoque Jurgiewicius ille genere Lituanus. Singulari, apud Georgium Cardinalem Radivilium, perpetuum Vilnenſis Epiſcopatus Adminiſtratorem, gratia valuit atque auctoritate. A quo, probatae diu induſtriae ſuae, virtutisque præmium, conſecutus eſt Canonicatum Cathedralem Vilnenſem admodum opulentum. Crebro ipſius hortatu impulſuque, complura variaeque eruditionis compoſuit volumina, quibus Heterodoxorum pravas opiniones confutavit. Cuncta ea, corvis albis, ſunt rariora. Integra, in Bibliotheca Zalusciana publica, reperiuntur. Primas, in iis, tenent Quæſtiones, De Hæreſibus Sui Temporis, Andreae Volano, Ipſiusque Fratribus, Lituaniae Miniſtris, Propoſitae. Quas Zenowicius, Polonico adornatas cultu, in lucem revocabit. IV.

IV.

Hicce Andreas Bathoreus, nepos fuit Stephani, Regis non ſaeculo ſuo, ſed omni aevo optimi. Eius cura liberaliſſime educatus eſt, & apud presbyteros Societatis Ieſu Pultovienſis omni doctrina inſtitutus. Pene puer in numerum Canonicorum Varmienſium allectus. Eodem fere tempore Canonicorum Regularium S. Sepulcri Miechovienſium Praepoſitus Generalis renunciatus eſt. Hisce ornatus honoribus, Gregorio XIII. Pontifici Maximo, Regis ac Regni Ordinum nomine, debitum obedientiae ac fidei officium perſolvit. Ab eo peramanter acceptus eſt, & galero purpureo, Cardinalitiae dignitatis inſigni, donatus. Non multo poſt Martino Cromero, Varmienſi Epiſcopo, adiutor datus. Gregorio mortuo, ad Sixtum V. qui illi in Pontificatu Maximo ſucceſſerat, de more venerandum, eſt miſſus. Interim Rex, patruus eius, morte extinctus praepropera. Biennio poſt, Cromero vita defuncto, ad Varmienſis Eccleſiae gubernacula acceſſit. A Sigismundo III. qui tunc Populi Poloni imperio potitus erat, Cracovienſem Epiſcopatum, totius huius Regni ampliſſimum & locupletiſſimum, omni ſtudio contendit. Verum impetrare nequiit. Repulſam aegerrime ferens ab aula ſe ſubtraxit. Interiecto

deinde

deinde ſeptennio, à SIGISMUNDO BATHOREO, Tranſylvanorum Regulo, patrueli ſuo excitus, ad recuperandam Provinciam haereditariam, RUDOLPHO II. Romanorum Imperatori, ex pacto traditam, animum adiecit. Depoſita igitur purpura, ac ſimulato mercatoris habitu, facillime in Tranſylvaniam pervenit. Ibi favore omnium ordinum receptus, & repentino maximoque conſenſu Tranſylvaniae Princeps eſt conſalutatus. Sed brevi MICHAELE, Palatino Valachiae, multâ manu, iuſſu Romani Imperatoris, Tranſylvaniam ingreſſo, arte eius, cui res ſuas penitus mandaverat, proditus atque occiſus eſt, ipſo die, Divo THEODORO MARTYRI, ſacro, A. R. S. MDXCIX. tertio & trigeſimo ætatis anno, undecimo Principatus Varmienſis; Imperii Tranſylvanici menſe octavo. Eius interitum omnes boni deflevêre. Erat enim tam corporis dignitate & decore formae, quam ingenii ſpiritu et magnitudine animi plane admirabilis. Inito Varmienſi Principatu, ſacro Diaconorum ordini ſe dicavit. Presbyter non eſt effectus. Ceterum Varmienſem Provinciam ſecunda fama magnaque virtutis opinione adminiſtravit. Miechovienſe coenobium priſco Eccleſiae more inviſit. Leges ſaluberrimas decrevit, quae ad proprium huius coenobii uſum, & ad morum ac diſci-

diſciplinae publicae cultum pertinent. Has titulo ſequenti inſcriptas, communem in lucem edi iuſſit: Conſtitutiones, in Generalibus Capitulis, Ordinis Canonicorum Regularium, Cuſtodum Sancti Sepulchri D. Hieroſolymitani, Miechoviae per Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum D. D. ANDREAM S. R. E. Cardinalem BATHOREUM, Epiſcopatus Varmienſis perpetuum Adminiſtratorem, Praepoſitum Generalem Miechovienſem, annis ab homine redempto. 1585 et 1587. et 1598. celebratis, ſancitae. BRUNSBERGAE excudebat GEORGIUS SCHÖNFELS. clↄ.Iↄ.xciix. 4. In omne genus hominum benevolentisſimus fuit. Viros, doctrinae laude conſpicuos, debitis praemiis ac iuſtis honoribus proſecutus eſt. Praecellentes ingenio iuvenes Romam, elegantiarum omnium ſedem, inſigni liberalitate miſit. E quibus JOANNES MLODUEUIUS, Poſnanienſis Canonicus, omnem ſtudiorum ſuorum progreſſum fructumque, publico teſtimonio, acceptum ei retulit. Praecipuum in eius amicitia & familiaritate locum tenuit THOMAS TRETERUS, Canonicus Cathedralis Varmienſis. In enarrandis Purpurati noſtri rebus memorabilibus ſummo ſtudio verſatus eſt SAMUEL NAKIELSKI, in ſua Miechovia, ſive Promptuario Antiquitatum Monaſterii Miechovienſis, p. 715—791. Nec indiligenter de eo commemoravit MATTHIAS à LUBOMIERZ TRETERUS, in Vitis Epiſcoporum Varmienſium, p. 122—129. Funeſtum eius fatum abunde tra-

dide-

diderunt PAULUS PIASECIUS, in Chronicis Geſtorum in Europa ſingularium, p. 174. ſq. & NICOLAUS ISTHUANFFIUS, in Regni Hungarici Hiſtoria, p. 476, 477, 478. & FRANCISCUS, CHRISTOPHORUS KHEVENHILLER, in Annalibus Ferdinandeis, Tom. V. p. 2099—2105. Omnium maxime huc pertinet libellus, qui inſcribitur: La BATTOREA Di Monſignor GIORGIO TOMASI Protonotario Apoſtolico, Diſtinta in Due Libri. All Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Monſig. LEONARDO MOCENIGO Veſcouo di Ceneda. Nella quale ſi contengono l'origine antichiſſima della Caſa BATTORI & del Sereniſſimo SIGISMONDO Prencipe di Tranſiluania. L'Hiſtoria delle attioni heroiche de Signori BATTORI, & delle guerre fatte dall' Altezza di SIGISMONDO valoroſamente contra Turchi. Gli accidenti, che l'aſtrinſero à rinunciare lo Stato più d'una volta all' Imperadore, & anco al Cardinal BATTORI. Le cagioni del Divortio ſequito tr'a l medeſimo Prencipe, & la Sereniſſima MARIA CHRISTIERNA d'Auſtria ſua moglie. La morte miſerabile del ſudetto Cardinale, à cui fù empiamente da un ſuo beneficato troncata la teſta, & altri ſucceſſi, battaglie, & coſe degne di memoria. Con Privilegio & Licenza D'e Superiori. In Conegliano per MARCO CLASERI. 1609. 4.

V.

THOMAS ille TRETERUS, Poſnaniae, primaria Poloniae Majoris urbe, ingenuis magis atque honeſtis, quam claris parentibus, genitus fuit. Ab iis Brunsbergam miſſus, in Collegio Societatis Ieſu, à STA-

NISLAO

NISLAO Cardinali HOSIO recens condito, & graecis litteris, et latinis, impenſe eſt eruditus. Cum autem in eo iuvene, praeter excellens ingenium, incredibilis quidam pudor, ac ſingularis modeſtia emineret, ab ipſo Cardinali mire dilectus eſt, inque familiarium numerum receptus. Ei, à SIGISMUNDO AUGUSTO, Polonorum Rege, ad S. Sedem Apoſtolicam Oratori miſſo, haud inutilis laborum comes adhaeſit. Atque ab eo Eccleſiae ſuae titularis S. MARIAE trans Tiberim Canonicus eſt factus. Quo demortuo, ab ANDREA Cardinali BATHOREO, tunc Romae commorante, in contubernium vocatus eſt, ac loco fratris germani habitus. Hoc conciliatore, Varmienſis Canonici et Cuſtodis honor ei delatus. Et graviora negotia, ab ANNA IAGELLONIA Regina, in Urbe ei data. In patriam cum Cardinali BATHOREO reverſus, duobus praeſtantiſſimis Regibus, STEPHANO I, & SIGISMUNDO III. in ſcribendis epiſtolis, negotiisque tractandis, diligentiam fidemque ſuam probavit. Apud quos tantum conſecutus eſt auctoritatem & gratiam, ut ab iis nihil non obtinere potuiſſet. Verum otii quietisque cupidus, Cardinalem BATHOREUM, iam Varmiae Adminiſtratorem conſtitutum, in eam Provinciam eſt ſecutus; ubi totum ſe litteris abdidit, ac demum aetate confectus, anno,

B poſt

poſt Chriſtum natum, duodecimo, & ſexcenteſimo, è vivis exceſſit. Magnis eum laudibus extollit SIMON STAROVOLSCIUS, in Elogiis et Vitis Illuſtrium Poloniae Scriptorum, Edit. Venet. p. 123—126. Minus honorifice, de eo, exiſtimat, iniquiſſimus ille Polonorum cenſor, DAVID BRAUN, in Catalogo et Judicio, de Scriptorum Poloniae et Pruſſiae, in Bibliotheca ſua Collectorum, Virtutibus et Vitiis, p. 114, 115, 116, et 256—261. Legas, quaeſo, quae nos, de TRETERO, memoravimus, in der Nachricht, von denen, in der Zaluskiſchen Bibliothek, ſich befindenden raren polniſchen Büchern, Part. I. p. 95, 96, 97. Permulta ſcripſit, cum proſa oratione, tum etiam carmine. Præcipua, iudicio noſtro, haec ſunt:

I.) In Quinti Horatii Flacci Venuſini, Poetae Lyrici, Poemata Omnia, Rerum Ac Verborum Locupletiſſimus Index, *magna diligentia, multa opera, et labore collectus, et ad communem ſtudioſorum utilitatem, primùm editus Antverpiae, ex officina Chriſtophori* Plantini, *Architypographi Regii.* CIↃ. IↃ. LXXV. 8. *ac deinde Francofurti, apud heredes Andrae* Wecheli, *Claud.* Marnium *et Jo.* Aubrium. M. DC. *eadem forma publicatus.*

II.) Oratio, habita in exequiis D. STANISLAI HOSII Cardinalis, in Baſilica S. Mariae trans Tiberim, Die XIIII. Aug. M. D. LXXIX. *Adiecta eſt eiusdem Cardinalis Vitae, à* Stanislao Reſcio, *Protonotario et Referendario Apoſtolico, editae, Romae, M. D. LXXXVII. 8.*

III.)

III.) Pontificum Romanorum Effigies, Compendioſa Deſcriptione Illuſtratae, Et Sereniſſimo Principi, Et Domino, ANDREAE S. R. E. Card. De AUSTRIA, Dedicatae. Romae, ex Typographia DOMINICI BASAE. MDLXXX. 8. mai. Recuſae ibidem cIↄ. Iↄ. XCI.

IV.) Romanorum Imperatorum Effigies, Elogiis, ex diverſis Scriptoribus collectis, Illuſtratae. Et Sereniſſimo Principi, Et Domino, D. STEPHANO, Dei Gratia, Polonorum Regi Invictiſſimo, Dedicatae. Romae, apud VINCENTIUM ACCOLTUM. MDLXXXIII. 8. mai. *iterumque, apud* FRANCISCUM COATTINUM. *M. D. LXXXX.*

V.) Theatrum Virtutum D. STANISLAI HOSII S. R. E. Card. Maioris Poenit. Et Epiſcopi Varmienſis. Pietatis Et Eruditionis Amatoribus, Repræſentatum. Romæ. MDLXXXVIII. III. Non. Maii. 4. mai. *Eius recenſionem habes, in der* Nachricht *von raren polniſchen Büchern,* Part. III. *p. 54, 55, 56.*

VI.) Hieroſolymitana Peregrinatio Illuſtriſſimi Domini NICOLAI CHRISTOPHORI RADZIVILI, Ducis in Olika & Nyeswiesz, Comitis in Szydlowiec et Myr, &c. IV. Epiſtolis comprehenſa. Ex idiomate Polonico, in Latinam linguam tranſlata, et nunc primùm edita. THOMA TRETERO, Cuſtode Varmienſi, Interprete. Cum Priuilegio S. R. M. Brunsbergae, apud GEORGIUM SCHOENFELS. cIc. Iↄ. CI. fol. *Correctius in lucem emiſſa Antverpiae. Ex Officina* Plantiniana. *Apud Viduam & Filios* IOANNIS MORETI. *M. DC. XIV.*

VII.) Vitae Epiſcoporum Poſnanienſium. Per IOANNEM LONGINI, ſive DLUGOSSIUM, Canonicum Cracovienſem conſcriptae. Nunc primùm, auſpiciis Illuſtriſſimi et Reverendiſſimi Domini, D. IOANNIS TARNAWSKI, Archiepiſcopi Gneſnenſis, & Regni Poloniae Primatis, etc. Opera THOMAE TRETERI, Cuſtodis et Canonici Varmienſis, S. R. M. Secretarii, cum earundem Supplemento, in lucem editae. Anno Domini. M.DC.IV. Brunsbergae. Typis GEORGII SCHOENFELS. Cum Priuilegio S. R. M. 4. *Copioſe hoc opuſculum deſcripſimus, in der* Nachricht *von raren polniſchen Büchern*, Part. I. *p. 94–101.*

VIII.) Sacratiſſimi Corporis Chriſti Hiſtoria, et Miracula, quae in Eccleſia Poſnanienſi Ordinis S. MARIAE Carmelitarum divina bonitas operatur. Ex antiquis M. S. libris, et maiorum traditione, fideliter collecta. Anno Domini. M. DC. IX. Brunsbergae. Apud GEORGIUM SCHOENFELS. 4.

IX.) Symbolica Vitae Chriſti Meditatio. Brunsberge. Typis GEORGII SCHOENFELS. Cum Gratia Et Priuilegio S. R. M. Anno Domini. M.DC.XII. 4. *Praemiſſum eſt auctoris elogium à* BLASIO TRETERO, *Vicario Varmienſi*, Thomae *noſtri nepote, haud ineleganter ſcriptum.*

X.) THOMAE TRETERI, Cuſtodis Canonici Varmienſis, De Epiſcopatu et Epiſcopis Eccleſiae Varmienſis, Opus Poſthumum. Nunc primum cura & impenſis MATTHIAE à Lubomierz TRETERI S. R. M. S. Uſui Publico Datum. Cracoviae. Typis FRANCISCI CEZARY S. R. M. Nec non Illuſtr. ac Reu.

Epiſcopi

Epiſcopi Crac: Ducis Seueriae, Typ. A. D. 1685. fol. *De hoc opere ſatis eſt dictum, in der* Nachricht *von raren polniſchen Büchern*, Part. III. *p. 48 -- 53.*

XI.) Theatrum Virtutum D. STANISLAI HOSII, S.R.E. Cardinalis, Maioris Poenitentiarii, et Epiſcopi Varmienſis, Centum Odis diverſorum generum, per THOMAM TRETERUM, Can. Cuſtodem Varmienſem, Illuſtratum. Nunc primùm cura, et impenſis MATTHIAE à Lubomierz TRETERI, S.R.M. Secretarii, Grati Nepotis, Luci publicae Exhibitum. Superiorum Permiſſu. An. MDCLXXXV. Cracoviae. Typis FRANCISCI CEZARY, S.R.M. Typ. 4. *De hoc libro nonnihil diximus, in der* Nachricht *von raren polniſchen Büchern*, Part. III. *p. 56, ſq.*

VI.

Is BORASTUS, Suecus natione, pueritiae tempore novis Luteranorum dogmatis imbutus eſt. Iuvenis autem, ſingulari Dei benignitate, in Poloniam delatus, atque ad veteris, id eſt Catholicae religionis cultum perductus. Pontificiis deinceps alumnis adſcriptus, Vilnenſi in Academia, elegantiſſimarum artium ſtudia eo cum ſucceſſu proſecutus eſt, ut dignus à SIGISMUNDO III. Polonorum et Suecorum Rege, iudicatus ſit, cuius in ſcribendis latinis epiſtolis opera et ingenio uteretur. Sacris initiatus, ſtatim Caliſſienſis, et Varſavienſis Canonicus eſt fa-

ctus. Interiectoque brevi ſpatio regiae bibliothecae praepoſitus. Extrema fere aetate in Cracovienſium atque etiam Varmienſium Canonicorum collegia adſcitus. Mira eum eloquentia, egregiaque ſcribendi facultate praeditum fuiſſe, ipſius opuſcula ſatis teſtantur. Haec in manus noſtras venêre:

I.) *Panegyricus*, SIGISMUNDO III. *Poloniae Et Sueciae etc. Regi Invictiſſimo, Dicatus. Vilnae. In Typographia* Petri Blaſti. *Anno* 1611. 4.

II.) Calumniae Orationis Maledicae: *quam adverſus* SIGISMUNDUM III. *Poloniae, et Sueciae verum, ac legitimum Regem, pro* CAROLI *Sudermanniae Ducis perduellione, Legatus eius,* IOANNES SKYTTE, *ad magnae Britanniae Regem habuit Anno M. DC. X.; in lucem primùm edit M. DC. XVIII.* Detectae, Discuſſaeque. *ſub nomine* Georgii Triſaroli Urbinatis. Friburgi Brisgoiae. Anno M. DC. XX. 4.

III.) Cenſura *ad Panegyricum, in laudem Sereniſſimi Principis* GUSTAVI ADOLFI etc. *Ab* Elia de NUKYOIS, *hoc eſt,* Daniele Kruſio, Auguſtae Trinobantum *evulgatum. Nullo inſcripta nomine. M. DC. XXVIII.* 4.

IV.) *Gratulatio Cardinalitii honoris, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino,* D. ANTONIO SANCTACRUCIO, *Archiepiſcopo Seleuciae, et, ad Sereniſſimum ac Potentiſſimum Poloniae et Sueciae Regem, Nuncio Apoſtolico, habita.* Varſaviae. *In Officina* IOANNIS ROSSOWSKI *S. R. M. Typographi. Anno Domini 1630.* 4.

VII.

VII.

Bartscio, praeclaro Societatis Ieſu Presbytero, Brunsbergae, nobiliſſima Varmiae civitate, naſci contigit. Romae humanioribus litteris operam dedit, ibique Societati Ieſu ſe devovit. Inde Viennam Auſtriae miſſus, ſtudiorum curriculum confecit. Reverſus Brunsbergam graecas litteras docuit. Poſnaniam translatus, quaeſtiones conſcientiae, atque eas, quae ab Heterodoxis in controverſiam ductae ſunt, bene, accurateque, et ſubtiliter explicuit. Deinde theologiae Doctor in Vilnenſi Academia creatus eſt. Eidem Rector praefuit. Collegium Brunsbergenſe bis rexit. Praeterea Praepoſiti Provincialis vicem quinquennio ſupplevit. Ad extremum Sigismundo III. prudentiſſimo et religioſiſſimo Regi, à confeſſionibus fuit, et pene omnium expeditionum aſſiduus comes. Itaque, cum ad Smolenſcum Germano militi, contagioſa febri affecto, omne, quod poterat, auxilium ferret, eodem correptus malo, in caſtris regiis occubuit undecimo Kalendas Novembreis MDCIX, cum ſexageſimum aetatis ſuae annum ingreſſus eſſet. Fuit Regi in primis carus, ac Regni Proceribus maxime acceptus: immo etiam Heterodoxis mire conciliatus, quos ſuaviſſimis mitiſſimisque ſuis moribus ſibi devinxit, ut facilius ad Eccleſiae Romanae gremium perduceret.

Iuſſu Regis, cadaver eius Vilnam, centum ferme milliaribus à Smolenſco diſſitam, lugubri pompa deportatum eſt, et ſodalium ſepulcro illatum. Iuſta quoque funebria ſumptu Regis peracta. Mortuus doctiſſimi oratoris voce collaudatus. Adfuit Regina CONSTANTIA Auſtriaca, cum principe filio, et primoribus miniſtris. Egregiae illius virtutes litteris proditae ſunt à PHILIPPO ALEGAMBE, in Bibliotheca Scriptorum Societatis Ieſu, p. 143, ſq. Commendatae etiam poſteritati ab ALBERTO WIIUK KOIALOWICZ, in Miſcellaneis Rerum, ad Statum Eccleſiaſticum, in Magno Lithuaniae Ducatu, pertinentium, p. 124. pulcerrima haec exſtant eruditionis eius ac pietatis monumenta:

I.) Andreae Volani Lwowcovienſis, Zwinglianorum Vilnenſium Archiminiſtri Nuncupati, Orationi: *qua homines omnium ordinum in Magno Ducatu Lithuaniae, his annis ab illa ſecta converſos, ad priſtinos errores revocare conatur:* Benevola Et Chriſtiana Reſponſio. *Sub nomine* FRIDERICI BORUSSI Theologi *edita.* Cracoviae. Typis Andreae Petricovii. *1589. 4.*

Prodiit poſt mortem eius altera editio, hoc titulo inſignita: *Brevis Ac Solida* Reſponſio R. P. FRIDERICI BARTSCHII Braunsbergenſis, E Soc. Ieſu Theologi. *Non eſſe quod quenquam poeniteat, à Zuinglianorum coetu ad Catholicam Eccleſiam rediiſſe.* Ad ANDREAE VOLANI Lwowcovii Orationem: *qua homines omnium ordinum in Magno Ducatu Lithuaniae à* Zuinglii *ſecta converſos, ad priſtinos errores revocare conabatur.* Ante annos quidem

quidem plus minùs viginti ab Auctore conſcripta, ſed iam primùm in Germania in lucem edita. Permiſſu Superiorum. Coloniae Agrippinae. Sumptibus Antonii Boetzeri, et Franciſci Iacobi Mertzenich. Anno 1610. 8.

II.) Ieſuiter-Spiegel: darinn augenſcheinlich zu ſehen, was ſeltzame Abenthewerliche Sachen die Ieſuiter treiben. Auf embſiges anfordern Danielis Krameri D. des Stettiniſchen Paedagogii in Pommern Hoffpredigkanten, in Druck gegeben. Cum Graria Et Privilegio S.R.M. Brunsbergae, typis Schönfelſianis. Anno 1603. 4.

III.) Controverſiarum huius Seculi Practica ad Populum Tractatio. Ad Evangelia occurrentium Dominicarum accommodata, atque ad eos potiſſimum iuvandos, qui inter Haereticos degunt, ordinata. Tomus Primus. Dominicas ſex comprehendens, quatuor Adventus, eam quae eſt infra octavam Nativitatis, et Dominicam Quinquageſimae. Cum indice triplici: Scripturarum, quae paſſim explicantur; Rerum praecipuarum; et Evangeliorum Dominicalium, quae hic tractantur. Cum Gratia Et Privilegio S.R.M. Cracoviae, in Officina Nicolai Lobii. Anno Domini. 1607. 8.

Hicce tomus denuo fuit typis exſcriptus Coloniae, apud Antonium Boetzerum, et Franciſcum Iacobum Mertzenich. MDCX. 8. Verum poſterior publicam lucem nunquam vidit.

IV.) Theſaurus Precum Ac Variarum Exercitationum Spiritualium, Ex Probatis Autoribus Collectus. In uſum omnis quidem conditionis hominum, ſed maximè Studioſae Iuventutis. Permiſſu Superiorum. Cum Gratia Et Privilegio S.R.M. Cracoviae, in Officina Nicolai Lobii. Anno Domini. 1607. 16.

Auctior atque emendatior exiit. Coloniae, apud Ioannem Crithium, ſub ſigno galli. Anno MDCXVI. 12.

VIII.

Clagius, eximius quoque Societatis Ieſu Presbyter, Vladislai IV. principatu, floruit. Allenſteinio, Varmiae oppido haud ignobili, natales duxit. Societatis Ieſu legibus obſtrictus, Pultoviae grammaticam primo, deinde rhetoricam, ad poſtremum philoſophiam docuit. Vilnae theologiam omnem eſt profeſſus. Rexit Neſviſienſe Collegium, et Reſſelienſe. Brunsbergae Seminarii Pontificii praefecturam geſſit. Interfuit Colloquio, diſſidiorum in religione componendorum cauſſa, Thorunii inſtituto. Edita iam aetate, et in ſenium vergente, Reſſelii diem clauſit extremum XIII. Kalend. Jul. MDCLXIV. Ingenioſus fuit, et eloquens, & diſertus, nec minùs Graecè, quam Latinè doctus. De eo meminerunt, Philippus Alegambe, et Nathanael Sotvellus, in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu, p. 761. Edidit, adſcito Didymi Hermannovillani nomine:

I.) Anticyras Pruteno-Praedicanticas: è quibus Sectariorum Miniſtris, quà Regiomonti, quà in reliquo Pruſſiae Ducatu Eccleſiam Chriſti Catholicam maledicè, contumelioſè, mendaciterque inceſſere ſolitis; potiſſimum verò *Abrahamo Calovio* decem craſſiores Errores famoſo libello, Eidem Eccleſiae thraſonicè, pueriliter, fatuèque obiectanti, *Recipe*, ſalubri iuxta ac neceſſario conſilio temperatum;

peratum; *Corollariis* ad ſingulorum Errorum Ἀντικατηγορίαν et Confutationem, ex ipſius *Calovii* ore calamoque petitam, adnexis; et amica Praefatione ad Illuſtres Academicos Regiomontanos neceſſariò praemiſſa. *Nicopoli. Anno M.DC.XL.* 8.

II.) Ariſtarchum Ad Illuſtres Academicos Regiomontanos. *Superiorum Permiſſu.* Coloniae, apud Henricum Krafft. Anno M.DC.XLIII. 8.

III.) Diſquiſitiones Ubiquiſticas, ſive De Chriſto Contra Ubiquiſtas, alioſque Praedicantes, à Chriſti Eccleſia, et Chriſto, quà doctrinae, quà vitae ſtudiis, longè exerrantes. Cum Irenica ad Eosdem Praedicantes Paraeneſi. *Superiorum Permiſſu.* Auguſtae Gediminiae. Typis Hetaerianis. Anno MDCXLIV. 8.

IV.) Emiſit, vero nomine ſuo praeſcripto: Lindam Marianam, ſive De B. Virgine Lindenſi, Libros V. *Coloniae Ubiorum.* Apud Ioannem Antonium Kinchium. Anno MDCLIX. 8.

IX.

Arent etiam Allenſteinienſis fuit. Societati Jeſu adſcriptus, in Brunsbergenſi Collegio, iuventutem politioribus litteris, et philoſophicis diſciplinis naviter inſtituit. In Academia Vilnenſi theologiam, magna auditorum frequentia, profeſſus eſt. Rector eandem Academiam ter adminiſtravit. Ibidem Domus Profeſſae curam egit. Totam denique Provinciam Lituanam feliciter moderatus eſt. Probis moribus fuit, et ingenio praeſtanti, et eruditione perfecta, in ea potiſſimum theologiae parte, quae in oppugnandis adverſariorum erroribus verſatur.

Inſigni.

Inſignibus, ut vocant, Doctoralibus à Constantino Casimiro Brzostowski, Vilnenſium Praeſule, doctrina et religione clariſſimo, ritu perſolenni decoratus eſt. Fato conceſſit VI. Id. April. anno humanae ſalutis MDCCXXIV. aetatis ſuae LXXVIII. Reliquit perutile ac ſalubre opus, tres in partes diſtributum, cui is titulus: Studium Polemicum, Pro Doctrina Catholica Suſceptum. In gratiam Studioſae Juventutis Catholicae, ex Zelo Apoſtolico, ad Parochias et Miſſiones, Acatholicas vicinas aſpirantis, Per Interrogationes et Reſponſiones digeſtum. Vilnae, Typis Academicis Societatis Ieſu. 1716. 8. Huius eximii viri frequenter meminit JOANNES POSZAKOWSKI, in Kalendario Hiſtorico Societatis Ieſu Maiori, lingva vernacula divulgato.

X.

Lubienscius, Archiepiſcopus Leopolienſis, ab univerſo clero ſuo atque populo, tanta et pietatis, et laetitiae acceptus eſt ſignificatione; quanta iamdiu, toto orbe Polono, cùm prudentiae ac doctrinae, tùm etiam modeſtiae atque innocentiae fama celebratus. Pallium, metropolitanae poteſtatis indicium atque inſigne, Pontificis Maximi nomine, impoſitum ei eſt, à Sierakowscio, Premiſlienſium Epiſcopo. Antè vero, quàm praeclariſſimo eo donaretur ornamento, à viris quibusdam graviſſimis apprimèque doctis diſceptatum eſt plurimùm, an Archi-

praeſul

praeſul ille priùs pontificali fungi poſſit munere, quàm pallio ritè fuerit inſignitus? Eaque adductus, et permotus ratione, LAURENTIUS ille Carmelita, Nuncii ad Regem ac Regni Ordines Apoſtolici Theologus, ſacrae antiquitatis ſcientia inſtructiſſimus, mole quidem exiguum, bonae tamen frugis pleniſſimum contexuit, inque lucem exire paſſus eſt opuſculum: De Exercitio Actuum Epiſcopalis Muneris Propriorum, Ante Pallii Receptionem, Archiepiſcopis Denegato. Id in quatuor ſectiones diviſum. Prima Exponit Controverſiae Statum, Et Oſtendit Originem Inhibiti Metropolitanis, Ante Pallii Receptionem, Exercitii. Docet altera, Romanus Pontifices, Super Univerſas Orbis Eccleſias, Plenitudinem Poteſtatis Semper Exercuiſſe. Tertia demonſtrat, Longe Ante Iſidorianas Decretales, A Romanis Pontificibus, Plenitudinem Poteſtatis Communicatam Fuiſſe Metropolitanis, Per Pallii Receptionem. Quarta denique comprobat, Translata Ad Sedem Apoſtolicam Omnium Metropolitanorum Confirmatione, Et Conſecratione; Ad Omnes Archiepiſcopos Extenſam Eſſe Priſtinam Conſuetudinem: Nulla A Metropolitanis Obeundi Munera Pontificialia, Niſi Poſt Pallii Receptionem. Praemiſſa, ad SIERAKOWSCIUM, Epiſcopum Premislienſem, Epiſtola, pietàtem, zelum, doctrinam, prudentiam, caeteraque perfectiſſimi hujusce Praeſulis & Senatoris ſingularia decora, meritis laudibus extollit. FRIESIUS, homo navus & induſtrius, gnarusque rerum polonicarum, Leopolienſium Archiepiſcoporum Vitas Gallicè ſcriptas, Archipræſuli novo peropportune obtulit.

XI.

XI.

DOGIEL, vir noſtro aevo doctiſſimus ac ſapientiſſimus, Collegium Scholarum Piarum Vilnenſe regit. Eòque typographeum ſuum curavit transferendum. Quod reliquas omnes, in Regno Polono, officinas typographicas, characterum Latinorum pulcritudine vincit. Prodiêre inde, Limites Regni Poloniae, Et Magni Ducatus Lituaniae, Ex Originalibus, Et Exemplis Authenticis, à DOGIELE iſto ipſo, ſumma cura fideque deſcripti. Elegans hoc opus eſt bipartitum. Prior quidem pars ſiſtit, Limites Inter Regnum Poloniae, Et Marchiam Brandeburgicam; Inter Poloniam, Et Pomeraniam; Inter Regnum Poloniae, Et Ducatum Sileſiae; Inter Poloniam, Et Valachiam; Itemque Inter Regnum Polonim, Et Imperium Ruſſicum. Poſterior, Limites Inter Regnum Poloniae, Ac Magnum Ducatum Lituaniae, Necnon Etiam Pruſſiam, Atque Livoniam, exhibet. Sumptus excudendo huic operi fecit Princeps IABLONOWSCIUS, Palatinus Novogrodenſis, cuius effuſiſſima erga viros doctos liberalitas, et immortalia, in omne pene ſtudiorum genus, in præmiſſa, ad eum, Epiſtola diſertiſſima, pro dignitate praedicantur.

XII.

MASSALSCIUS, adoleſcens illuſtris, ſuſceptum Magni apud Lituanos Referendarii munus, ingenti explet cum dexteritatis, atque integritatis opinione. Muſas adhuc impenſe colit. Conjuncteque vivit cum viris iis, qui litterarum ac doctrinae laude caeteris antecellunt. Utitur quidem familiariſ-

ſime

ſime Towianscio Franciſcano, eumque mirifice diligit, cùm propter multam ingenii ſuavitatem, bonarumque omnium artium, atque altiorum etiam diſciplinarum cognitionem, tùm propter gravitatem et virtutem conſilii, vitaeque modeſtiam plane ſingularem. Hic, ſuaſu eius, accuratam et valde eruditam, De Quatuordecim Franciſcanis, Lituaniae Protomartyribus, confecit, inque litteratorum hominum manus emiſit commentationem, quâ ſacra Lituanorum hiſtoria praeclare illuſtratur. Poszakowscius, magnus ille, editisque ſcriptis clariſſimus, Societatis Ieſu theologus, humanis rebus iam eſt exemtus. Coepti, ab eo, Annales Poloniae Eccleſiaſtici, *ſuperiorum juſſu*, in tabularium provinciale illati ſunt. Haud diu, ante eum, naturae debitum reddidit Bakanowscius. Fuit is, in divinis litteris, ac ſanctioribus Catholicae Eccleſiae doctrinis, multum verſatus. Verùm, praeter evulgatas Quaeſtiones Theologicas Canonico-Morales, De Septem Sacramentis, SS. Canonum, Conciliorum, Et SS. Patrum Autoritate Firmatas, poſteritati nihil reliquit.

XIII.

CAROLUS, Regius Poloniae Princeps, idemque Curoniae ac Semigalliae Dux, inſigne illud, quod à maximo, dignoque immortalitate viro, Stanislao Konarscio, Condi-

conditum eſt., nobilium iuvenum Collegium, bis, terve, inviſit. Praeſtantiores ingenio diligentiaque alumnos, blandisſimo alloquio dignatus eſt. Heſterno die veſperi, magna illa, ac ſplendida, quae eum ſemper comitatur, principum virorum corona cinctus, interfuit orationi, qua MICHAEL VANDALINUS MNISZECHIUS, amoeno ingenio, liberalique natura, ac ſuavi facundia juvenis, hujus totius Collegii nomine, fauſtum felixque imperium ei eſt precatus. Fertur auctor illius orationis MIRZENSCIUS, clericus Scholarum Piarum, elegantioribus litteris perpolitus. KALISZEWSCIUS, presbyter eiusdem inſtituti, egregius ſane ingenio, boniſque omnibus diſciplinis ornatus, libellum edidit ſumme neceſſarium, De Recte Erudienda Iuventute, patrio ſermone lepide atque nitide ſcriptum. Idem quoque, Nomenclatorem Quatuor Linguarum, Gallicae, Polonicae, Germanicae, Et Latinae, Lectiſſimae Collegii Nobilium Varſavienſis Scholarum Piarum Iuventuti Dedicatum, tomis duobus formae octavæ ſpisſisſimis comprehenſum, typis mandavit.

XIV.

CAIETANUS SOLTICUS, deſignatus Cracoviae Epiſcopus, Severiaeque Dux, è principe Roxolanorum familia, ipſis Moſcorum Imperatoribus cognatione annexa, genus ducit. Patrem habuit, nomine IOSEPHUM, Caſtellanum

lennam primò Belzenſem, dein Lublinen-
ſem, graviſſimum Regni Senatorem, qui
magni illius THEODORI POTOCII, Archiepi-
ſcopi Gneſnenſis, totiusque Poloniae Prima-
tis, ſanguine ſibi conjunctiſſimi, aulam ſplen-
didam admodum, ac fere regiam, ſingulari
cura, eximiaque auctoritate eſt moderatus.
Matrem nactus CONSTANTIAM, filiam ALE-
XANDRI DRZEWICH, Palatini Lublinenſis,
feminam haud minus virtute, ac prudentia,
quàm formae decore, opumque abundantia
praeſtantem. In hujus ſinu indulgentiaque
educatus, per omnem litterarum humanio-
rum cultum, pueritiam tranſegit. Juvenis,
ob egregiam indolem, ingenuosque mores,
Principi ipſi POTOCIO mire commendatus,
et admodum carus fuit. Sumptaque ſacer-
dotali toga, ab Archipraeſule illo, mox In-
ſignis Eccleſiae Collegiatae Lovicienſis Ca-
nonicus eſt renunciatus. Brevique ſpatio
interiecto, eodem conciliatore, Scholaſticus
Lancicienſis creatus. Tunc eius hortatu
Romam, ſedem ac magiſtram ſtudiorum
profectus, optimosque cum divinae, tum
humanae ſapientiae profeſſores conſecutus,
tantos fecit in omni graviore doctrina pro-
greſſus, ut ſummos ibi Praeſules, ipſosque
Patres Purpuratos in admirationem ſui con-
verteret, qui huncce juvenem, maximum
Eccleſiae, univerſaeque Reipublicae Polonae

lumen

lumen futurum, haud irrito omine augura-
bantur. Unde ingenti animi voluptate per-
fuſus, Princeps et Archipraeſul Potocius,
abſentem eum Canonici Metropolitani Gneſ-
nenſis honore ornavit. Reverſum autem in
patriam, Ioannes Alexander Lipscius
S. R. E. Cardinalis, & Antiſtes Cracovienſis,
in Cathedralium ſuorum Canonicorum col-
legium cooptavit. A patruo deinde, Ma-
thia Soltico, Epiſcopo Margaritenſi, et
Suffraganeo Culmenſi, Praeſule ſummae
probitatis ac ſanctimoniae laude conſpicuo,
Praepoſiturae Gneſnenſis Coadjutor adſci-
tus, in Supremo Regni Tribunali, quod
Petricoviae et Lublini agitur, Praeſidis vi-
cem tanta prudentiae iuſtitiaeque ſupplevit
opinione, ut ampliore quocumque in Repu-
blica munere dignus exiſtimaretur. Mortuo
Potocio, Primatum Poloniae maximo, to-
tum ſe Lipscio Cardinali tradidit. Qui hunc
ipſum adoleſcentem, graviſſimorum ſuo-
rum negotiorum ſocium, conſiliorumque
omnium participem habuit, tantumque vir-
tuti eius confidit, ut, cum acerba et imma-
tura morte rebus humanis eriperetur, ſu-
premae voluntatis ſuae eum conſtitueret in-
terpretem atque executorem. Non longo,
poſt Lipscii Cardinalis obitum, intervallo,
dimiſſam à patruo ſuo Praepoſituram Gneſ-
nenſem, nobiliſſimum totius Regni Poloni

ſacer-

ſacerdotium, occupat. Eoque ferme tempore, à SAMUELE OZGA, Kioviae et Czerniechoviae Antiſtite, religionis ac diſciplinae eccleſiaſticae ſtudioſiſſimo, feſſo tamen ſenectute ac penitus confecto, Epiſcopalis muneris officiique ſocius deſideratur. BENEDICTUS, caeleſtiſſimae hujus appellationis XIV, Maximus Romanorum Pontifex, et AUGUSTUS, tanti nominis III, Rex Poloniarum, benigne annuêre, ſimulque ei ius futurae ſucceſſionis attribuêre. Sic, Praeſulis Emmauſenſis titulo inſignitus, ampliſſimum Epiſcoporum ordinem ritu ſolemni ingreditur. A Kioviae Proceribus, omnique Nobilitate, et univerſo populo, ingenti ſuſcipitur laetitia plauſuque. Accepta verò, à Praeſule ſene, paſtorali omni cura et auctoritate, in obeundo atque implendo Coadjutoris munere, cum incredibili ſtudio et ardore verſatur. Namque univerſam Dioeceſim luſtrat: nec locos remotiores ac periculoſos abhorret. Clerum ad ſacrorum Canonum praecepta conformat. Carmelitas Diſcalceatos Berdiczovienſes, Epiſcopali poteſtati repugnantes, auxiliante Pontifice Maximo, ad debitam Epiſcopo ſuo obedientiam revocat. Templa vetuſtate collapſa reſtaurari, alia coepta abſolvi curat. Zytomiriae domum Epiſcopalem, plenam dignitatis aedificat. Ibique omnium primus Semina-

minarium excitat, in quo lectiſſimi hujusce Dioeceſeos juvenes, cum in rerum divinarum ſcientia, tùm in omni ſacrorum diſciplina, perfecte erudiantur. Poſſeſſiones quoque Eccleſiae, per vim atque iniuriam ereptas, quoad poteſt, recuperat augetque. Nec quidquam omittit, quod ad eiusdem Dioeceſeos commoda, et ornamenta pertinere videatur. Sancto autem, in eâ, Iubilaeo, cum magna celebritate et fructu, peracto, adit Kioviam, veterem ſuorum Anteceſſorum ſedem. Cuſtos et Gubernator urbis, Graecusque eius Archiepiſcopus, variis laetitiae gratulationisque exhibitis argumentis, tam carùm hoſpitem impenſe colunt, compluresque dies detinent, inter varias mutui affectus benevolentiaeque concertationes. Ille verò ſaluti animarum inprimis intentus, degentium ibi orthodoxorum confeſſiones diligenter audit, eosque à quibusvis peccatis, criminibus, exceſſibus, et delictis abſolvit, ſacra quoque Synaxi reficit, et ſancto Confirmationis Sacramento munit. Redditus demum populo, fidei ſuae concredito, *Beatiſſimae Virginis Matris Imaginem*, miraculis ac prodigiis divinitus factis celebrem, Berdiczoviae in Eccleſia Patrum Carmelitarum Diſcalceatorum ſumma religione ſervatam, Fideliumque omnium venerationi expoſitam, miſſo, à Benedicto XIV, aureo diademate, gemmis

cla-

clariſſimis diſtincto, redimit. Octo dierum pompa, ingenti Principum Virorum numero, maximaque Nobilitatis frequentia, et incredibili vulgi multitudine ornatur. Praeſul ipſe Coronator, De Beatiſſimae Dei Matris, Semper Virginis Laudibus, perelegantem & eruditum ſermonem dicit, qui Deſcriptioni hujusce Coronationis inſertus, publicam in lucem emittitur. Paſtoralibus autem negotiis adeo deditus, Reipublicae tamen non eſt immemor, eique praeclaram operam praeſtat. Mire enim in conciliandis animis promptus et expeditus, perſaepe diſſentientium Regni Procerum iras controverſiasque componit. Praecipuosque Nobiles ſummo officio et ſumma familiaritate in perpetuum ſibi devincit. Quorum ope, quaecunque publica poſcat neceſſitas, cùm in ſingularum Terrarum conventibus, tùm in totius Regni comitiis, perfacile promovet. Unde eum, ore omnium celebratum, Augustus III, aequiſſimus ille virtutis aeſtimator, Varſaviam ad ſe evocat, rebusque magnis omninò et arduis gerendis adhibet. Eius potiſſimum induſtria, ſolertiaque efficit, ut Princeps Carolus filius, amor ac deliciae Polonicae Gentis, maximo Regni Ordinum conſenſu, Curoniae ac Semigalliae Dux aſſumatur. Sublato interea è vivis Samuele Ozga, Praeſule omnium aetatum memoria digniſſimo, Solticus toto Kioviae Epiſcopatu potitur.

Cui quoque, ut ſumptibus pro dignitate ſua ſufficiat, praedivitis Praepoſiturae Miechovienſis reditus injunguntur. Aſt Augustus III, perſpecto eius tam propenſo fidelique, erga ſe, domumque ſuam regiam ſtudio, primario eum apud Polonos Pontificatui deſtinat. Quippe, illuſtri alio quodam Epiſcopo, ad Andream Stanislaum Kostka Zaluscium, Cracovienſium Antiſtitem, ac Severienſium Ducem miſſo, majorem in modum ab eo contendit, ut aſſiduis Reipublicae curis defeſſus, ac vario atque multiplici morborum genere vexatus, huncce illum Solticum, Praeſulem probum, et ad graviſſima quaeque, in Eccleſia omnique Republica, tractanda munera, à natura factum, Epiſcopatus ſui Coadjutorem acceptet. Verùm, negotio nondum confecto, Zaluscius, tot morborum, quibus multos annos implicatus erat, vehementia conſumptus, cum magno totius Polonae Nobilitatis, atque etiam cum Regis ipſius dolore, diem obit ſupremum. Cui nunc confeſtim Solticus, adepto iam nobiliſſimo regii in ſe animi pignore, Ordinis Aquilae Albae inſigni, in Pontificia Cracoviae Cathedra, atque in Severiae Principatu ſufficitur. Ac Rex, effuſa virtutum ejus commemoratione, à Clemente XIII, Pontifice Rom. Maximo impetrat, ut Apoſtolicae approbationis diploma,

ploma, ſolito tempore multò citius, ei concedatur. Conjunctae ſane, in eo, maximi et principis, et praeſulis dotes elucent. Eximia enim forma, ac dignitas corporis, heroem ſummum oſtentat. Oculis inprimis ineſt quiddam divini vigoris. Animus excelſus magnificusque. Cui quoque incredibilis ineſt ingenii judiciique vis. Huic, praeter ſingularem dicendi copiam atque induſtriam, admirabilis acceſſit doctrinae elegantia, rerumqne tàm civilium, quàm eccleſiaſticarum peritia inſignis. Totus Reipublicae deditus. Diligentiusque amicis, quam ſibi ſerviens. Neque minus in gerendis, quam excogitandis rebus, promptus. Regiae maieſtatis obſervantiſſimus. Summa tamen providens fide, ne quid patria libertas capiat detrimenti. Poteſtatis iuſtae atque auctoritatis in extremum tenax. Conſtans religionis orthodoxae vindex. Acrisque eccleſiaſticae immunitatis propugnator. Cum muſis, id eſt, cum ſtudiis humanitatis, inter maximas negotiorum difficultatis, delectare ſe ſolet. Eminentioraque aetatis hujus ingenia omnibus modis fovet, donisque regalibus prorſus, ac minime expectatis cohoneſtat. Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimus, inque omni cultu et apparatu ſplendidus, prout primarium Regni Praeſulem ac Senatorem omninò decet. Vita alioquin

 inno-

innocens gravisque. Domeſticam quoque diſciplinam, in parvis, ac maioribus rebus, ſedulo regens. Omneque, tàm aulicum, quàm rurale famulitium, pari tractans ſeveritate atque clementia. Denique omni opulentia ſua utens opportune ac ſapienter.

XV.

Illuſtre Cracovienſis Eccleſiae Capitulum Cathedrale, ad Principem Solticum, deſignatum Epiſcopum ſuum, legationem miſit ſolemnem. Quae ſummo cum honore fuit accepta, atque in frequenti Procerum Regni concurſu audita. Legatus prior, Martinus Zaluscius, magnus quondam Regni Secretarius, Epiſcopus adhuc Dreſnenſis, et Suffraganeus Plocenſis, idemque Eccleſiae Cathedralis Cracovienſis Primicerius, Praeſul haud dubie dignus ſumma ſanctitatis ac ſapientiae laude, Principem, novum Cracoviae Antiſtitem, praeſtito reverentiae officio, ita eſt allocutus:

Summus Tibi, Celſiſſime Princeps, uti digniſſimo Capiti ſuo, à Capitulo Tuo Cracovienſi juremerito debetur honor, quem cùm debita erga Antiſtitem ſuum, tùm et ea, quae filios decet erga Patrem Patriae, à nobis exigit reverentia: ad quem et divini Oraculi nos obſtringit autoritas, eum ſcilicet honorandum eſſe, quem Rex voluit honorari. Sereniſſimus quidem AUGUSTUS III, Dominus Noſter Clementiſſimus; cum Te primum in Eccleſia Polona Epiſcopum commendavit, ac propoſuit Supremo Eccleſiae Moderatori, Chriſtique

ſtique in terris Vicario: Tertium vero Te inter Primores Regni Senatorem juſſit: magnum ſuae, erga Te, benevolentiae praebuit documentum, longè tamen majus, & ampliſſimae Dioeceſi Cracovienſi, et Capitulo Noſtro praeſtitit beneficium: quod, in Te, illi tam dignum delegerit Praeſulem, quem indefeſſus pro Eccleſia Zelus Summo Pontifici; quem intaminata fides Principi; quem continua de bono publico ſolicitudo Reipublicae; quem eximiae animi dotes et doctrina, toti jam pridem commendaverant Regno; cujus ingenii, virtutis, ac meritorum fama, praecipuam jam Europae pervagata eſt partem. Talem profectò decebat eſſe Pontificem Noſtrum, ſi cum Divo Paulo gloriari nobis liceat, qualem in Te nobis contigiſſe, et magnopere gratulamur, et Te majorem in modum veneramur. Tàm omnium jam, quàm et Sacrorum apud nos faſcium, et honorum diſtributionem, jure Majeſtatis Regibus competere nemo dubitat: nos tamen, in Tua nominatione; nedum iuſtitiam, ſed ſapientiam Principis perlibenter agnoſcimus; proinde, aequiſſimae voluntati Regiae, noſtra conformando ſuffragia, unanimi voto, et concordibus vocibus, eò libentiùs nos Tuam ſubſcripſimus electionem; quò vehementiùs Te Noſtrum Paſtorem exoptavimus: quem adhuc unum, è fratribus, iam omni amore ac veneratione, ob ſingularem probitatem, proſequi exiſtimabamus. Ita enim ſapienter totius vitae Tuae curſum inſtituiſti, ut recteſacta Tua, ad maximas in Republica Chriſtiana res agendas, ad ſumma quaevis, Eccleſiae et Patriae praeſtanda, Te natum eſſe probarent. Suſpexerat id, in Te adhuc adoleſcente; aeterna dignus memoria Antiſtes ille, ac Cardinalis Lipsceius, cognitaque indole Tua, ad maxima quaeque peridonea, iam tum praeſago animo, Te, ſuum palam praedixerat fore Succeſſorem. Impletum iam in parte hoc Vaticinii cuiusdam genus; in reliquo complendum et ſperamus, et auguramur, et optamus, ut in Collegio Purpuratorum Patrum brevi eidem ſuccedas. Vota haec noſtra, et auguria, grato ſuſcipe animo, Ampliſſime Antiſtes Noſter. Capitulum Noſtrum paterno amore, nos vero Delegatos, veteri Tua digneris proſequi benevolentia. Munere Delegati Capitularis, cum Tui ad Cathedram

Noſtram poſtulatione, iam perfuncto, liceat mihi adhuc, pro Domo mea agere Oratorem. Cecidit Corona Capitis Noſtri, in demortuo capite, piè defuncti Fratris mei, Tui vero in Epiſcopatu Praedeceſſoris. Tibi, *Celſisſime Princeps*, derelicti ſumus Orphani, ſine Patre Familiae ſucceſſores, ſine Paſtore iam percuſſo diſperſae oves. Tu nobis eſto Adjutor, Tu Paſtorem Gregis, Tu Patrem Familiae Noſtrae agas, Tu nobis conſule cunctis. Moveat Te, innata Tua magnanimitas, ac heroica ad compatiendum afflictis propenſio. Et Domum noſtram, antiquitùs quidem, pro meritis de Regibus et Patria plurimis, exornatam honoribus, ac ſub ſceptro glorioſae memoriae AUGUSTI Secundi florentem, benigno nunc quoque ſublevare patrocinio, potentique praeſidio, et tutelae Clementiſſimi AUGUSTI Tertii, me, meosque digneris inſtanter commendare.

Collega eius, Franciscus Czerny, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, doctrina ac facundia facile praecipuus, huiuscemodi orationem habuit:

Voluntatem Sereniſſimi ac Potentiſſimi Regis, Dominique Noſtri Clementiſſimi, teſtamur publicè, non magis in Te aequiſſimam, quam Nobis fuiſſe propitiam: qui Te, *Celſiſſime Princeps*, Noſtrum nominavit Antiſtitem, quem nos enixè praeſtolabamur; qui Te ſolicitè commendavit, quem nos vehementer optabamus; qui denique Te ſapientiſſimè elegit, quem nos iam pridem ardentiſſimè amabamus. Quamvis igitur mandata Regia nemo ad nos fortaſſe pertuliſſet, quamvis optimi deſideria Principis nemo nobis aperuiſſet, nec nullus pro Te oraſſet Legatus, deſideriis tamen Noſtris, Tu ſolus ſcopus et meta omnino fuiſſes. Perſvaſibilibus quippe humanae ſapientiae verbis nequaquam indiget, quem eligentium mentibus Deus ipſe inſpirat: commendatione opus non habet, cui virtus ſuffragatur, quem amor praeficit. Proinde et Rex Noſter AUGUSTUS, eo ipſo juſtius evidenter, ac pius, ſanctio-

ſanctiora ac jucundiora nobis imperia mandare non potuit, quam, cùm Te Praeſulem, à ſe, Deo inſpirante, delectum, nobis eligendum deſignavit. Obſecundante ita Religioſiſſimo Rege Noſtro, caeli nutibus, et publica ſimul, et noſtra impleta eſt expectatio, adeò, ut cor Regis in manu Dei eſſe, inficiari vel hoc praeclaro exemplo nemo poſſit. Hinc eſt, quod nunquam libentius Cracovienſe Capitulum, nominationem Regiam ſuis cumulavit ſuffragiis, quam Te deſideratiſſimum eligendo Epiſcopum. Nihil quoque et nos, nobis majori unquam ſolatio, honori, et gloriae duximus, quam ad hanc electionem Tibi ſolenni legatione deferendam perhonorificè deputari. Te itaque electum eſſe ſummopere gratulamur, quem vox publica Divinae plerumque mentis, et fati vel praeſaga, vel interpres, et diu, et pridem huic Cathedrae admovebat. Te, maiorem in modum laetamur, electum eſſe: qui praeſtantiſſimis virtutibus Tuis, vix dum iuvenis, iam iudicio primi Principis, Regnique huius Primatis, magni olim POTOCII, Canonicus Gneſnenſis factus; ibi ponebas ſacrae Tuae fortunae initia, ubi finire multis, ſatis amplum videtur. Te, inquam, gaudemus electum eſſe, quem in Urbe orbis Roma, vero illo literarum ſcientiarumque domicilio, adhuc ſtudiis vacantem, me etiam teſte, Purpurati Viri, illi primi Chriſtianae Reipublicae Cardines, magnum Eccleſiae Dei ornamentum fore, divinitus praedicabant. Quem noſter ille, immortalis memoriae Cardinalis LIPSCIUS, Cracovienſis Praeſul, ſingularius adamavit, ſuumque, tam probo, docto, omnibusque praeclaris dotibus commendatiſſimo Canonico, exornavit, illuſtravitque Capitulum: quem, in innumeris, maximisque ſemper et Eccleſiae Polonae, et Reipublicae negotiis, egregiè continuoque exercuit, ac ad ſumma formavit: quem denique etiam, ultimae voluntatis ſuae interpretem, et Executorem peramanter conſtituit, et iam tunc, ſua ampliſſima Cracovienſi Sede digniſſimum, nedum judicavit, ſed et palam, clareque praedixit. Nec vana fuêre auguria. Eodem quippe tempore, juſtiſſimo Regis arbitrio, poſt peractum ſummo cum plauſu in Supremo Tribunali Regni Vicepraeſidentis

munus,

munus, primus poſt Epiſcopos, hoc in Regno Praelatus, Praepoſitus nempe Gneſnenſis creatus, brevi ad Epiſcopatum Kijovienſem, Senatoriamque Regni Curulem perveniſti, ut merito dici poſſit; celeriorem eſſe virtutis tuae, et meritorum curſum, quam aetatis; fructum autem omnem, majori debere eſſe in pretio, qui ocius aliis matureſcit. Epiſcopus iam Kijovienſis, factus gregis exemplar ex animo, quanta ſolicitudine, labore, ſtudio, Tuam perluſtrando Dioeceſim, Divino Cultui, Religionique promovendae, mentibus hominum, ſapientia chriſtiana et virtute imbuendis, Clero ad doctrinam ſanctosque mores formando, templis et ſacris locis inſtaurandis, è fundamentis Tuo ſumptu et cura aedificandis, bonis Eccleſiaſticis cùm vindicandis, tùm in meliorem ſtatum reducendis, totus omninò incubuiſti. Ipſam quondam Anteceſſorum Tuorum Sedem, multis inacceſſam Kijoviam viſitaſti, Orthodoxos in fide firmando, errantes ad fidem revocando, Teque verum Paſtorem omnium exhibendo. Itaque nedum Tuis dilectis ovibus, verum etiam et iis, qui à Romanis Sacris, ritibusque diſcrepant, populis, amori et venerationi fuiſti, et Catholicae rei majeſtatem in illis oris, venerabiliorum reddidiſti. Tu itaque: cujus tantus pro religione zelus et ardor, tantus Patriae amor, in Principem fides, in Senatu autoritas, tantus in negotiis labor, in periculis fortitudo, in agendo induſtria, in conficiendo celeritas, in providendo conſilium, ſpectata et probata univerſae Reipublicae fuerunt: veni iam, à Deo O. M. à Rege Piiſſimo, ab Amantiſſimo Tui Capitulo electus, et, quod felix fauſtumque quantocius, ut ſperamus, ſit, à ſupremo Eccleſiae Capitae Chriſtique Vicario confirmandus, et ſacris inaugurandus auſpiciis: veni, ad deſtinatum Tibi Altarè Pontifex, ad Cathedram Doctor, ad Templum Epiſcopus, ad populum Paſtor, ad Thronum Princeps. Aſcende conſecratum tot Sanctis Pontificibus Velum; et cujus Tutelaris Patroni Poloniae, STANISLAI Corpus, congregatae olim miraculosè cuſtodiebant aquilae, Tuam illis adjunge Gentilitiam; ac ſicut Aquila, provocans ad volandum pullos ſuos, et ſuper eos volitans, alas Tuas expande; nec gaudia noſtra memoris. Rumpe

pe ſponſae Tuae taedia, Cathedrae deſideria imple, Dioeceſis expectationem quantocius corona, tandemque in ſeros annos renovetur, ut Aquilae, juventus Tua. Et, ut haec, pro Te, ad Superos vota, non mea tantum, ſed totius Capituli Cracovienſis eſſe, Tibi palam ſit, hujus unanimis Electionis, et enixae poſtulationis inſtrumentum, ut Tibi legam, permitte Praeſul, et Paſtor omnibus Optatiſſime.

Recitato poſtea Electionis diplomate, Princeps Epiſcopus utriſque legatis reſpondit, hunc in modum:

Satis mihi perſpectum eſt, cùm per litteras, quas ſuperioribus diebus acceperam à Venerabili Veſtro Capitulo, de optima omnium Veſtrum erga me voluntate, tùm de eadem impraeſentiarum confirmata per vosmetipſos, Viros mihi quidem gratiſſimos ac illuſtres; quorum unius, et characterem Sacerdotio eminentiorem, meoque aequalem, et clarum nunquam ſatis laudandi Praedeceſſoris mei nomen ſanguinemque revereor; alterius, vetus qua ſemper fruebar amicitia, recentibusque probata argumentis, quanti mihi ſit oportet, abunde intelligo. Ut vero utriusque veſtrum aeque inſigne genus, virtutes, eximias dotes, et merita magni facio, ita vos, ex inclyto Canonicorum Collegio delectos delegatosque, humaniſſime, atque ea omni, qua par eſt, ratione ſalutatos à me haberi volo. Per vos itaque, de unanimi omnium Veſtrum voto, quo ſupremae Dei Optimi M. de me diſpoſitioni, ac incomparabili Sereniſſimi Regis, Domini mei Clementiſſimi benevolentiae, veſtra ſuffragia perlibenter conjunxiſtis, et meo Nomini deeſſe noluiſtis, maxima cum animi voluptate edoceor. Atque, hoc eſt primum, quo, in me, gratum memoremque animum, ſemper erga omnes et ſingulos excitari, grave Paſtoris onus alleviari, curas circa gregem Domini mihi dulces effici, mutuumque Patris ad Filios, atque Filiorum ad Patrem amorem foveri, majorem in modum ſentio. Alterum, quod aequè partium mearum eſſe putem, eſt, ut pro gratulatione novae dignitatis, laudibusque ampliſſimis, quibus me tumulare

lare non dubitaſtis, mea vobis viciſſim offeram ſtudia et officia, juſtasque referam gratias, et orem Divinam bonitatem, ut me, pro ſua gloria, honore et utilitate Eccleſiae, emolumento Patriae, et veſtris uſibus, una vobiſcum, ac integro Venerabili Capitulo, fortunare velit.

Epulum deinde fuit datum magnificum. Legati inſuper regiè donati.

XVI.

ZALUSCIUS quoque, Kievienſium ac Czerniechovienſium Praeſul, à venerabili Eccleſiae Cathedralis ſuae Capitulo, nobili legatione eſt honoratus. Fuit ea graviſſimis tribus viris mandata; uni, ANTONIO GORCZYNSCIO, Praepoſito Cathedrali Kievienſi, ac Sede pontificia vacante, totius Epiſcopatus ſummo Adminiſtratori; alteri, CAROLO ORLOWSCIO, Cathedralis eiusdem Eccleſiae Decano; tertio, ANDREAE TOKARSCIO, tunc Canonico, iam renunciato Archidiacono Kievienſi. Verùm ORLOWSCIUS, ipſo in itinere, ſubito ac vehementi morbo oppreſſus, vitam cùm morte commutavit. Reliqui duo ſalvi atque incolumes huc advenêre. Et coram frequentiſſimo primariorum è Republica virorum conventu, quem Princeps etiam SOLTICUS, Cracovienſium Antiſtes, cùm numeroſo ac ſplendido ſuo condecorabat comitatu, auditi fuêre. GORCZYNSCIUS, eruditione atque eloquen-

tia

tia non minus, quam ſpecie cantuque pulcra ſuſpiciendus, poſt officia venerationemque, Epiſcopum ſuum his verbis eſt affatus:

Sic tandem altero, magni eiusdem ZALUSCIORUM nominis Epiſcopo, Capitulum Kiovienſe noſtrum gloriatur, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine. Gloriatur, inquam, Te Praeſule, cuius virtutes, omnium fere gentium litteris, atque linguis celebrantur; cuius tot aurea exſtant proprii ingenii monumenta; cuique tam alta, a Maioribus ſuis, decora relicta, ut Tu Unus, totius Polonae Nobilitatis compendium, eſſe videaris. Domo proveniſti, ipſis Regni Poloniae initiis exortâ, rerumque, in Eccleſia, et omni Republica, praeſertim Litteraria, geſtarum gloriâ, cum maximis et clariſſimis in Orbe, comparanda. Vix, apud nos, magnus aliquis eſt honor, quo Gens ZALUSCIANA non perfuncta? vix titulus illuſtris, quo non condecorata fuerit? Veſtrae ſunt Curules, ZALUSCII, veſtrae Purpurae, veſtrae Infulae. Veſtrae ſunt primariae, in hoc Regno, dignitates. Tu vero, Praeſul Illuſtriſſime, paternae laudis Magne Aemule, atque avitae pietatis Praeclare Imitator, cunctis Maioribus Tuis, longe maior atque felicior evade. Tuoque, et Capituli noſtri Kiovienſis, bonorumque omnium voto, diutius vive, Senatoriae dignitatis Haeres, maximum Poloniae luminare, lucidiſſimum Eccleſiae ſidus, ingens Fidei Orthodoxae propugnaculum, et dulce decus, praeſidiumque Muſarum! Vive diutiſſime Eccleſiae, Regi, Senatui, ac Nobilitati. Vive maxime Kiovienſi iam Tuo Capitulo.

Haec ego dixi, et precatus ſum. Nunc, ipſis totius Kiovienſis Capituli votis, à Collega meo recitandis, aures benignas praebe, Paſtor Gratioſiſſime.

Poſtremiſſimus ſubinde TOKARSCIUS, elata voce haec legit:

Actum ZYTOMIRIAE, in Capitulo Cathedrali Kiioviensi Generali, Aſcenſionis Chriſti Domini, Die Lunae, vigeſima octava Menſis Maii, Anno Domini Milleſimo Septingenteſimo Quinquageſimo Nono. Praevio Miſſae Sacrificio, de Spiritu Sancto, et pulſu maioris campanae. Praeſidente Perilluſtri Reuerendiſſimo Domino, ANTONIO GORCZYNSKI, Praepoſito Cathedrali Kiioviensi, et ſede vacante, Epiſcopatus Kiiovienſis et Czerniechovienſis Generali Adminiſtratore. Praeſentibus Perilluſtribus Reverendis Dominis, MICHAELE BIERZYNSKI, Scholaſtico, ANDREA TOKARSKI, IOSEPHO RABCZEWSKI, CAIETANO GLOGOWSKI, MARTINO ROSTKOWSKI, Praelatis, et Canonicis Cathedralibus Kiiovienſibus.

Praeveniendo gloriam, honorem, et ſolatia noſtra, ſeu potius circa Nominationem Tui, Illuſtriſſime, Excellentiſſime, et Reverendiſſime Domine, ad Epiſcopatum Kiiovienſem et Czerniechovienſem, fama publica accenſi, capitulariter congregati, ad Te, ceu ad Metam, et ſcopum omnis felicitatis noſtrae, ante tempus, quo Tua nos dignaberis ſatiare Gratia, et Praeſentia, per Delegatos noſtros, Perilluſtres Reverendiſſimos, ANTONIUM GORCZYNSKI, Praepoſitum, et Adminiſtratorem Generalem, ſede vacante, Epiſcopatus Kiiovienſis et Czerniechovienſis, CAROLUM ORLOWSKI Decanum, et ANDREAM TOKARSKI Canonicum, Cathedrales Kiiovienſes; cum ea, qua par eſt, reverentia deſideratiſſimè excurrimus. Immortales, et iuſtiſſimas, Sereniſſimo Regi Poloniarum, AUGUSTO III, Domino Noſtro Clementiſſimo, reddimus gratias; qui multorum ſaeculorum expectationem, in Te ponderando, multorum Regnorum aeſtimationem perſcrutando, magnitudinem Virtutum, et praeſtantiſſimarum Tuarum Dotum conſiderando; Te, nobis, compendium digniſſimarum qualitatum, in Paſtorem, inſpirante Dei gratia, delegit, ac deſignavit. Gratulamur ſummopere Votis noſtris, quae tali fruuntur gaudio, quale deſiderabant: Virtutis nobiliſſimae, ac Nominis clariſſimi Haeredem, ad maximas Infulas natum, obtinendo. Quapropter enixe

pre-

precamur, ut ſincera, et concordi animo facta, ſuffragia noſtra, quae Tibi, in Electione Pontificali, deferimus, grata Benevolentia ſuſcipias, antequam ad maiora, quae Te expectant, progredieris Honorum culmina. Aſcendas tantiſper, in hunc Gradum eminentiſſimarum dignitatum, Noſtrique Paſtorem, Patremque geras, cui, ut Filii, amorem, reverentiam, et cultum debitum profitemur. Quod ſi Te, ah iniuria Noſtra! altior Superûm diſpoſitio, nobis diu regnare non permittet, ſupremis Infulis, etiam ad ſolatium noſtrum, diutiſſimè imperes, exoptamus.

Ex Actis Capitularibus Cathedralibus Kiiovienſibus extractum, et ſigillo Eiusdem Venerabilis Capituli communitum.

Antonius Gorczynſki, *Praepoſitus Cathedralis, et ſede vacante, Epiſcopatus Kiiovienſis Generalis Adminiſtrator, Praeſidens Capituli* mpp. *(L. S.)*

Abſoluta autem lectione, Epiſcopus ſic reſpondit:

Nos quidem, Fratres Cariſſimi, *iam à teneris, Eccleſiae Kiovienſis venerabile nomen, cultu ingenti ſumus proſecuti. Cum enim, ad gremium* ANDREAE CHRYSOSTOMI ZALUSCII, *patrui noſtri, elegantioribus litteris, ſacrisque diſciplinis imbueremur, permulta, eaque admodum iucunda, ex ore ipſius, de commemorabili huius ſanctae Eccleſiae origine, variaque commutatione, deque inſigni Cleri eius, totiusque Populi pietate, percepimus. Quae nulla provectioris aetatis moleſtia, ex animo noſtro potuit delere. Nunc autem, mira profectò Dei Ter Optimi et Maximi contigit providentia, eximiaque* AUGUSTI III, *Regis Sapientiſſimi ac Religioſiſſimi bonitate, ut eidem Epiſcopatui, quem ille patruus noſter, non ſine aliquo civium applauſu adminiſtrabat, praeter opinionem noſtram praeficiamur. Habuit ſemper Kiovienſis Cathedra praeclaros Antiſtites, qui Eccleſiam ſibi commiſſam diligentia ſumma rexerunt, et univerſae Reipublicae Polonae incrementum, omni animi contentione promoverunt. Quos*

inter, tam domus ſuae claritudine, quam virtutum ſuarum ſplendore, plurimùm eminuit Celſiſſimus CAIETANUS IGNATIUS SOLTYK, *iam ad ſublimem Cracoviae Pontificis, Severiaeque Ducis, locum merito evectus. Cuius admirabilem in tuenda epiſcopali dignitate prudentiam, aſſiduamque in ſervanda diſciplina eccleſiaſtica vigilantiam, et ſingulare plane in propaganda Fide Orthodoxa ſtudium, tot illuſtria in Kiovienſi Dioeceſi monumenta abunde teſtantur. Huius Maximi Anteceſſoris noſtri veſtigia ſectari, hac turbida tempeſtate, res gravis omnino, atque ardua erit. Dei tamen impulſu, auxilioque, periculum nullum non ſumus obituri: laeto animo ſperantes*, Venerabile Capitulum Veſtrum, *et piiſſimis precibus, et ſaluberrimis conſiliis ſuis infirmitatem noſtram eſſe adiuturum. Eſt Collegium Veſtrum, hac praeſertim aetate, virorum tàm nobilium, quàm etiam doctorum laude, conſpicuum. Cuius rei peregregia documenta Vos dediſtis*, Praelati *nobis* Exoptatiſſimi: *quorum alter, in gerendis graviſſimis, cùm Praeſulum, tùm univerſae Dioeceſeos negotiis, glorioſe conſenuit; alter in vindicandis Capituli iuribus integritatem ſuam, prudentiamque maximè probavit. Te igitur, Optime ſenex, in cuius fideli ſinu, graviores Paſtoralis ſolicitudinis noſtrae curas depoſituri ſumus, tenerrimo amplexu excipio. Teque, huius Neſtoris perdigne Comes, pari amore proſequor. Reliquos omnes Fratres Veſtros paterno animo complector. Religioſeque vobis promitto, me, ad Veſtra iura, commoda, ornamenta, non tantum conſervanda, ſed etiam amplificanda, curam omnem eſſe adhibiturum: omnique opera effecturum, ut me* ANDREAE *illius* CHRYSOSTOMI ZALUSCII, *cuius nomen apud Vos tam ſanctum eſt, haud indignum nepotem cognoſcatis.*

XVII.

Principem, in Regiae Eccleſiae Collegiatae Varſavienſis Capitulo, locum auctoritatemque tenet Wollowicius, Luceorienſium egregius ſanctusque Praeſul. Ei proximus

mus Szembecius, Regiorum Poloniae, Saxoniaeque Principum, Alberti atque Clementis Cancellarius, optimarum omnium artium cultu, ſuavitate morum, peritia linguarum, prudentia quoque ac uſu rerum conſpicuus. Hunc excipit, lucidum Eccleſiae Orthodoxae ſidus, praecipuumque litteratae Poloniae decus, ZALUSCIUS, Kioviae ac Czerniechoviae Antiſtes. Cui conjungitur OSTROWSCIUS, Livonienſium & Piltinenſium Epiſcopus, maxima animi atque ingenii virtute praeditus. Subſequuntur deinde, SZYMANOWSCIUS, et SLUZEWSCIUS, pari humanitate ac gravitate praeſtantes: WIERZBOWSCIUS, et CIECISZEWSCIUS, et WLOSZKIEWICIUS, pietatis ſtudio mihi cogniti: Vincentius, humana omni ſapientia, doctrina, litterisque excultus: Taczanowscius, leniſſimus et natura, et conſuetudine, et diſciplina: Rokitnicius, vir admodum prudens, gravis, et integer: Ignatius Minasowicius, priſcae virtutis ac ſanctimoniae exemplum: Crenius perdoctus, iuſtique ac recti tenaciſſimus: Turscius, vir elegantioris ingenii et iudicii, comtaeque facundiae, multae etiam eruditionis, ac varii in Republica uſus: Franciscus Sierakowscius, notus mihi ſummae modeſtiae atque innocentiae laude: Caietanus Solticus, magni illius Principis,

Cracoviae Praeſulis nepos, indole praeclara iuvenis, et ingenio ſupra aetatem acri, admirabilique virtutum omnium, ac liberalium diſciplinarum cupidine: Sieminscius, adoleſcens doctus ac politus: Andreas denique Mlodzieiowscius, vir ſagaciſſimus, peritiſſimusque rerum patriarum omnium maximarum.

XVIII.

OSTROWSCIUS, Livoniae Praeſul, ad omnia ſumma natus, Vladislavienſis quoque Epiſcopatus Coadiutor, cum ſucceſſionis iure, eſt factus. PODOSCIUS, magnus Regni Referendarius, Cancellarii ſimul munere, apud XAVERIVM, Regium Poloniae, ac Saxoniae Principem, eiusque fratrem, CAROLUM, Curoniae atque Semigalliae Ducem, adhuc fungitur. Idem ille opimam, praeclaramque Miechovienſium Canonicorum Regularium Praepoſituram, à Principe SOLTICO, Cracoviae Epiſcopo dimiſſam, facile impetravit. CZERNY, Canonicus ille Cathedralis Cracovienſis, vir acutiſſimi ingenii, atque acerrimi iudicii, plurimisque et graviſſimis artibus, atque virtutibus inſtructus et ornatus, idemque in conſiliis rerum maximarum praeclariſſime verſatus, à magno eo Principe, atque Antiſtite Cracovienſi, cauſarum in Curia ſua Auditor, ac

Iudex

Iudex ſummus eſt renunciatus. STADNICIUS ille, qui Conſtantinopoli, ſexennio continuo, curandis Reipublicae Polonae negotiis, magnum ſane ſtudium, ac perutilem operam patriae ſuae navavit, inito nunc ſacerdotio, à Principe, Cracoviae Praeſule, perbenignè ſtatim Cathedralis ſuae Eccleſiae Canonicis eſt adſcriptus, atque ab iis, Principis Eiusdem hortatu, Iudex ad cognoſcendas, in Supremo Regni Tribunali, eccleſiaſticorum cauſas, delectus.

XIX.

KOMOROWSCIO, caeleſti ſede recepto, in Gneſnenſem Archiepiſcopatum, totiusque Regni Poloniae Primatum, ingenti omnium conſenſu, atque applauſu ſucceſſit, mitiſſimus ille, publicaeque quietis cupidiſſimus LUBIENSCIUS, Archipraeſul antea Leopolienſis. Immanem Catholicae Eccleſiae iacturam attulit mors IOSEPHI EUSTACHII SZEMBECII, Plocenſis Epiſcopi, quo nihil potuit eſſe, neque gravius, neque ſanctius, neque doctius. In cuius locum, iam ſuffectus eſt HIERONYMUS SZEPTYCIUS, pietate in Deum, candoreque animi, nulli ſecundus. Camenecenſis infula data eſt KRASINSCIO, magni animi, doctiſſimique ingenii Praeſuli. Maioris Regni Secretarii munus, KIERSCIO, Suffraga-

neo ac Praepoſito Cathedrali Poſnanienſi, eximia eruditione atque religione viro, tributum. Wangrowiecenſis Abbatia, exeunte ſuperiore anno, collata eſt Rzewuscio, Leopolienſis Eccleſiae Metropolitanae Cancellario, liberali omni doctrina imbuto, plenoque humanitate.

XX.

Presbyterorum Miſſionis Saecularium congregationi Polonae, perpetuò praeeſt Sliwicius, vir excellenti animo atque ingenio, peracri iudicio, et varia, ac recondita doctrina inſtructus, et ad inſtaurandam, atque propagandam ſacrorum diſciplinam, quaſi caelo demiſſus. Scholarum Piarum provinciam Polonam nunc moderatur Alexius Ozga, vir doctrinae elegantia, morumque dulcedine, ac ſuavitate commendatiſſimus. Praepoſitus provincialis Societatis Ieſu, in Polonia Maiore, eſt Kozminscius, ornatus uberrimis artibus, atque virtutibus. Munere eodem, in Polonia Minore, fungitur Dambrowscius, vir religione, vitaeque innocentia ſingulari. Provinciam Maſoviticam, primus omnium, regit Korycius, vir, et ingenio, et prudentia acutiſſimus, omnique eruditionis genere perfectiſſimus. Kielpscius, eloquentiae ac ſapientiae laude celebris, Varſavienſi magno Collegio, ac Domui Profeſſae, eſt praefectus.

Iſrael, vir aequè pius ac doctus, Carolo, Regio Poloniae, ac Saxoniae Principi, Curoniaeque Duci, conſcientiae eius moderator addictus.

XXI.

Narolscius, graviſſimus Societatis Ieſu Presbyter, ac magni nominis, in urbe Leopolienſi, Eccleſiaſtes, De Suprema Romani Pontificis Auctoritate, Nec non Polonorum In Avita Religione Conſtantia, Adverſus Titelii Epiſtolam, peculiare opus in vulgus edidit, quod ad omnes univerſè Haereſes, ſive exterminandas, ſive cùm aliorum, tùm huius praeſertim Regni aditu prohibendas, inſervire poſſit. Eadem in urbe, ſumptu Principis Lubienscii, Archipraeſulis tum Leopolienſis, iam Gneſnenſis, Archiepiſcopi, totiusque Poloniae Primatis, denuò excuſa, Praxis Epiſcopalis, Pauli Piasecii, Epiſcopi Chelmenſis. Cui nunc ſubiunctum eſt, Benedicti Papae XIV, Bullarium, quo Epiſtolae, et Conſtitutiones, pro Regno Poloniae, tùm et aliae ſelectiores, pro Univerſa Eccleſia editae, continentur. Chodykiewicius, Sacerdos familiae Dominicanae, noſtra aetate doctiſſimus, in Leopolienſi, hoc eſt, celeberrimo provinciae totius Roxolanae Cœnobio, primariam S. Theologiae cathedram meritò obtinuit. Publicavit ille iterum, Vitam S. Clementis, Maximi Pontificis Atque Martyris, ſtylo iam uberiore expoſitam, adauctamque accurato recenſu ſanctiſſi-

ctiſſimorum, ac clariſſimorum eorum hominum, qui Clementis nomine inſigniti fuêre. PUTEANO, Dominicanae quoque diſciplinae alumno, in Cœnobio Varſavienſi, S. Theologiae docendae munus eſt datum. Praeclaro, ac perdocto huic viro, Iudaismum Convictum, ſeu Demonſtrationem Evidentiſſimam, Legem Veterem ceſſaſſe, promiſſum Meſſiam adveniſſe, Eumque eſſe Ieſum Chriſtum, invictis argumentis, è Vaticiniis antiqui Teſtamenti, Deductam, atque ante hos duos annos publicè editam, debemus.

XXII.

GRABOWSCIUS, praeſtantiſſima animi atque ingenii indole juvenis, à magno patruo ſuo, Varmiae Principe atque Antiſtite, ſacris initiatus, Bononiam, veterrimam eam doctrinarum ſedem, adibit. Huius itineris dux ei addetur, ANTONIUS MARIA BONANNI, Presbyter Theatinus, elegantiſſimis ſtudiis, atque honeſtiſſimis moribus praeditus. LAURENTIUS Carmelita, iſte litteratiſſimus Apoſtolici Nuncii Theologus, à ZALUSCIO, Kioviae Epiſcopo, ingenii ac ſtudiorum, hacce noſtra aetate eminentiſſimo, mirandum in modum contendit, ut in publicae Bibliothecae ſuae aedibus, à viris eccleſiaſticis, in hac urbe doctiſſimis, menſibus ſaltem ſingulis, academicos coetus fieri permittat, in quibus ſelecta ac praecipua, è veteris Eccleſiae hiſtoria atque ritibus, argumenta pertractentur. Praeſulis illius auſpicio conſilioque, IOSEPHUS MINASOWICIUS, digniſſimus IGNATII nepos, *M. Valerii Martialis Spectaculorum Librum*, Polonico novo, eoque multò venuſtiore cultu exornatum,

tum, in publicum protulit. FRIESIUS, vir doctus, ac Poloniae omnis antiquitatis, veterumque Scriptorum noſtratum in primis peritus, *Stanislai Socolovii Peregrinum, Sive Laeſae Virtutis Querelam*, ex Manuſcripto Bibliothecae ZALUSCIANAE, in hanc communem edidit lucem, praemiſſa auctoris vita, operumque eius notitia.

XXIII.

LEO ille RAUCH, ſanctiſſimus ſimul, ac ſapientiſſimus è Societate Ieſu Presbyter, religioſiſſimi Regis noſtri conſcientiam pie aequè, ac prudenter moderari, ab optimo quoque exiſtimatur. Gratiſſimus Primoribus Regni, atque etiam Nobilibus. Univerſo autem Ordini Sacro maximè acceptus. STANISLAUS SOLTICUS, magni Cracoviae Principis atque Praeſulis frater patruelis, vir adhuc admodum adoleſcens, ingentis tamen animi, ac maximi ingenii, ſpectataeque et prudentiae, et virtutis, nobiliſſimae illius Reſidentiae Varſavienſis, Provinciae Poloniae Minoris inſertae, Superior eſt factus. MALECIUS, vir cultiſſimis moribus, et multiplici eruditione, ſuavique, ac blandè in animos influente facundia, in primariis huius urbis Eccleſiis, perſaepe ad populum ſermonem habet. LESNIEWSCIUS, in illuſtri Collegio Oſtrogienſi, nobiliores iuvenes rhetoricen cum ſumma laude docet. Huic et tribuitur, terſa atque elegans, *De Principe In Regno Poloniae Pontificatu, In Celſiſſimum Principem* CAIETANUM SOLTYK, *Cracovienſem, Nec Non Totius Minoris Poloniae, Sacrorum Antiſtitem, Ducem Ac Dominum Severiae, Pro Magnis In Publicum Promeritis Collatum, Gratulatio*, univerſae Provinciae Minoris Poloniae nomine, emiſſa.

XXIV.

Rex WESSELIUM, magnis ingenii, corporisque dotibus praeditum, Lanciciae Palatinum ſua ſponte creavit. Mſcislavienſis Palatinatus, ante duos fermè annos, datus eſt CONSTANTINO PLATER, docto ſane viro, nec hiſtoriarum minùs, quàm legum ac conſuetudinem patriarum perito, miraque, in agendis publicis negotiis, diligentia ac fide. Cui ſtatim, in Polocenſem Caſtellaniam, ſucceſſit ADAMUS BRZOSTOWSCIUS, vir animo ac forma praecellens. DOGIEL inſignem omninò famam *Codice* ſuo *Diplomatico* meret. Primus modò tomus, ad nos perlatus. Qui, *Foedera, Conventiones, Litteras, Et Cuiusque Generis Acta Publica, Inter Regnum Poloniae, Et Bohemiam, Hungariam, Auſtriam, Daniam, Bavariam, Marchiam Brandeburgenſem, Rempublicam Venetam, Saxoniam, Galliam, Ducatum Brunſvicenſem, Hollandiam Atque Tranſylvaniam*, comprehendit. Promovet maximè hoc immortale opus Principis CZARTORYSCII, magni Lituaniae Cancellarii, auctoritas. DEMBOWSCIUS, Vladislaviae Praeſul, et ZALUSCIUS, Kioviae Antiſtes, in communicandis, cum Editore, graviſſimis certiſſimisque Patriae monumentis, admirabili atque incredibili quadam voluptate certant.

XXV.

Iam SIERAKOWSCIUS, Leopolienſium Archiepiſcopus, ritu ſolemni eſt inauguratus. WODZICIUS, Procancellarius Regni, Praeſul omnium graviſſimus atque integerrimus, Premisliae infulam invitus, ac penè coactus acceptavit. MLODZIEIOWSCIUS, maximi illius ZALUSCII, Cracoviae quondam Antiſtitis, Severiaeque Ducis Achates, eundem honoris ac fidei

ſidei locum, apud Principem LUBIENSCIUM, hodiernum Gneſnenſem Archipraeſulem, Regnique Poloniae Primatem, obtinuit. GEORGIUS *de Exlow* HYLZEN, doctus ille, ac ſanctus Smolenſcenſium Epiſcopus, AUGUSTI III, et CLEMENTIS XIII, Maximi Pontificis conceſſione, GABRIELEM WODZINSCIUM, Vilnenſis Eccleſiae Cathedralis Canonicum, doctrinae quoque, ac prudentiae, pietatisque laude clariſſimum, Coadjutorem atque ſucceſſorem ſibi aſſumpſit. WIELOGLOWSCIUS, Cathedralis Scholaſticus Cracovienſis, gravis ac ſapiens vir, Premislienſium Suffraganeus eſt creatus. DOMINICUS KIELCZEWSCIUS, Cracovienſis Cathedralis Canonicus, eccleſiaſticis diſciplinis eruditiſſimus, Chelmenſis Suffraganei honorem aſſecutus.

XXVI.

BIELINSCIUS, magnus Poloniae Mareſchalcus, totius Reipublicae ſolatio, feliciſſimè ſanitati eſt reſtitutus. EUSTACHIUS POTOCIUS, vir primae nobilitatis, magnitudineque animi, et conſtantia praeſtans, Praefecturam rei tormentariae, in Lituania, adeptus. MLODZIEIOWSCIUS, ille Metropolitanus Gneſnenſis, atque Cathedralis Cracovienſis Canonicus, ſpectatae iam abundè integritatis, ac ſapientiae vir, in Curia Primatiali, cauſarum Auditoris ac ſummi Iudicis munere, egregie fungitur. Depoſitum, ab eo, Varſavienſem Canonicatum accepit WYSZYNSCIUS, prudentia ac fide, optimo cuique, maximè probatus. MELINE meus, Livonienſis Eccleſiae Cathedralis eſt Cancellarius, Inſignisque Collegiatae Lovicenſis Canonicus, vir ſummae virtutis, liberalique omni doctrina politiſſimus, ac nobilium fere omnium linguarum gnariſſimus.

niſſimus. SLOMINSCIUS, ſcientia iuris, ac patriarum legum peritia cumulatè inſtructus, plenusque ingenii atque conſilii, Minoris Regni Tabularii praefecturam, iam per quinquennium, aut etiam ſupra gerit. ALOY, ſagacis expeditique vir ingenii, hoc anno ineunte, à Regio Poloniae Principe, CAROLO, Curonum Duce; Conſiliarius ac reſidens, apud Aulam Regiam Polonam, Miniſter eſt conſtitutus. GIULIANI, Regius apud Fulgidam Portam Ottomanicam Interpres, doctiſſimus ſane elegantium hominum, doctorumque elegantiſſimus, à Rege donatus Marchionis honore.

XXVII.

BAIERUS, Praeſul perſapiens ac doctus, comis item atque beneficus, iuſtitiaeque tenax cuſtos, Culmenſium atque Pomeſanienſium Pontificatum, ſumma bonorum omnium gratulatione, ſuſcepit. Hoc etiam anno, magno Regni huius Theſauri Tribunali, optimi ipſius, maximique Regis nomine, praeſedit: futuroque praeſidebit. GRANOWSCIUS, clariſſimi huius nominis praefulgens ornamentum, in SWIDZINSCII, ſoceri ſui locum, Ravenſis Palatinus eſt ſuffectus. Caſtellania Czerſcenſis concredita SUFFCZYNSCIO, viro non praeclara tantum animi indole, eximiaque oris atque corporis dignitate, ſed ſingulari quoque dicendi facultate. multaque legum, ac rerum omnium patriarum ſcientia, ſummaque in tractandis negotiis dexteritate, commendato. Suprema Regii, apud Lituanos, cubiculi Praefectura, STANISLAO RADIVILIO, illi magno Principi, ac rebus omnibus excellenti, delata. Inciſoris ibi munus, MICHAELI Comiti SAPIEHAE, excelſi animi atque ingenii adoleſcenti, demandatum.

XXVIII.

XXVIII.

IOSEPHUS ZALUSCIUS, electus Kiovienſis, et Czerniechovienſis Epiſcopus, ipſo eo die, qui Divo CAROLO Cardinali BORROMAEO, ſanctiſſimo ac doctiſſimo Mediolanenſis Eccleſiae Archipraeſuli, ſacer habetur, in publico Regio Oratorio, Rege coram atque Regni Proceribus, à magno anteceſſore ſuo, Principe SOLTICO, Cracovienſi nunc Antiſtite, ſplendidiſſima pompa eſt conſecratus, atque inſignibus pontificiis decoratus. Adiumento, Praeſuli Conſecratori, fuêre MARTINUS ZALUSCIUS, Suffraganeus Plocenſis, germanus IOSEPHI frater, et ANTONIUS SEBASTIANUS DEMBOWSCIUS, Vladislavienſium Epiſcopus, maximis affinitatis vinculis, utrique coniunctus. Conſecrato Epiſcopo, offerenda Conſecratori duo intortitia accenſa, à WESSELIO, Lanciciae Palatino, et MALACHOWSCIO, magno Poloniae Cancellario, ſubminiſtrabantur. Panes ſuggerebantur, à TWARDOWSCIO, Caſtellano Mederecenſi, et Principe Lubomirscio, Regni Enſifero. Vinum, à Moszynscio, Wanwalnicenſi Praefecto, & Zaluscio, Groieciae Gubernatore, porrectum eſt. Andreiovienſem Abbatiam, nobilem valde ac praedivitem, commendatione Principis Cracoviae Antiſtitis, obtinuit Adamus Przerembscius, Canonicus Cathedralis Vladislavienſis, liberali indole, probatisque moribus adoleſcens. Stanislaus Potkanscius, Plocenſis Eccleſiae Cathedralis Scholaſticus, priſcae gravitatis innocentiaeque vir, à Martino Zaluscio, Eccleſiae eiusdem Suffraganeo, atque Decano, Suleiovienſis Abbatiae Coadiutor adſcitus. Hicce Stanislaus, germanus frater eſt, Francisci illius Potkanscii, Suffraganei et Canonici, Generalis etiam

Vicarii,

Vicarii, atque Officialis Cracovienſis, qui propter inſignem vitae modeſtiam, doctrinam, atque prudentiam, caeteraſque dignas orthodoxo Praeſule dotes, à Principe Cracovienſium Epiſcopo magni habetur.

XXIX.

GORZENSCIUS, Cancellarius Cathedralis Eccleſiae Cracovienſis, et Praepoſitus Collegiatae Pilicenſis, acutioris vir ingenii, iudiciique paris, Cracovienſium Antiſtitum geſta, ad Principem SOLTICUM, hodiernum Epiſcopum, perſequetur. CLEMENS HERKA, Inſignis Eccleſiae Sanctorum Omnium Collegiatae Cancellarius, Iuriſque pontificii & civilis, in Cracovienſi Univerſitate, Profeſſor publicus, *Quaeſtionem, De Fama*, doctiſſime et copioſiſſime tractatam, illi Principi, hodierno Praeſuli, dedicavit. Opuſculum, ſingulari gratiae benignitatiſque indicio, acceptum eſt. Auctor, ſurrogatus Curiae Epiſcopalis Iudex, atque Conſiliarius intimus, creatus. CASIMIRUS STEMPLOWSCIUS Inſignis Eccleſiae S. FLORIANI Collegiate Canonicus, atque ordinarius S. Theologiae Profeſſor, divinis litteris egregie doctus, Seminarii Academici SALUSCIANI praefecturam gerit perpetuò. Edidit nunc *Pias Meditationes* ſuas, initiandis clericis accommodatas. ZOLENDZIOWSCIUS, Canonicus Eccleſiae S. ANNAE Collegiatae, et Praepoſitus Olcuſienſis, idemque Philoſophiae moralis Profeſſor publicus, homo diſertus ſimul, et eruditus, Romae cauſam agit, de Divo IOANNE CANTIO, praecipuo Cracovienſis Academiae lumine, totiuſque Regni Poloniae cuſtode tutelari, conſueto S. Sedes Apoſtolicae more, in Sanctorum numerum referendo.

XXX.

Iucundiſſimi, in Germania, absque auctoris nomine, prodiêre *Memoires Sur Le Gouvernement De La Pologne*. Quos ego, STEINHÆUSERO, Regio Conſiliario, ac primario redituum Regiorum Collegii aſſeſſori, prudenti ſane viro, atque gravi, Reique Publicae Polonae maximè gnaro, omninò attribuo. Namque eum, in contexendo iſtoc opuſculo, perſaepe deprehendi. Idque, ipſius manu exaratum, oculis meis ter et quater perluſtravi. DUNCZEWSCII, probiſſimi, et domeſticarum antiquitatum peritiſſimi viri, *De Gentibus, Et Familiis Polonorum, Nobilitate Sua, Et Factorum Gloria Clariſſimis*, opus vernaculo ſermone conſcriptum, Cracoviae, in illo typographeo, quod à B. IOANNE CANTIO cognomen habet, folii magnitudine eſt excuſum. Duo in volumina diſtinguitur. ZAMOISCIORUM atque ZALUSCIORUM, OBORSCIORUM quoque, ac FIRLEIORUM gentes, et accuratius, et uberius, quam reliquae, enumerantur. CHMIELOWSCIUS, *Novarum Athenarum, ſive Academiae Scientiarum omnium*. quartum publicavit volumen, compendiaria exhibens totius terrarum orbis deſcriptionem. In qua ubique uſus eſt, Principis LUBIENSCII, hodierni Poloniae Primatis, *Coſmographia*, alibi à nobis dilaudata.

XXXI.

NARUSSEWICIUS, clericus Societatis Ieſu, doctrinae et gravitatis laude conſpicuus, publica auctoritate, poëticen in Academia Vilnenſi tradit. Huius cura atque diligentia, REVERENDI PATRIS, MATHIÆ CASIMIRI SARBIEWSKI, E SOCIETATE IESV, POEMATA, *Ex Vetuſtis*

tuſtis Manuſcriptis, Et Variis Codicillis, Olim Ab Auctore Diſſimulato Nomine Editis, Deprompta, Et In Unum Collecta, in vulgus exierunt. KSIENZKIEWICIUS, moribus atque litteris ornatiſſimus, in Pultovienſi Collegio, oratoriae artis explicat praecepta. Is, in ZALUSCII, Kioviae Antiſtitis, primum ſacrum pontificio ritu facientis, honorem, Provinciae totius Maſoviticae nomine, haud ignobile edidit carmen. PYRRHYS à VARILLAEO, Eques Gallus, prae eſt SANGUSZKONUM, Principum iuvenum, inſtitutioni.. Vir eſt limati ac politi iudicii, varia repletus eruditione, gnarusque rerum omnium polonicarum. Documento poteſt eſſe illius *Compendium Politicum, Seu Brevis Diſſertatio, De Variis Poloni Imperii Vicibus. In qua Reipublicae, ſive Libertatis, nec non in Comitiis Vetandi Iuris Origo, Progreſſus, et Status praeſens, novâ methodo inquiruntur, et ad calculum usque deſcribuntur.*

XXXII.

ZALUSCIUS, traditum divinitus ſibi Kioviensem Epiſcopatum, feliciter eſt ingreſſus. Incredibili favore omnium hominum, aetatum, ordinum exceptus, Priſco pontificum more, in munus ſuum, incumbit. Namque ipſe, ſumma cum gravitate maieſtateque, ex ſuggeſto ad populum loquitur. Ipſe ſacroſanctum adminiſtrat Euchariſtiae ſacramentum. Ipſe id publicae defert ad aegrotos. Ipſe quoque demortuorum pauperum corpora ſepelit honorifice. Solemni pompa veneratus eſt *Divinam Virginem Matrem* Berdiczovienſem. Ubi Patres Carmelitae, docti ac ſancti viri, omne humanitatis atque pietatis genus, luculentiſſime ei teſtatum fecêre. Peracta, ingenti Cleri celebritate, ſynodô, pontificiis condecoratus inſignibus, GORCZYNSKIUM Kioviae Decanum, BIELZYNSCI-

UM

um Praepoſitum, Rosciszewscium Scholaſticum, Kabczewscium Czerniechoviae Archidiaconum, Iosephum autem Kochanowscium, et Zbrozecium, et Janocium, Kiovienſes Canonicos, cunctos atque omnes Cathedrales inſtituit. Gorczynscium praeterea, generalem Vicarium, atque Officialem ſuum, renunciavit. Kioviam, celeberrimam eam Praedeceſſorum ſuorum ſedem, animi cauſa acceſſit. Spectandis Baſilicis, Aulis Academicis, Pieczarienſibus Cryptis, aliisque memorabilibus, totos dies ſeptem impendit. Tantis, à Graeco Metropolita, Gubernatore urbis, eiusque Magiſtratu, Coetu quoque Academico, et maiorum Coenobiorum Abbatibus, acceptus cultusque honoribus, quantis, et celebratiſſimus Poloniae Praeſul, et litterarum in Patria ſua dux atque princeps, potuit dignus exiſtimari.

XXXIII.

Dives rutenicus Vlodimiriae Epiſcopatus, ante annos tres, datus eſt Philippo Feliciano Wolodkiewicio, Roxolanae Metropoliae adiutori, gravi et erudito Praeſuli. Cui Maximilianus Ryllo, Coenobii Baſiliani Chelmenſis quondam Superior, doctrina atque probitate commendatiſſimus, in pontificiam Cathedram eiusdem urbis ſucceſſit. Sortitus eſt Smolenſciae Archiepiſcopatum Caesarius Stebnowscius, ille prudentiſſimus ac litteratiſſimus S. Onuphrii Abbas. Leo Szeptycius, Rutenus Leopolienſium Antiſtes, Cathedralem Eccleſiam ſuam, magnifico ſumptu renovat atque amplificat. Clericos quatuor, in Vlodimirienſi Gymnaſio, alit. Binos in illuſtri Graecorum, in Urbe Romana, Collegio ſuſtentat.

XXXIV.

Mniſzechius, curiae Regni Mareſchalcus, et generalis Poloniae Maioris Praefectus, ſupremum in gratia regia locum merito obtinens, Krzyczevienſi auctus eſt Praefectura, Lituaniae totius opulentiſſima. Creatus huius Magni Ducatus Vexillifer, Stanislaus Rzewuscius, primogenitus Venceslai, Palatini Podoliae, minorisque Regni copiarum Ducis filius, belli atque pacis artibus inſtructiſſimus. Ornatus Lituani Subdapiferi dignitate, Ignatius Pacius, tàm animi virtute, quàm corporis ſpecie eminens. Victor, ille Canonicus Varſavienſis honorarius, ingenii ſummi ac ſapientiae vir, erudiendae Regii atque Electoralis Principis numeroſae proli eſt praepoſitus. Daniel Kraszewscius, doctiſſimus ac religioſiſſimus Vitoviae Abbas, emiſſo tertio, *De Vitis Sanctorum Praemonſtratenſium*, volumine, ad caelites eos exceſſit.

XXXV.

Sbanscius, Varmiae Praeſul, claro ſplendidoque apud Polonos genere, natus eſt. Parentes eius Calvini ſectae admodum dediti fuère. Ipſe adoleſcentulus Lublini, à Societatis Jeſu presbyteris, cum litterarum artiumque cultu, Romanos Dei colendi ritus, percepit. Sumta deinde ſacerdotali toga, non ſolum Archidiaconus Gneſnenſis, verum et Cuſtos Sandomirienſis, et Decanus Lovicienſis, eſt renunciatus. Poſtea Varſavienſibus Canonicis adſcriptus. Ac ſummis, quae Petricoviae et Lublini habentur, Iudiciis praefectus eſt. A Casimiro Floriano Principe Czartoryscio, deſignato Gneſnenſium Archipraeſule, Regnique Poloniae Primate, Romam, petendi pallii cauſa, miſſus. Unde reverſus, Miechoviae Praepoſiti Generalis locum

occupavit. A Ioanne tertio Rege, Premisliae Antiſtes, ac perpetuus Abbatiae Suleiovienſis Adminiſtrator, creatus. Etiam Mariae Casimirae Reginae Cancellarius factus. Tum vero ampliſſimae, à Rege ac Regni Ordinibus, ad Summum Pontificem, ad Romanum Imperatorem, ad Venetam Rempublicam, legationes ei mandatae. Quibus praeclare obitis, ad Varmiae Pontificatum traductus eſt. Eum paullo cis nonum annum tenuit. Exeunte menſe Maio, anni à C. N. MDCXCVII, ab hominibus receſſit. Sanctiſſime vixit. Cupidiſſimus ſtudiorum, doctorumque hominum amantiſſimus fuit. Atque eos in primis liberaliter habuit, qui repudiata, aut Luteri, aut Calvini diſciplina, ad avitum ſacrorum morem rediêre. Multam et ſplendidam librorum ſupellectilem comparavit, eamque Varmienſi Eccleſiae Cathedrali teſtamento legavit. Nummos quoque veteres ſtudio maximo conquiſivit. Quorum index, propria eius manu conſcriptus, Varſaviae in publica ZALUSCIANA Bibliotheca ſervatur. Cum Constantinus Brzostowski, Vilnenſis Epiſcopus, Casimirum Sapieham, tractus illius Palatinum, ſummumque copiarum Lituanicarum Ducem, ob collocatos in bonis Epiſcopatus ſui milites, aqua et igni interdixiſſet; eaque res, in celeberrimo Poloniae conventu, ab Senatu, et ab Equeſtri Ordine, admodum vehementi ageretur animorum contentione; Sbanscius rogatus ſententiam, Epiſcopi patrocinium ſuſcepit, gravemque, pro Eccleſiaſtici Ordinis Immunitate, orationem habuit. Eam Polono, quo recitavit, ſermone ſeorſim in vulgus emiſit MDCXCV, fol. Latine verſam, Epiſtolarum ſuarum Hiſtorico-Familiarum Tomo I, p. 1471--1488, inſeruit, qui, in demortui locum, Varmiae Epiſcopus ſuffectus eſt, Andreas Chrysostomus ZALUSCIUS. Idem etiam praeclariora Sban-

ſCII geſta paſſim notavit. Plura tamen, de eo, leges in GOTFRIDI LENGNICHII, Geſchichte der Preuſſiſchen Lande, Polniſchen Antheils, unter der Regierung der Könige Michaëls, und Iohann des dritten, p. 268. et 295, ſq. inque eiusdem, Geſchichte der Lande Preuſſen Polniſchen Antheils, unter dem Könige Auguſt dem zweyten, p. 3. 13. 14. 19. 20. 21. 23. et 24, ſq. Quibus adjungenda, quae ADAMUS NARAMOWSKI, in Facie Rerum Sarmaticarum, Part. II. p. 465, ſq. et 521, ſq. atque GASPAR NIESIECKI, in opere vernaculo, Korona Polſka inſcripto, Vol. IV. p. 710, de eo, memoriae tradiderunt.

XXXVI.

SBANSCIO Praeſule, viguit STANISLAUS BUZENSKI Polonus, Cathedralis Eccleſiae Varmienſis Decanus, et Vicarius generalis. Ortus erat familia vetere et honorata. Cracoviae, omnis divinae humanaeque litteraturae praeceptis imbutus, inſignia Doctoralia obtinuit. Factus ſubinde eſt Gneſnenſis Eccleſiae Canonicus, ſimulque Cancellariae Regni Praeſes conſtitutus. A MICHAELE Rege graviſſimis legationibus domeſticis admotus. Ab illo eodem Canonicatu Cracovienſi valde opulento auctus. Poſt, cum MICHAEL STEPHANUS RADZIEIOVIUS, Varmienſis Epiſcopus, in purpuratum Romanae Eccleſiae ordinem reciperetur, ab eo conquiſitus eſt, et delectus nuncius, qui INNOCENTIO XI, Pontifici Maximo, gratum animum ac debitum obſequium declararet. Redux Varmienſis Decani dignitate exornatus. Denique, à IOANNE STANISLAO SBANSCIO, qui RADZIEIOVIO Cardinali in Varmienſi Epiſcopatu ſucceſſerat, honore Vicarii et Iudicis generalis accumulatus eſt. Munus Proëpiſcopi, à IOANNE MALACHOVIO, optimo et clariſſimo Cra-

covien-

coovienſium Praeſule, oblatum renuit. Humanis rebus, in ipſo ſenectutis limine, ereptus eſt, Aprili menſe eius anni, qui fuit à Chriſto nato nonageſimus ſecundus, ſupra mille et ſexcentos. In toto vitae curſu nobilioribus litteris, et praeſertim hiſtoriis, mirifice delectatus eſt. Scripſit et graviore conſilio laboreque juſtum volumen: De Vitis Archiepiſcoporum Gneſnenſium, Et Regni Poloniae Primatum: quod, non ſine Reipublicae damno, in tenebris latet.

XXXVII.

Christophorus Szembecius, Varmiae Antiſtes, STANISLAI, Archiepiſcopi Gneſnenſis, Regnique Poloniae Primatis, cum vitae integritate, tum etiam Reipublicae moderandae ſcientia celeberrimi, frater germanus fuit. Prima aetate, in liberalibus ſtudiis, domi foriſque peracta, in Cracovienſium Canonicorum numerum relatus eſt. Mox Lovicienſis Cuſtodis titulo auctus. Et Miechovienſis Praepoſiti Generalis dignitate ornatus. Magni etiam in Regno Polono Secretarii munere honoratus. Tunc autem Chelmenſi, et aliquanto poſt Premislienſi, extremò Varmienſi infula donatus. Albaeque aquilae inſigni condecoratus eſt. Plenus annis atque honoribus, nobis deceſſit, anno ſalutis generis humani MDCCXL, ſuſcepti Varmiae Epiſcopatus XVI. Fuit decora facie, eximiaque virtute, et praeſtanti facundia. Multisque praeditus litteris, ac rerum divinarum imprimis peritus. Hic eſt ille Szembecius, qui à Rege, ac Regni Ordinibus, in Curoniam miſſus, novam in eo Ducatu regiminis formam conſtituit. Eius ſingularem in Eccleſia adminiſtranda ſolertiam, tot Paſtoralia Opuſcula, ab eo in lucem prolata, abunde teſtantur. Quorum index accuratus

ratus à nobis exhibitus eſt, in Polonia Litterata Noſtri Temporis, p. 131. ſq. Claros nomine ſapientiae viros perdiligenter coluit. Societatis Ieſu presbyteros incredibili ſtudio ac benignitate complexus eſt. Lectoque et ingenti librorum acervo Reſſelienſis Collegii bibliothecam ditavit. Huius laudatiſſimi Praeſulis memoriam poſteritati commendavit ſtudioſiſſime GASPAR NIESIECKI, in Corona ſua Polonica, Vol. IV. p. 274.

XXXVIII.

Vivit adhuc ſingulari Dei munere, et exornat noſtrae aetatis gloriam, ADAMUS STANISLAUS GRABOWSCIUS, Varmiae Princeps atque Epiſcopus. Patre natus, ANDREA, Caſtellano Culmenſi, viro integerrimo, et optimo Senatore. Matre, BARBARA KLEISTIA, femina ſplendidi generis, ſummaeque virtutis. Artes liberales utriusque generis, ab ineunte aetate, ſtudioſiſſime coluit. Inito ſacerdotio, ad IOANNEM ALEXANDRUM LIPSCIUM, Luceoriae tum Praeſulem, et Regni Procancellarium, Cracovienſem deinde Antiſtitem, Sanctaeque Romanae Eccleſiae Cardinalem, ſe contulit. Eumque in ſcribendis ſecretis epiſtolis iuvit. Cognita eius fide, ingeniique dexteritate, ad difficillima Reipublicae negotia, ab eo eſt adhibitus, omniumque conſiliorum intimorum factus particeps. Ampliſſimis quoque praemiis affectus. Namque, et Gneſnenſis, et Leopolienſis Eccleſiae Metropolitanae

nae Canonicis, eſt adſcriptus. Culmenſis etiam Decanus Cathedralis renunciatus. Poſnanienſis autem Cathedralis Eccleſiae, primò Canonicus, poſteaque Suffraganeus conſtitutus. Cum, mortuo AUGUSTO II, Rege Maximo; et filius eius, Saxoniae Elector, ſibi cognominis; et STANISLAUS, Chriſtianiſſimae Gallorum Reginae parens, Regio titulo iam praeditus; ingenti Reipublicae diſſenſione et diſſidio, Reges crearentur: Grabowscius, AUGUSTO III, totum ſe dedidit. Huius quoque nomine, Pontifici Romano Maximo, Clementi XII, ſolemni more obedientiam praeſtitit. Eamque legationem, ex Regis ſententia, bene et feliciter geſſit. Abſens idcirco Culmenſium Antiſtes eſt deſignatus. Obvenit reduci ei praedives Vladislavienſis Epiſcopatus. Quem, indulgente AUGUSTO III, conſentienteque BENEDICTO XIV, cum Varmienſi, Principis iure, Prutenicarumque Terrarum. Praeſidis honore, coniuncto mutavit. A Rege praeterea, in fidei teſſeram, ordinis Aquilae Albae inſigne accepit. A Maximo autem Pontifice, geſtandi Pallii, et prae ſe ferendi S. Crucis ſigni, facultatem ſibi, ac ſucceſſoribus ſuis impetravit. Ab utroque Magni aeſtimatus, et Sapientum numero habitus. Clementi XIII, eximie carus. Summum ei Pontificatum gratulatus, à Sanctitate Sua, hocce tulit reſponſum:

Venerabili Fratri Adamo Stanislao Epiſcopo Varmienſi,

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apoſtolicam Benedictionem. Ex quo Fraternitatem Tuam hic Romae, Epiſcopum tunc Culmenſem agentem, et Polonae Majeſtatis negotiis praepoſitum, noſcere et tractare Nobis datum fuit, nunquam Tui memoriam depoſuimus. Virtutes enim Tuae, quas plurimùm ſemper ſuſpeximus et admirati ſumus, adeo animum Noſtrum perſtrinxerunt, ut nulla locorum longinquitas, nulla temporis diuturnitas, nulla humanarum rerum viciſſitudo earumdem imaginem obliteraverit. Hanc expreſſiùs Nobis repraeſentarunt humaniſſimae literae, quibus et praeteriti temporis memoriam in mentem revocare, et Pontificatum Maximum Nobis gratulari, fauſtisque ominibus proſequi voluiſti. In illis enim dignos Catholico Antiſtite, dignos praeclaris Tuis dotibus ſenſus perlegentes, Te, tamquam praeſentem intueri videbamur. Quapropter Te, Venerabilis Frater, Pontificia caritate proſequentes, debitasque pro meritis laudes tribuentes, et gratam pro officiis voluntatem profitentes, perſuaſum eſſe cupimus, Noſtram in Te benevolentiam atque exiſtimationem magnopere auctam eſſe ex Pontificia ſuprema dignitate, Nobis planè immerentibus demandata: quae certè novo arctiorique vinculo Nos adnectit atque obſtringit. Sed haec luculentiùs explicavimus dilecto Filio, Utriusque Iuris Doctori, VITO ANTONIO de IUSTIS, negotiis Tuis peragendis praepoſito, Nobis imprimis grato et accepto. Ab eo igitur fuſiùs accipies, quantopere gratificandi Tibi occaſiones exoptemus. Interim ut Tuis egregiis de Noſtra tenuitate judiciis, quae quidem ſola Tua pietas efformavit, reſpondere valeamus, tuas ad Deum preces requirimus, dum Apoſtolicam Benedictionem, in populos vigilantiae Tuae concreditos redundaturam, Fraternitati Tuae peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Annulo Piſcatoris, die XX. Septembris MDCCLVIII. Pontificatus Noſtri Annô Primô.

Cajetanus Amatus.

ſumma GRABOWSCIO, Principi et Praeſuli, formae auctoritas dignitasque. Animus ingens et conſtans. Par ei conſilium. Laboris patientia propemodum nimia. Eſt Princeps ille ingenio atque iudicio acutiſſimus, inque noſcitandis occultis hominum voluntatibus perſpicaciſſimus. Reipublicae omnium gnariſſimus. Multisque experimentis eruditus, et qui, futura poſſit ex praeteritis providere. Doctrinis omnibus excellit. Edita eius Scripta, in Lexico noſtro Biographico Polonico, Part. I. p. 41. attigimus. Romani ſermonis facundia, cunctos huius ſaeculi Praeſules, vincit. Permultae nobis ſunt eius Epiſtolae, munditiae, et venuſtatis, et eruditionis plenae. Quas poſteritati religioſe ſervamus. Idem Princeps diſertiſſimus linguarum omnium nobilium, et leporum, et facetiarum. Claris ex doctrinà, ac magnis viris, mire favet. Hoſpites eos laute habet. Donisque et muneribis regiis ornatos dimittit. Componi tamen aliquit de ſe, niſi à praeſtantiſſimis, offenditur. Liberaliſſimus in iuvenes, litterarum amantes. Complures in Urbe Romana, nobiliſſimo illo doctrinarum domicilio, large aluit. E quibus nonnulli, ſtudiis optime exculti, ipſius ope in Pontificium ordinem proceſſerunt. Clerum ſuum, atque populum, pari regit prudentia, ac gravitate. Fidos familiares ſuos, deque ſe meritos, maximis beneficiis cumulat atque honoribus. Severus in omne famulitum ſuum, idemque munificentiſſimus. Magna eius apud Rempublicam auctoritas, nobile apud gentes vicinas nomen.

XXXIX.

Amplum atque nobilem Poſnanienſem Palatinatum accepit FLORIANUS LUBIENSCIUS, Principis Ar-

chiepiſcopi Gneſnenſis, Regnique Primatis, germanus frater, prudentia atque integritate ſingulari praeditus, inque Republica diu multumque verſatus. Obtinuit Caſtellaniam TWARDOWSCIUS, prompti ingenii atque eloquii, ſpectatique et animi, et conſilii commendatione. Doctus ille, et gravis, ſapiensque CZERNY, qui Principi Cracoviae Praeſuli eſt intimus, maximo eo adiutore, Golembienſem nactus eſt Praepoſituram, Cracovienſis Dioeceſeos totius ditiſſimam. WISNIEWSCIUS, grande Piarum Scholarum decus, praeſtitae, in Turcica legatione, egregiae operae ſuae praemium tulit Laibicenſe ſacerdotium, opulentia in Scepuſienſi Comitatu praecipuum. KOLA nunc, apud Culmenſem Antiſtitem, Theologi munus ſuſtinet, cum magna doctrinae ac virtutis laude. DOGIEL, ſummus atque eruditiſſimus vir, Codicis ſui Diplomatici tomum quintum emiſit. In Quo, Vt Vniverſae Livoniae, Ita Speciatim Curlandiae Et Semigalliae Ducatuum Res Continentur. Quocirca eum Regii Poloniae Principis, CAROLI, Curonum Ducis, nomini ſacravit.

XL.

ANTONIUS VICECOMES, Archiepiſcopus Epheſinus, et S. Apoſtolicae Sedis Ordinarius Nuncius, Praeſul integer, et ſuavis, et elegans, perſapiens quoque atque doctus, Regi noſtro mirifice placet. Maieſtas Sua perſaepe ac blande admodum, cum eo, colloquitur. Eumque, et privatim, et publice, accumulat honoribus. Creatus, in demortui CASIMIRI RUDZIENSCII locum, Maſoviae Palatinus, filius eius, MICHAEL nomine, maturae virtutis indole, univerſae Nobilitati gratus acceptusque.

Ceſ-

Ceſſit ille Chencinenſi Praefecturâ, IGNATIO ZALUSCIO, lectiſſimo Kioviènſis Epiſcopi nepoti. Josephus Hylzen, Praefectus Braslavienſis, Ioannis Augusti, Palatini Minſcenſis, magni in Republica viri, optimeque de Patria meriti filius, duo et viginti annos natus, ob eminentes animi dotes, Livonienſem Caſtellaniam conſecutus eſt. Vitovienſes Canonici Regulares, Anselmum Bouffalium, magnae eruditionis atque integritatis virum, Abbatem elegerunt. Brevi, à Principe Lubienscio, Gneſnenſi Archiepiſcopo, Regnique Primate, inaugurabitur. Radlinscius, generalis Miechovienſium Canonicorum Regularium Praepoſitus Infulatus, amantiſſimus atque obſervantiſſimus ZALUSCII, magni Kioviae Antiſtitis, creatum eum Ordinis Aquilae Albae Equitem, copioſo carmine, bis iam excuſo, cohoneſtavit.

XLI.

Eſt Kiovienſium Praeſul, ZALUSCIUS Musageta, pontificia verè, et ſenatoria forma, ut ipſo adſpectu cuivis injiciat admirationem ſui, et venerationem. Corporis dignitati, oriſque gratiae, animi indoles cumulate reſpondet. Namque eſt ſumma fide. Gravis, modeſtus, continens, clemens, patiensque admirandum in modum. Negligens divitiarum et commodorum. Aeternitatis tamen perpetuaeque famae cupidus. Labore, et vigiliis, et periculis invictus. Ingenio, provecta iam aetate, adhuc florentiſſimus. Agendique celerrimus. Pontificium munus exercens avidiſſime. Vacuum, ab eo, omne tempus tribuens Bibliothecae ſuae.

Acer-

Acerrimus librorum, et amator, et auctor. Caeleſti praeditus dicendi maieſtate. Multarum linguarum ſummè diſertus. Fandique earum veneres apprime doctus. Praeſtans liberalibus ſtudiis ac ſanctioribus diſciplinis. Clariſſimus externorum Regum atque Principum familiaritate. Maximisque ingeniis celebratus. Eruditorum virorum perfugium, praemium, exemplum. Ipſarum denique litterarum, iam exulum, reductor ac reformator.

XLII.

Magnus Galliae Regis Legatus, Marchio de PAULMY d'Argenſon, vir ſagaciſſimus, omnibusque ingenuis artibus inſtructiſſimus, Varſavienſes Eruditos ſingulari proſequitur benevolentia. Frequentiſſimus adeſt publicis, et recitationibus, et diſputationibus. Objicere quoque in aliorum argumenta, vel ſua proferre ſolet, acria ſane et gravia. Comes ARANDA, Regis Hiſpaniae magnus Legatus, magnanimus vir, ſplendore vitae, et coenarum praecipuè magnificentia, ſummam in gente noſtra efficit admirationem. ZALUSCIUS, Kioviae Antiſtes, Vilnae lautiſſimè habitus, à LOPACINSCIO, Lituaniae Secretario, et MASSALSCIO, Magni eiusdem Ducatus Referendario, utroque humanitatis atque eruditionis fama clariſſimo. Ab Academia, inſertisque ei iuvenum nobilium Collegiis, variis et copioſis encomiis honoratus. Directo inde, per Regiummontem, itinere, Heilsbergam divertit, pontificiam Varmiae ſedem. Ibi, à Principe GRABOWSCIO, gravitate, et doctrina, et ſapientia, cum priſcae Eccleſiae Praeſulibus conferendo, ſplendide ſuſceptus, et vetuſto atque eleganti Sacrorum Bibliorum codice

dice

dice MSto donatus. Unde ſalvus atque incolumis, ad nos rediit, maxima totius Varſaviae gratulatione.

XLIII.

Lituaniae Procancellarius, MICHAEL SAPIEHA, vir omnium confeſſione maximus, difficillimo Reipublicae tempore, è vita migravit. Obiit quoque LUBIENSCIUS inopina ac luctuoſa nobis morte. Succeſſit iam ei, in Poſnanienſi Palatinatu, gravis admodum et ſagax, iuſtusque vir, ANTONIUS Dux IABLONOWSCIUS, Praefectus Buſcenſis, et Supremi Regni Tribunalis, quod nunc Petricoviae agitur, Mareſchalcus. Deſtinatus Medirecenſi Caſtellaniae CHLAPOWSCIUS, excellens facundia, et religione, et fide. MLODZIEIOWSCIUS, ille Laudatiſſimus optimi Principis atque Archipraeſulis ſui, Regni Primatis ope, Coadiutor Hebdovienſis Abbatiae eſt factus. MOKRONOSCIUS, Cancellarius Cathedralis Plocenſis, candore animi, et probitate morum ſpectabilis, Abbatiae loci illius Coadiutoria exornatus. Interiit Lipſienſium MASCOVIUS, magnum litterati orbis lumen. Rex, diſcipulo eius, BOEHMIO, doctiſſimo viro, omniumque Latinae linguae eloquentia ditiſſimo, Hiſtoriographi ſui munus demandavit.

XLIV.

Splendidum Regni Theſaurarii munus WESSELIO delatum eſt. Datus Lancicienſis Palatinatus, THOMAE SOLTICO, germano Principis Cracoviae Praeſulis fratri, graviſſimo et prudentiſſimo viro. Demortuo

SWI-

ſSWINARSCIO, in Praepoſitura Metropolitana Gneſnenſi, primario Poloniae ſacerdotio, JOANNES MLICIUS, Supremi Regni Tribunalis Praeſes, mitis ac pius vir, ſuffectus. OKENCIUS, eccleſiaſticus in Regni Tribunali iudex, clarus humanitatis atque integritatis laude, Cuſtodia Poſnanienſi Cathedrali donatus. LAMPARSCIUS, Cathedralis illius urbis Canonicus, ſumma vir modeſtia, nec vulgari eruditione, ibidem Inſignis Eccleſiae S. MARIAE MAGDALENAE Collegiatae Praepoſitura locupletatus.

XLV.

WODZICIUS, Regni Procancellarius, et deſignatus Epiſcopus Premislienſis, à ZALUSCIO, Kioviae Antiſtite, conſecratus eſt. Colomienſis Praefectura obvenit, ſummo atque optimo, in Roxolania, viro, FRANCISCO SALESIO POTOCIO, Kiovienſium Terrarum Palatino, et Praefecto generali. Aſſiduus ille, et fidus Curoniae Ducis ſocius atque comes, ANTONIUS ZABIELLO, vir maximae apud Lituanicam Nobilitatem auctoritatis, ſupremi, in hoc ampliſſimo Ducatu, Venatoris munus obtinuit. Brevi quoque Ordinis Aquilae Albae inſigne habiturus. KARCZEWSCIUS, vir admodum eloquens, et magni conſilii, magnaeque virtutis, Praefectus eſt Livenſis. DEMBSCIUS, elegans, et prudens, et probus vir, Praefecturam habet Lipiencenſem. JOSEPHUS KOCHANOWSCIUS, Auditor Praeſulis Kiovienſis, rerum eccleſiaſticarum ſcientia, et morum modeſtia praeſtans, vacuum, mortuo BORZYMINSCIO, Plocenſem Cathedralem Canonicatum impetravit. Depoſitum, ab

eo

eo, Kiovſae Primiceriatum, Antiſtes contulit in cognominem, fratrem eius patruelem, ornatiſſimum adoleſcentem.

XLVI.

Mathias Lubienscius, Metropolitanae Gneſnenſis Eccleſiae Decanus, idemque Cathedralis Cracovienſis Archidiaconus, graviſſimus, et prudentiſſimus, doctiſſimusque vir, Cracovienſis Eccleſiae S. Michaelis Collegiatae Praepoſituram, cum Cathedrali Varmiae Decanatu, mutavit. Lecti, in Cracovienſium Canonicorum Cathedralium collegium, Wybranowscius, et Dobrzanscius, et Chyczewscius, viri admodum egregii. Gravis ille, et iucundus, et integerrimus vir, Leonardus Kielczewscius, in defuncti Lopacii, magni et ſancti ſacerdotis locum Cracovienſis Archipresbyter eſt factus. Simulque, à Trzebinscio, optimo ſene, Canonicatus ſui Coadiutor cooptatus. Cancellariae Principis Antiſtitis praeeſt Olechowscius, Olcuſſienſis Eccleſiae Collegiatae Cuſtos, vir excellens eruditione, et virtute.

XLVII.

Rex opulentam Bohuslavienſem Praefecturam, interprete filio ſuo, Carolo, Curoniae Duce, obtulit Branicio, Cracovienſi Palatino, et Regni Exercituum Imperatori, viro de univerſa Republica immortaliter merito, ac merituro. FRANCISCUM LUBOMIRIUM, illum lenem ac benignum Principem, in ANTONII BENEDICTI, fratris ſui vita defuncti locum, Regni Enſiferum ſuffecit.

Simul-

Simulque cum Praefectura *Barenſi* atque *Caſimirienſi* dicavit. Regni Pincernae dignitatem, FRIDERICO OCIESCIO Comiti BRÜHLIO, elegantiſſimo adoleſcenti, attribuit. KUUR Danus, illud admirabile, et ſagacitatis, et probitatis exemplum, à Rege ſuo, conſiliarii honore eſt ornatus, et curandis in Urbe Gedanenſi, tàm Suae Maieſtatis, quàm univerſae Danicae Gentis negotiis, deſtinatus.

XLVIII.

KONARSCIUS, clariſſimum Poloniae lumen, vernaculi operis ſui: *De Optimo Conſiliorum Modo, Quo Regni Ordinaria Comitia Ad Effectum Perduci Poſſint:* ſumma copia, et acri terſoque iudicio ſcripti, primum in lucem protulit volumen, avidiſſimè à Regni Proceribus expectatum, atque incredibili applauſu exceptum. Plurimum arridet Principi CZARTORYSCIO, magno Lituaniae Cancellario, ſapientiſſimo noſtri temporis viro, ſummoque patriae libertatis vindici. MOSZCZENSCIUS, *Ius Publicum Regni Poloni*, à LENGNICHIO, nobiliſſimae Civitatis Gedanenſis Syndico, Latinè editum, in patrium ſermonem convertit. MICHAEL STADNICIUS, Scholarum Piarum adhuc clericus, in ſolemni ſtudiorum inſtauratione, gravèm et elegantem habuit órationem, *De Natura, Et Arte Diligenter, Ad Omnem In Litteris Scientiiſque Profectum, Adhibenda.* RZEPNICIUS, Societatis Ieſu Presbyter, *Vitas Praeſulum Polonorum Ac Lituanorum*, ſincero et ſubtili iudicio, multoque nitore conſcriptas, prelo commiſit. MIZLERUS, Regius Conſiliarius atque Hiſtoriographus, doctiſſimus et Genti Poloniae dedicatiſſimus vir, ZALUSCII, Kiovienſis Antiſtitis, illius litterarum principis inſtinctu, celeberrimos rerum Polonicarum

nicarum ac Lituanicarum auctores, in publica ZALUSCIANA Bibliotheca, XIII circiter voluminibus collectos, in lucem denuò edere eſt aggreſſus. Emiſit iam primum volumen, ſcriptores complectens topographicos. Idque CAROLO CHRISTIANO, Regio Poloniae Principi, Curoniae ac Semigalliae Duci, dedicavit. BÜSCHINGIUS, praeſtantiſſimus geographus, tertiam operis ſui iam adornavit Editionem. In qua Poloniam copioſe admodum et accurate deſcripſit.

XLIX.

LUSKINA, doctiſſimus vir, in Regio Varſavienſi Societatis Ieſu Collegio, mathematicas diſciplinas, magna nominis celebritate, profitetur. Summum huic Collegio ſplendorem adfert, ipſius Muſeum, neceſſariis ad aſtronomiam omnem, et naturalem philoſophiam, inſtrumentis in Anglia factis, refertiſſimum. SZADURSCIUS, vir amoeniſſimi ingenii, Novogrodeci philoſophiam docet. Principe IABLONOWSCIO, Novogrodenſi Palatino, auſpice Principia Ratiocinandi, Dialogis XIX Contenta, luci expoſuit publicae, HYLZENIO, Livoniae Caſtellano, duce Scita Philoſophica, Ex Phyſica Generali, in medium attullit. PAZOWSCIUS, doctus et induſtrius vir, in Novogrodenſi Collegio, rhetoricam artem tradit, atque hiſtoriam. Edidit ille: Novogrodecum, Ducum Novogrodenſium olim Regia Vrbs, hodie Princeps Palatinatus Novogrodenſis, Ducatus aliquando in Lituania ampliſſimi. Ex Hiſtoriarum Monumentis Erutum. Atque decem Sectionibus Diviſum. Inſignioribus non modò Ducum, et Palatinorum Novogrodenſium, rebus

F gestis,

geſtis, praecipuorumque Ducum Ruſſiae, Lituaniae, Novogrodiae Genealogiis, ſed obſervationibus, et adnotationibus etiam quibusdam criticis Auctum atque Illuſtratum. Auſpiciis Bonarum Litterarum Statoris et Vindicis, S. R. I. Principis IOSEPHI ALEXANDRI E Ducibus Pruſſiis IABLONOWSKI, Palatini Novogrodenſis.

L.

BOHOMOLECIUS, vir ingenii iucundi et elegantis, acuti quoque iudicii, et litteris humanioribus alte imbutus, primus omnium Commoedias, Polonico ſermone, conſcripſit. Nitidae ſunt, lepidae, facetae, crebris etiam ſalibus adſperſae. Procerum applauſu, conſentienteque populo, frequenter in ſcena recitatae. Bis quoque ac ter excuſae. Epiſtolam A Daemone Ad Voltarium Scriptam, anonymus quidam, patrio ſermone, ſcite perquam atque venuſte expreſſit. KOCHANOVII, Polonorum principis poëtarum, carmina vernacula, obſtetricia NOVACINSCII manu, in publicum denuo edentur. Latina eius poëmata Vratislaviae coniunctim prodibunt, maxima opera ac diligentia BOEHMII illius, cui pulcerrimam Ianitii editionem debemus.

LI.

Poſt ZIENKOWICII mortem, Vilnenſem infulam facile conſecutus eſt MASSALSCIUS, vir litterarum humanarum, ac divinarum ſcientiſſimus, eximiaque virtute, ac ſapientia ſingulari praeditus. TYSZKIEWICIO, illi bono ac probo Praeſuli, humanis rebus defuncto, LOPACINSCIUS, doctiſſimus ac ſuaviſſimus vir, in Samogitiae Epiſcopatum ſucceſſit. Aſcendit

ad

ad magni, apud Lituanos, Secretarii gradum Thomas Zienkowicius, Ruſſiae Lituanicae Suffraganeus, extincti Vilnenſis Epiſcopi nepos. Ampliſſima Referendarii dignitate decoratus eſt Alexander Horain, Suffraganeus Samogitiae, doctrinae et pietatis laude clariſſimus. Obtigit Maioris Notarii munus, Paulo Brzostowscio, Canonico Cathedrali Vilnenſi, ingenio atque humanitatis ſtudiis haud minus, quam fortunis opibusque florenti. Giedroicius, excellens et ad optima quaeque tendens iuvenis, Vilnenſem Praepoſituram, Lituaniae totius nobiliſſimam, obtinuit. Wawrzecius, magnae quoque indolis iuvenis, in Vilnenſium Canonicorum Cathedralium ordinem eſt receptus. Orlowscius, Presbyter Scholarum Piarum, gravis admodum et prudens, doctusque vir, Aſſiſtentis munere in Urbe Romana dexterrimè obito, illuſtri Varſavienſi Nobilium Collegio iterum praepoſitus.

LII.

Carolus, Curonum Dux, Cracoviam tranſiens, Principem Solticum, Praeſulem huius temporis maximum, Regiaeque Domus amantiſſimum, inviſit. Magnificentiſſime, ab eo, eſt acceptus, ac biduum regiè habitus. Praeſule ipſo ductore, primariam adiit Baſilicam. Divi STANISLAI, ſummi Poloniae Tutoris, tumulum coluit ſingulari pietatis ſignificatione. Eccleſiae quoque, ac Regni gazam, perluſtravit. Salutatus honorificentiſſime, ab Academico Senatu, urbisque Magiſtratu. Quibus, Ducis nomine, Auditor Praeſulis, Franciscus Czerny, Cracovienſis Cathedralis Canonicus, omnium graviſſimus, et doctiſſimus,

mus, et facundiſſimus, reſpondit. ZALUSCIUS, Suffraganeus Plocenſis, Principis Cracovienſis Epiſcopi gratia, MICHAELEM SOLTICUM, Decanum Sandomirienſem, formae elegantis ac divinae indolis iuvenem, Cracovienſis Primiceriatus ſibi delegit Coadiutorem. Sielunenſis Ducatus perpetuò Plocenſi Praepoſiturae eſt iniunctus. Nobiliſſimum id ſacerdotium ZALUSCIIS ter fuit datum. Habuit primùm ANDREAS CHRYSOSTOMUS, cum Varmiae Epiſcopatu. MARTINUS deinde, Suffraganeus Plocenſis, tenuit. Tertiùm ANDREAS STANISLAUS KOSTKA adminiſtravit. Huic, ad Plocenſem Epiſcopatum evecto, in Praepoſitura ſucceſſit THEODORUS Dux CZARTORYSCIUS. Creato hoc Poſnanienſis Eccleſiae Pontifice, STANISLAUS MIASKOWSCIUS eam eſt adeptus. Cooptaverat ille MARTINUM ZALUSCIUM, hodiernum Plocenſem Suffraganeum, Coadiutorem ſibi ac ſucceſſorem. Verùm is, religionis cauſa, Romam abiturus, Coadiutorio ceſſit iure. Inde eſt, quod MIASKOWSCIUS, blandiſſimo ALBERTI, Regii Poloniae Principis, hortatu atque rogatu, Cancellarium eius, CHRISTOPHORUM SZEMBECIUM, pium virum, egregieque doctum, ac ZALUSCIO affinitate coniunctum, Coadiutorem ſibi nunc adſciverit.

LIII.

THADAEUS ille LIPSCIUS, proceritate ſtaturae, atque oris dignitate eminens, idemque vir ſapiens et eloquens, et patriae amans, Brzezinenſis Caſtellanus eſt factus. WYSOCIO, vita nuper defuncto, MORAWSCIUS, prudens ac probus vir, in Gneſnenſi

Archi-

Archidiaconatu eſt ſuffectus. In huius locum, MLODZIEIOWSCIUS, graviſſimus ille, Principis Archipraeſulis, Regnique Primatis Auditor, Cancellarius Metropolitanae Eccleſiae conſtitutus. TURSCIUS, Gneſnenſis et Varſavienſis Canonicus, generalis quoque, in Maſoviae Ducatu Vicarius atque Officialis, à MLICIO, Praepoſiturae Gneſnenſis Coadiutor aſſumptus. Idem ille ob inſignem, qua abundat, dicendi copiam, et legum patriarum cognitionem, futuri Supremi Tribunalis Praeſes electus. LUDOVICUS RIAUCOUR, Ptolemaidis Epiſcopus, cognominem ſibi MATHY, Poſnanienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicum, virum ingenioſum et diſertum, inque rebus omnibus elegantem, Gneſnenſis ſui Canonicatus Coadiutorem aſſumpſit. THOMAS SZANIAWSCIUS, Cracovienſis Eccleſiae S. MICHAELIS Collegiatae Cuſtos, et Praepoſitus Czchovienſis, magnae ſagacitatis, promtaeque ac profluentis eloquentiae vir, à CLEMENTE XIII, Pontifice Maximo, Canonicus Metropolitanus Gneſnenſis creatus eſt.

LIV.

Mortuus eſt, magno Regis dolore, Princeps RADIVILIUS, Palatinus Vilnenſis, Exercitusque Lituani ſummus Praefectus. Delatum iam ſupremum militiae imperium, MICHAELI MASSALSCIO, Vilnenſi Caſtellano, bellica ſcientia et virtute pollentiſſimo. Datur minor Copiarum Praefectura, ALEXANDRO SAPIEHAE, tantorum hominum, quibus ortus eſt, ornamento nunc ſingulari et praecipuo. ZAMOISCIUS, Inovladislavienſis Palatinus, in Supremo Regni Tribunali, Mareſchalci munus, ſumma auctoritate, ſummaque laude iuſtitiae, et aequitatis, et innocentiae

ſuſtinet. Eximius ille Tremeſnenſis Abbas, FRANCISCUS XAVERIUS PONINSCIUS, initio ſtatim huius anni, ſenectute eſt exſtinctus. Conſentiente Maximo Pontifice, vivo adhuc ei, à Rege ſucceſſor datus, VLADISLAUS WALKNOWSCIUS, Canonicus Cathedralis Poſnanienſis, vir omni humanitate ſuaviſſimisque moribus praeditus. Electus, atque inauguratus, in defuncti BARTOSZEWSCII locum, regularis Tinecenſis Abbas, AMANDUS IANOWSCIUS, homo probus et modeſtus.

LV.

Regiae nobilitatis flos, ADAMUS Dux CZARTORYSCIUS, incredibili totius Polonicae Gentis conſenſu, à Rege, generalis Podoliae Praefectus eſt creatus. Ac brevi deinceps, à Moſcorum Imperatore, Eques S. ANDREÆ renunciatus. Iuſſu Imperatoris, heroici illius ordinis inſigne, à WOIEYKOWIO, graviſſimo Legato ſub, eſt allatum, ac Duci amabiliſſimo CZARTORYSCIO, circumfuſo maxima Procerum Regni, primariorumque Nobilium frequentia, impoſitum. PRZEBENDOWSCIUS, Praefectus Pucenſis atque Mirachovienſis, in ſummo Regni huius Theſauri Tribunali, Mareſchalci munere praeclare perfunctus eſt. Kiovienſis Caſtellania, MATHIÆ LANCKORONSCIO, ſpectatae prudentiae viro, contigit. Zacrocimenſis, IOANNI ROSTWOROWSCIO, prudenti quoque, ac moderato viro, eſt data. Czerſcenſis Praefectura pernobilis, collata FRANCISCO BIELINSCIO, digno nepoti ſummi Poloniae Mareſchalci. MOSZYNSCIUS, iuvenis praeclarus et doctus, Novae Civitatis Praefecturam obtinuit, MALACHOWSCIUS, Regni ſupremus Cancellarius, alieniſſimo Reipublicae tempore, fatis ſuccumbens, et auctoritatis, et prudentiae ſuae triſte nobis deſiderium relinquit.

LVI.

PONIATOVIUS, Cracovienſis Caſtellanus, toga ſagoque omnium eminentiſſimus, caeleſtem optimeque de Republica meritum ſpiritum, caelo iam reddidit. Ademptum eum, et Rex, et Regni ordines lugent. Magnum adferunt Reipublicae ſolamen filii quatuor, ab eo, relicti. CASIMIRUS, maximus natu, prudentia, omnique politiore humanitate cumulatiſſimus, ſupremam Regii in Regno Cubiculi Praefecturam gerit. STANISLAUS, conſpicuus corporis forma dignitateque, optimis ſtudiis, maximoque ingenio inſtructus, animi ingens, laborum patiens omnium, atque periculorum, tuendaeque patriae libertatis cupidine, cum clariſſimis Graecorum et Romanorum comparandus, magni Lituaniae Dapiferi munere fungitur. ANDREAS, egregiis notus bellicis facinoribus, Praefecturam habet Territorii Rycenſis. MICHAEL, Presbyter adoleſcens, in omnium virtutum exempla genitus, altiſſimisque diſciplinis inſtitutus, ampliſſima Metropolitanorum Gneſnenſium, atque Cathedralium Cracovienſium Canonicorum collegia, illuſtrat.

LVII.

Rex BRANICIO, Regni Exercituum Imperatori, illi ſapienti, et magnae auctoritatis viro, Cracovienſem Caſtellaniam ultro obtulit. Pua quoque ſponte Palatinatum dedit RZEWUSCIO, minori Copiarum Duci, tàm fide, conſtantia, magnitudine animi, patriae amore, quàm ingenio, eloquii nitore, rerum civilium aeque, ac bellicarum ſcientia, omnisque honeſtatis decore praefulgenti. IOSEPHUM PODOSCIUM, obita legatione Turcica clarum, in NICOLAI, parentis ſui locum, Plocenſem Palatinum conſtituit. FRANCISCUM CZERNY, illuſtrem illum Canonicum Cracovienſem, et merito virtutis, et Principis Epiſcopi commendatione, Regni Inſignium Cuſtodem renunciavit.

LVIII.

Neſtor huius aevi, Comes ille Kaiserlingius, Ruſſorum AUGUSTAE magnus Legatus, totius Polonae gentis laetitia, huc venit. Qua enim ſapientia, et gravitate, et integritate, Reipublicae olim profuerit, eadem nunc ei haud defuturum, omnes ſperamus. Hrebnicius, graviſſimus Rutenorum Metropolita, ſenectute diem obiit ſupremum. Aſſumpſit Metropolitanem poteſtatem Wolodkiewicius, Praeſul Vlodimirienſis. Polociae Archiepiſcopatum iniit Smogorzewscius, omnibus animi atque ingenii dotibus ornatiſſimus. Uterque, Hrebnicio adhuc vivo, adiutor et ſucceſſor datus. In Sternowscii, caeleſtiſſimi viri locum, et Smolenſcenſis Archiepiſcopus, et S. Onuphrii Abbas, ſuffectus eſt Heraclius Lisanscius, qui congregationis S. Basilii Lituanae gubernaculum tenuit, ſumma cum virtutis dexteritatisque laude.

LIX.

Nicolaus Grabowscius, Gedanenſis Caſtellani, Regnique Poloniae Senatoris filius, ſenilis prudentiae atque eruditionis iuvenis, Bononiae in iucundo Muſarum ſinu atque complexu, ingentem ſpiritum ſuum Deo reddidit. Erat patruo ſuo, Varmiae Principi atque Antiſtiti, ingenio et virtute ſimillimus. Eiusque tramite ad ſumma intebatur. Tengoborscius, iuvenis quoque erudítiſſimus, et eloquentiſſimus, Scholaſticus Premisliae factus. Krzyzanowscius, Premiſlienſis Cancellarius, idemque Vicarius, et Officialis generalis, gravis et doctus vir, a ZALUSCIO, Kioviae Praeſule, pontificii laboris omnium patientiſſimo,

mo, Epiſcopus Saldecenſis inauguratus. SZEMIOT, Samogitiae Primicerius, à CLEMENTE XIII, Maximo Pontifice, Lorymenſis Eccleſiae, Epiſcopi iure praefectus eſt. BIENZYNSCIUS, Cathedralis Kioviae Praepoſitus, vir eloquens, legumque peritus, eccleſiaſticus iudex futuri Regni Tribunalis deſignatus. ROSTKOWSCIUS, Canonicus Cathedralis Kiovienſis, et Praepoſitus Makarovienſis, praeclarae fidei et magnae prudentiae vir, inſequenti anno, apud Cathedralem Eccleſiam reſidebit. ADAMUS DUNIN WANSOWICIUS, vir pietate egregia, et excellenti doctrina, Kiovienſis Canonici honore ornatus, Praeſulis Domum reget. WYRWICIUS, ſumma vir eruditione gravitateque, Collegii Nobilium, quod à CIKOTERSCIO, maximo in Societate Jeſu viro, Varſaviae inſtitutum eſt, moderamen ſuſcepit. KANTZLERUS, ille probus, ille eruditus, ille officioſus adoleſcens, quem ego plus meis oculis amavi, in Bibliotheca BRÜHLIANA, Secretarii locum iam occupavit.

LX.

LAURENTIUS GOSLICIUS, è veteri atque illuſtri GRIMALIORUM gente, ortum ſuum duxit. Domi puerili diſciplina imbutus eſt. Poſtea Cracoviam miſſus: ubi cunctis iis artibus animum excoluit, quibus humanitas, rectaque tum ſe, tum alios regendi ratio continetur. Adoleſcens adiit Patavium, celebre Muſarum ac Gratiarum domicilium. Hic complures annos commoratus, ad amicitiam acceſſit IOANNIS SARII ZAMOISCII, qui litterarum cauſa ibidem degens, elegantiſſimos doctiſſimosque duos, De Senatu Romano, libros emiſit. Cuius exemplo incitatus GOSLICIUS, alios duos, De Optimo Senatore ſcriptos, in lucem pro-

dire iuſſit. Quos SIGISMUNDO AUGUSTO, Regi Poloniae, rerum geſtarum gloria atque eruditione inſigni, dedicavit. Paullo ante, victoriam à SIGISMUNDO AUGUSTO illo, ex Moſcorum quadraginta millibus caeſis reportatam, carmine celebravit. Reverſus in patriam, ſcriba ſanctioris conſilii renunciatus eſt: quod munus tùnc à viris, cùm genere ac nobilitate, tùm virtute doctrinaque praeſtantibus, fieri ſolebat quam maximi, nec uno nomine haberi honeſtiſſimum. Cum autem ſacris ordinibus initiatus eſſet, in ampliſſimo Canonicorum Plocenſium collegio Decani locum obtinuit. Brevi interiecto ſpatio, Canonicatu Cracovienſi eſt donatus. A STEPHANO BATHOREO, acri ingeniorum aeſtimatore, Cathedrali Cracovienſi Praepoſitura decoratus, atque aliis pinguiſſimis ſacerdotiis cumulatus eſt. Poſtquam autem, in publico Regni conventu, graviſſimam Pro Ordine Eccleſiaſtico habuit orationem, ad ſumma negotia adhiberi, atque ad Principes exteros, rebus de maximis, legari coepit. Itaque, cum operam ſuam, et Regi, et Civibus, quinquennium eximia integritatis prudentiaeque cum laude navaſſet, Praeſul Eccleſiae Camenecenſis factus eſt. Cum STEPHANO BATHOREO, è vivis ſublato, SIGISMUNDUS huius nominis tertius ſuccederet, GOSLICIUS eum, Cracoviam ſolemni pompa intrantem, oratione vernacula excepit. Cui Rex ipſemet polonica lingua reſpondit, quam à matre Polonâ edoctus pulcre calluit. A Rege autem optimo ac ſapientiſſimo illo, mox Chelmenſis, et deinceps Premislienſis Antiſtes creatus, atque reditibus Abbatiae Mogilenſis locupletatus eſt. Tum demum ad Poſnanienſis Eccleſiae Pontificatum evectus, aetate iam inclinata, ad caelites exceſſit, pridie Kalend. Novembris, Anni MDCVII. Summo fuit ingenio et prudentia, boniſque omnibus

diſci-

diſciplinis eruditiſſimus, et oratione maximè limatus atque ſubtilis. Inter amicos mirifice amavit, et perquam diligenter coluit IOANNEM DEMETRIUM SOLIKOVIUM, Archiepiſcopum Leopolienſem, cuius Commentarius Brevis Rerum Polonicarum, à morte SIGISMUNDI AUGUSTI, Poloniae Regis, Anno MDCXXII, Menſe Iulio Kniſini mortui, in manibus eruditorum hominum, cum ſumma laude verſatur. Praeter alios omnes familiariſſime complexus eſt, atque conſiliorum omnium participem habuit, PAULUM PIASECIUM, quem in ordinem Canonicorum Poſnanienſium recepit. Is poſtea Epiſcopatum Premislienſem adeptus, res in omni Chriſtiano, praeſertim Polono Orbe, ab Anno MDLXXI, ad annum MDCXLVIII, geſtas, opere pereleganti perſecutus eſt. Cui, quaecunque de GOSLICIO ſuo, relatu digna exiſtimavit, ſcite admodum intexuit. Opera, à GOSLICIO confecta, haec ſunt:

I.) De Victoria SIGISMUNDI AUGUSTI, Sereniſſimi et Potentiſſimi Regis Poloniae, Magni Ducis Lituaniae, Ruſſiae, Pruſſiae, Maſoviae, Liuoniae, Samogetiae, ex Moſchorum quadraginta millibus caeſis parta, XXVI die Ianuarii, Sexageſimo quarto, ſupra Milleſimum Quingenteſimum annum. PATAVII. Anno 1564. in 4. plag. 1. Heroicum carmen eſt, haud invita Minerva ſcriptum.

II.) De Optimo Senatore Libri Duo. In quibus Magiſtratuum Officia, Civium vita beata, Rerumpub. felicitas explicantur. Opus plane aureum, ſummorum Philoſophorum et Legislatorum doctrina refertum, omnibus Reſpub. rite adminiſtrare cupientibus, non modo utile, ſed apprime neceſſarium. Acceſſit locuples rerum toto Opere memorabilium Index. Cum Privilegio. Venetiis. Apud IORDANUM ZILETTUM. MDLXVIII. in 4. Alphab. 1.

Hoc

Hoc opere praeſtantiſſimo, GOSLICIUM, civium ſuorum omnium oculos in ſe convertiſſe, viamque ſibi ad dignitates aperuiſſe, rectiſſime judicat THOMAS TRETERUS, Cuſtos quondam et Canonicus Varmienſis, in Vitis Epiſcoporum Poſnanienſium, p. 150. Eſt autem Editio Veneta formis nitidiuſculis excuſa, erroribus tamen typographicis corrupta maxime. Hanc excepit altera, ab LEONHARDO OSTENIO, typographo Baſileenſi, minus quidem eleganter expreſſa, ſed mendis omnibus purgata. Prodiit haec forma 8. anno CIↃ. IↃ. XCIII. Habet ZALUSCIANA publica Varſavienſis Bibliotheca anglicam interpretationem, hoc titulo exornatam: The Accompliſhed Senator. In Two Books. Written Originally in Latin, By LAURENCE GRIMALD GOZLISKI, Senator of Poland, and Biſhop of Poſna or Pozen. Done into Engliſh, from the Edition Printed at Venice, in the Year 1568. By Mr. OLDISWORTH.

Omnis in Hoc Uno variis Diſcordia ceſſit Ordinibus. ——————— CLAUDIAN.

London: Printed for the Author, in the Year 1737. in 4. chartae auguſtae. Alphab. 2.

III.) Oratio Vernacula, Pro Ordine Eccleſiaſtico, habita. Exſtat, in Poſtulatis Ordinis Eccleſiaſtici Univerſi, coram S. M. Regia, Ordine Senatorio et Equeſtri, in Comitiis Varſavienſ. Generalib. A. D. MDLXXXV propoſitis, Poſnaniae in Officina Typographica IOANNIS WOLRABI excuſis. Annexa quoque LAURENTII ARTURI Soc. Ieſu, De Controverſiis inter Ordinem Eccleſiaſticum, et Saecularem, in Polonia, Tractationi. Anno Domini MDXCII. abſque loci indicio, in lucem prolatae.

IV.) Oratio Vernacula, qua, SIGISMUNDO III, imperii auſpicia, Procerum et Nobilium nomine, gratulatus eſt. Cracoviae, in Architypographia Regia et Eccleſiaſtica LASARI, edita. MDLXXXVII. in 4. plag. 2.

V.) De Haereticis diſcurſus, exercendi animi cauſa coeptus, non tamen perfectus. in 4. Opus hoc poſthumum, luci publicae nunquam expoſitum, in ZALUSCIANA Bibliotheca ſervatur.

LXI.

SIMON STAROVOLSCIUS ortus eſt antiqua ac praeclara LODZIARUM familia, quae navis piſcatoriae gerit inſigne. Puer domi quoque omnes eas artes didicit, quibus prima aetas inſtitui atque erudiri ſolet. Profectusque deinde Cracoviam, doctiſſimis tunc hominibus, et litterarum ſtudiis affluentem, gravioribus diſciplinis operam dedit. Relicta autem ea urbe, à IOANNE GOSTOMSCIO, Ordinis Ciſtercienſis Abbate Vanchocenſi conductus, in eo coenobio monachos novicios, cùm philoſophiam, tùm theologiam edocuit. Exinde à IOANNE CAROLO CHODKIEVICIO, Exercitus Lituani Imperatore evocatus, ei fuit à ſcribendis epiſtolis, et notandis rebus glorioſe geſtis. Defuncto eo, Germaniam, Italiam, Galliam et Belgium, capiendae melioris cultiorisque doctrinae cauſa, perluſtravit. Redux ALEXANDRO KONIECPOLSCIO, Caſtellani Cracovienſis, ſummique Copiarum Polonicarum Ducis filio, ſtudiorum eius moderator, morumque cuſtos honorarius fuit additus. Denique, ſacris initiatus ordinibus, Tarnovienſis Eccleſiae Collegiatae Primiceriatum obtinuit. Poſtremò Cracovienſi Cathedrali

drali Canonicatu eſt cohoneſtatus. Simulque primarius in Academia Theologiae Profeſſor conſtitutus. Amoeno ingenio fuit, & eleganti eruditione, ſtudioque in rempublicam, atque orthodoxam religionem, plane admirabili. Quocirca, à principibus viris, praemiis donatus eſt, atque in deliciis habitus. Dilectus maxime, à PETRO GEMBICIO, Antiſtite Cracovienſi, qui CAROLO GUSTAVO, Sueciae Rege, Polonum Regnum armis occupante, Eccleſiam ſibi concreditam, STAROVOLSCII fidei commiſit. Res digna memoria eſt, quam VESPASIANUS à KOCHOW KOCHOWSKI, auctor graviſſimus, in Annalium Poloniae climactere ſecundo, p. 57. his refert verbis. Ingreſſus Arcem Cracovienſem CAROLUS, Baſilicam quoque D. STANISLAI Cathedralem inviſit, utique videndi curioſitate ductus, non religione. Qui manu ducebat, SIMON STAROWOLSKI erat, Canonicus tum Cracovienſis, probum et eruditum caput, ſpectatu digniora antiquitatis monumenta, Regi exquirenti oſtendens, ſed praecipue ſepulcra Regum Polonorum, cum brevi cuiusque elogio, hiſtoriarum ipſe peritiſſimus. Sors, an ordo fecit, ut ad monumentum VLADISLAI LOCTICI veniretur. *His Rex* inquit STAROVOLSCIUS, *ter regno pulſus, ter idem recuperavit.* Cui CAROLUS: *at* CASIMIRUS *veſter, ſemel exactus, haud amplius recuperare amiſſum quibit.* Tum Senex, ſeu fatidico ſpiritu, ſeu extremo iam ſenio liber. *Quis ſcit? nam et Deus potens eſt, et fortuna variabilis.* Perſtrictus reſponſo Rex, curioſitati ſuae, et ſermoni manu ducentis finem, alio divertens impoſuit. Donec peragrat templum, capite intecto, et quidquid STAROVOLSCIUS narraret, attentiſſime auſcultans. Mortuus eſt STAROVOLSCIUS Aprili menſe, eius anni, qui fuit poſt C. N. quinquageſimus ſextus, ſupra mille et ſexcentos. Patet hoc ex panegyrico, quem FRANCISCUS VOLSCIUS, ordinis Fratrum Minorum

Refor-

Reformatorum, in Coenobio Cracovienſi Eccleſiaſtes, STAROVOLSCIO lingva vernacula dixit. Ex quo facile agnoſces errorum PETRI HYACINTHI PRUSCII, in Elogiis Polonorum, Sanctimonia Et Doctrina Illuſtrium, patrio ſermone editis, p. 304. mortem STAROVOLSCII, in annum MDCLVIII, proiicientis. Cuius auctoritate nos quoque decepti, in der Nachricht von raren polniſchen Büchern, Part. I p. 59. eundem annum STAROVOLSCIO fatalem perhibuimus. Scripſit non parum multa STAROVOLSCIUS. In Bibliotheca ZALUSCIANA aſſervantur:

SERMONE LATINO.

I.

SIMONIS STAROVOLSCII, de rebus SIGISMUNDO Primi, Poloniarum Regis Invictiſſimi, virtute et auſpicio geſtis. Libri quatuor. Cracoviae, in Officina LAZARI, MATTH: Andreovien. excuſſit. Anno 1616. 4. Hicce liber omnium à STAROVOLSCIO editorum eſt rariſſimus.

II.

Euchariſticon, Illuſtriſſimo ac Reverendiſſ. Domino, D. MARTINO SZYSZKOWSKI, Epiſcopo Cracovien. Duci Severien. Cancellario Academiae Cracovien. Ampliſſimo. A SIMONE STAROVOLSCIO factum dicatumque. In primo Epiſcopatus ſui ingreſſu. Cracoviae, in Officina LAZARI, apud MATTHIAM Andreovienſem. Anno D. 1617. 4.

III.

III.

Simonis Starovolscii Penu Hiſtoricum, ſeu, de dextra et fructuoſa ratione Hiſtorias legendi, commentarius. Permiſſu Superiorum. Cum Privilegio. Venetiis MDCXX. Apud Haeredem Damiani Zenarii. 8. mai. Editio rariſſima.

——— Editio ſecunda, ab ipſo Auctore recognita et aucta. Romae, expenſis Io. Baptistae, et Iosephi Corvi. Typis Ignatii de Lazaris. MDCLIII. Superiorum Permiſſu. 12. Perrara quoque Editio.

IV.

Simonis Starovolscii Melliſluus Bernardus, ſeu, de Laudibus et Vita melliflui Eccleſiae Doctoris, D. Bernardi, Oratio. Cracoviae, in Officina Matthiae Andreovienſis. Anno D. 1622. 8. Liber rariſſimus.

V.

Simonis Starovolscii Oratio, in Obitum Magnanimi Herois, D. Io. Caroli Chodkievicii, Comitis in Szklow, Mysza et Bychow, Palatini Vilnenſis, Capitanei Derpatenſis, Luboſanenſis, Velonen. &c. Supremi Magni Ducatus Lituaniae, et ad bellum Turcicum, Regni Poloniae Exercituum Generalis, nec non terrae Livoniae Gubernatoris. Cracoviae. In Officina Typogr. Matthiae Andreovienſis. Anno Domini, 1622. 4.

VI.

Simonis Starovolscii Camaldula Argentini, ſive, De Laudibus inclyti Camaldulenſis Ordinis, FF. Eremitarum prope Cracoviam

viam, in monte Argenteo, Orationes IV., Cracoviae, in Officina Typogr. MATTHIÆ Andreovienſis. Anno Domini, 1623. 4.

——— Editio ſecunda. Cui addita eſt, Laudatio Funebris NICOLAI VOLSCII, Fundatoris illorum Camaldulenſium. Cracoviae, in Officina FRANCISCI CÆSARII. Anno 1650. 12.

VII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Scriptorum Polonicarum Ἑκατοντὰς: Seu Centum Illuſtrium Poloniae Scriptorum Elogia Et Vitae. Francoforti. Sumptibus IACOBI de ZETTER. Anno 1625. 4. *Editio admodum rara.*

——— Editio ſecunda. Permiſſu Superiorum, et Privilegio. Venetiis. MDCXXVII. Apud Haeredes DAMIANI ZENARII. 4. mai. *Editio optima, eaque rariſſima.*

——— Editio nova. Wratislaviae. 1734. Apud IOANNEM IACOBUM KORNIUM. 4.

VIII.

SIMONIS STAROVOLSCII, De Claris Oratoribus Sarmatiae. Florentiae. Ex Typographia ZENOBII PIGNONII. Superiorum Permiſſu. 1628. 4. *Editio perpulcra, adeo tamen rara, ut phoenicibus librorum eam iure accenſueris.*

——— Recens Editio, ab illuſtri MIZLERO, *gentis noſtrae ſtudioſiſſimo*, in Typographeo ſuo proprio adornata. Varſaviae. MDCCLVIII. 8.

IX.

SIMONIS STAROVOLSCII Eques Polonus. Venetiis. MDCXXVIII. Apud FRANCISCUM BABA. 8. mai. *Inter nitidiſſima, et rariſſima* STAROVOLSCII *opuſcula, eſt numerandus.*

X.

Laudatio Funebris, piae et felici memoriae Illuſtris. quondam Viri, D. NICOLAI de Podhayce WOLSKI, Supremi Regni. Poloniae Mareſchalci, Crepicenſisque, Olſtinenſis, Odolanovienſis, atque Rabſtinenſis Praefecti. A SIMONE STAROVOLSCIO dedicata. Anno Domini MDCXXX. Cracoviae, in Officina Typ. MATTHIÆ ANDREOVIENSIS. 4.

XI.

In Obitum Sereniſſimi, Piiſſimique Principis, SIGISMUNDI III, Poloniae Et Sueciae Magni Regis, SIMONIS STAROVOLSCII Oratio. Ex Officina Plantiniana BALTHASARIS MORETI. 1632. fol.

XII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Sarmatiae Bellatores. Coloniae Agrippinae. Apud HENRICUM GRITHIUM ſub ſigno Galli. Anno MDCXXXI. 4. *Editio perelegans et admodum rara.*

——— Editio nova. Wratislaviae. 1734. Apud IOANNEM IACOBUM KORNIUM. 4.

XIII.

SIMONIS STAROVOLSCII Declamatio, contra obtrectatores Poloniae. Cracoviae. In Officina Typogr. MATTHIÆ ANDREOVIENSIS. Anno 1631. 4. *Liber rariſſimus.*

XIV.

SIMONIS STAROVOLSCII, Polonia. Coloniae. Apud HENRIKUM CRITHIUM. Anno MDCXXXII. 16.

——— Denuo recognita et aucta. Dantiſci. Sumptibus GEORGII FÖRSTERI, S. R. M. Bibliopolae. MDCLII. Cum Privilegio S. R. M. 16.

——— Tertia Editio. Cui acceſſerunt Tabulae Geographicae, et Index rerum Locupletiſſimus. Cum Praefatione HERMANNI CONRINGII.

GII. Wolferbyti. Sumptibus CONRADI BUNONIS, Anno MDCLVI. 4. *Editio optima, eáque rariſſima.*
——— Editio nova. Wratislaviae. 1734. Apud IOANNEM IACOBUM KORNIUM. 4. *Hic liber omnium, à* STAROVOLSCIO *editorum, eſt optimus, ſummaque diligentia et nitide admodum ſcriptus.*

XV.

SIMONIS STAROVOLSCII, Acceſſus ad Iuris Vtriusque Cognitionem. Diviſus in quatuor breviſſimos Tractatus. Quorum primus eſt, de Iure in communi; ſecundus de Iuſtitia et Iniuſtitia; tertius de Iure Civili; quartus de Iure Canonico. Primum Romae, typis Vaticanis. MDCXXXIII. Deinde Cracoviae, typis MATTHIAE ANDREOVIENSIS. Anno Domini. MDCXXXIV. Superiorum Permiſſu. 12. *Romana editio rariſſima.*

XVI.

SIMONIS STAROVOLSCII Panegyricus, Sereniſſimo Atque Potentiſſimo, VLADISLAO SIGISMUNDO, Ob Virtutem Omnium Votis Acclamato Polonorum Regi, Ob Iura Hereditatis Legitimo Suecorum Monarchae, Ob Regiam Indolem Electo Magno Moſcorum Duci, Ob Adnatam Felicitatem Bellicoſiſſimorum In Aquilone Populorum Gothorum, Vandalorum, Atque Sarmatarum Imperatori, Inclyto, Pio, Felici, Auguſto, Bono Orbis Chriſtiani Nato, Conſecratus. Antverpiae, Ex Officina Plantiana BALTHASARIS MORETI. MDCXXXIII. fol. *Hic panegyricus inventu difficillimus.*

XVII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Lachrymae In Obitum Sereniſſimi ALEXANDRI CAZIMIRI, Poloniae et Sueciae Principis. Cracoviae. In Officina MATTHIAE ANDREOVIENSIS. Anno Domini 1634. fol.

XVIII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Oratio De Glorioſa Aſſumptione Auguſtae Dei Genitricis MARIÆ. Cracoviae. In Officina Typogr. MATTHIÆ ANDREOVIENSIS. Anno MDCXXXVIII. fol.

XIX.

SIMONIS STAROVOLSCII, Commentarius in IV. Libros Inſtitutionum Iuris Civilis. Cracoviae. Typis FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini, 1638. 8. *Liber rarus.*

XX.

Elogium Funebre Magni Olim Senatoris, THOMÆ ZAMOSCII SARII, Supremi Regni Poloniae Cancellarii, Kniſienſis, Rabſtinenſis, Socalienſis, Neoforien. Praefecti, Cracovienſisque Satrapiae Praetoris. A SIMONE STAROVOLSCIO Scriptum. In Officina Typographica Academiae Zamoſcenſis, Imprimebat ANDREAS IASTRZEMBSKI. Anno Domini MDCXXXVIII. fol.

XXI.

SIMONIS STAROVOLSCII, Laudatio Almae Academiae Cracovienſis. Cracoviae. In Officina CHRISTOPHORI SCHEDELII S. R. M. Typogr. Anno Domini. MDCXXXIX. fol. *Liber rariſſimus.*

XXII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Veſtis Mariana, ſeu Oratio, ſacrum Reginae Caeli habitum, vulgò Scapulare dictum, deſcribens. Cracoviae, in Officina CHRISTOPHORI SCHEDELII S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXXXX. fol.

———— Editio ſecunda. Romae. Ex Typographia ANDREÆ PHÆI. MDCXLVI. Superiorum Permiſſu. 16.

XXIII.

XXIII.

SIMONIS STAROVOLSCII, Inſtitutorum Rei Militaris, Libri VIII. Quorum I. Generalem belli deſcriptionem continet. II. Ducis qualitates, et officia comprehendit. III. Delectum militum, diſciplinamque eorum edocet. IV. Claſſicum ſonat, et acies inſtruit. V. Navale praelium deſcribit. VI. Solertia Ducum facta oſtendit. VII. Subruendarum, atque defendendarum urbium rationes monſtrat. VIII. Dubia nonnulla ad militarem prudentiam ſpectantia reſolvit. Cracoviae. In Officina CHRISTOPHORI SCHEDELII, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXXX. fol. *Editio rara.*

——— Editio ſecunda. Florentiae. MDCXLVI. Superiorum Permiſſu. Sumptibus IOANNIS BAPTISTAE et IOSEPHI CORVI, Bibliopolarum Romae. 8. *Rariſſima.*

XXIV.

Vita, Et Miracula Servi Dei, VINCENTII KADLUBKONIS, SIMONE STAROVOLSCIO Scriptore. Cracoviae. In Officina CHRISTOPHORI SCHEDELII, S. R. M. Typ. Anno Domini, 1642. 4. *Liber ſingulari raritate notabilis.*

XXV.

Magni Antiſtitis, IACOBI ZADZICII, Elogium Et Vita, A SIMONE STAROVOLSCIO Conſcripta. Cracoviae. In Officina Typograhica FRANCISCI CÆSARII. A. D. 1644. 4. *Liber rarus.*

XXVI.

SIMONIS STAROVOLSCII, Ad Principes Chriſtianos, de Pace inter ſe componenda, Belloque Turcis inferendo, Protrepticon. *Editio nitidiſſima et rariſſima. Prodiit Gedani, circa annum 1645, absque ulla anni locique mentione. 4.*

——— Editio ſecunda. Viennae Auſtriae, typis MATTHÆI COSMEROVII. Anno 1655. 12. *Nitida quoque, ac rara.*

XXVII.

Muſices Practicae Erotemata. In uſum ſtudioſae Iuventutis, breviter et accurate collecta, à SIMONE STAROVOLSCIO, Eccleſiae Collegiatae Tarnovienſis Primicerio. Cracoviae. Ex Officina FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typ. Anno MDCL. 8. *Liber perrarus.*

XXVIII.

Iubileus, ſeu Remiſſa Noxarum. Per SIMONEM STAROVOLSCIUM, Primicerium Tarnovienſem. Pro Pœnitentium, ac Pœnitentiariorum cognitione, enodata. Cracoviae. In Officina FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typ. Anno 1651. 12. *Rarus libellus.*

XXIX.

SIMONIS STAROVOLSCII, Monita Legalia, Methodum in Vtroque Iure Studendi praeſcribentia. Cracoviae. Apud Viduam Et Heredes FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typogr. 1652. 12.

XXX.

Epitome Conciliorum, Tam Generalium, Quam Provincialium, In Graeca Et Latina Eccleſia Celebratorum, quaecunque reperiri potuerunt. Item-

que

que Vitarum Romanorum Pontificum, Epiſtolarum Decretalium, et Diverſarum Sanctionum Eorum. Cum Chronologica et Hiſtorica obſervatione. A SIMONE STAROVOLSCIO, Primicerio Tarnovienſi. Libris XXVI Comprehenſa. Romae. MDCLIII. Sumptibus IOANNIS BAPTISTÆ, et IOSEPHI CORBI Bibliopolarum. Typis IGNATII de LAZARIS. Superiorum Licentia. fol. *Opus longe rariſſimum.*

XXXI.

SIMONIS STAROVOLSCII, Breviarium Iuris Pontificii. In Vſum Simplicium Parochorum, Libris Septem, Simpliciter Collectum. Romae. Sumptibus Io. BAPTISTAE, et IOSEPHI CORBI, Bibliopolarum. Ex Typographia FRANCISCI MONETAE. MDCLIII. Superiorum Permiſſu. 4. Liber rariſſimus.

XXXII.

Monumenta Sarmatarum, Viam Vniverſae Carnis Ingreſſorum. SIMONE STAROVOLSCIO, Primicerio Tarnovienſi, Collectore. Cracoviae. In Officina Viduae et Heredum FRANCISCI CAESARII, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCLV. fol. Rarum opus.

XXXIII.

Vitae Antiſtitum Cracovienſium, Per SIMONEM STAROVOLSCIUM, C. C. Primicerium Tarnovienſem, Editae. Additis Hexaſtichis, Excellentis olim Viri, CHRISTOPHORI CONTSCII, Philoſophiae Doctoris. Superiorum Permiſſu. Cracoviae. Apud Viduam et

 Heredes

Heredes Francisci Caesarii, S. R. M. Typ. Anno Domini, MDCLV. fol. Opus perrarò obvium.

SERMONE POLONICO.

XXXIV.

Epiſtolarum Turcicarum Volumen. Cracoviae. In Officina Typographica Matthiae Andreovienſis. Anno Domini MDCXVIII. 4. Rariſſimus liber.

XXXV.

De Corrigenda Reipublicae Polonae Forma, Poëma. Impreſſum Anno Domini MDCXXV. 4.

XXXVI.

De Laudibus S. Benedicti, Concio. Cracoviae. Ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLI. 4.

XXXVII.

Oratio, In Exequiis Magni Praeſulis, Iacobi Zadzik, Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiae, Habita. Cracoviae. Ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLII. 4.

XXXVIII.

Sermones, De Sanctis, Cracoviae. Ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLV. fol.

XXXIX.

Sermones, In Dies Dominicas. Cracoviae. Ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLVIII. fol.

XL.

Sermones, Pro Diebus, *B. Virgini MARIÆ Sacris*. Cracoviae: Ex Officina FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLIX. fol.

XLI.

De Aula Conſtantinopolitana Relationes, Cracoviae. Ex Officina Typographica FRANCISCI CÆSARII. Anno Domini MDCXLVII. 4.

——— Editio ſecunda. Ex eadem Officina. Anno Domini MDCXLIX. 4.

——— Tertia Editio. Cracoviae. Ex Officina FRANCISCI CÆSARII, S. R. M. Et Illuſtriſſ. Principis Epiſcopi Crac. Typographi. Anno MDCLXV. 4.

XLII.

Bonus Miles. Superiorum Permiſſu. Absque anni et loci indicio. 4. *Liber admodum rarus.*

XLIII.

Diſſertatio, De Exactionibus Militaribus. Absque anni et loci mentione. 4. *Libellus rariſſimus.*

XLIV.

Diſſertatio, De Moneta. Omiſſa quoque, cum anni, loci mentione. 4. *Rariſſimis* STAROVOLSCII *ſcriptis annumeranda.*

XLV.

Conſilium, De Prohibendis Populationibus Tartarorum. Prior Editio, ſine loci et temporis nota, exiit. 4.

——— Secunda Editio, Cracoviae, typis ADALBERTI GORECII, excuſa eſt Anno Domini MDCLXXI. 4.

XLVI.

De Reformandis Gentis Polonicae Moribus. Opus perſaepe excuſum. Poſtrema, eaque

optima Editio, cura et liberalitate STANISLAI WITWICKI, Epiſcopi Poſnanienſis, Varſaviae, ex Typographia Collegii Scholarum Piarum prodiit. Anno Domini MDCXCII. 4. Eſt quoque, in ZALUSCIANA Bibliotheca, eiusdem operis Latina verſio, propria, ut opinor, STAROVOLSCII manu ſcripta, publici tamen iuris nondum facta.

LXII.

Lituani Enſiferi dignitatem, ſuperiore adhuc anno, accepit OGINSCIUS, Praefectus Oſmianenſis, corporis atque animi dotibus praecellens. WIELHORSCIUS, ſumma vir elegantia atque integritate, in Magno eodem Ducatu, Regiae Culinae ſupremus Praefectus eſt conſtitutus. Dimiſſam ab HENRICO Comite OCIESCIO BRÜHLIO, principe Regis Adminiſtro, rei tormentariae in Regno Praefecturam, primogenitus ipſius Filius, FRIDERICUS nomine, eximiae formae, ac ſpiritus generoſi adoleſcens, obtinuit. Proximus ei, CAROLUS, admirabile virtutis exemplum, Regni Pincernae honorem eſt conſecutus. Tertius, parentis nomine et indole inſignis, Venatoris Curiae Lituanae munus, adeptus. Mareſchalci, in futuro Theſauri Tribunali, muneri OSSOLINSCIUS, Chmielnicenſis Territorii Praefectus, fulgentiſſimus iuvenis, eſt deſtinatus.

LXIII.

LXIII.

Hylzen, Smolenſcenſis Praeſul, doctrina et ſanctitate praecipuus, tradito iam Wodzinscio Epiſcopatu, in ſolitudinem conceſſit. Promotus, in Caliſſienſis Palatini gradum, Twardowscius. Lipscius Lanciciae Caſtellanus creatus. Uterque facundiſſimus, et Reipublicae ſcientiſſimus. Iosephus Dux Sanguszko, Praefectus Cremonecenſis, regii et generis et animi adoleſcens, Mareſchalcus Curiae Lituanae factus. Zamoiscius, Palatinus Inovladislavienſis, nobili Haliciae Praefectura, Branicio, unico defuncti Caſtellani Braclavienſis filio, bellandi peritia clariſſimo, ceſſit. Dembscius, Regii Cubiculi comes, Lipiencenſem Praefecturam tradidit, Adamo Grabowscio filio viventis adhuc Gedanenſis Caſtellani natu maximo, pacis artibus exquiſitè inſtructo.

LXIV.

Wolodkiewicius, Rutenicus Metropolita, atque Epiſcopus Vlodimirienſis, Maximi Pontificis atque Regis conſenſu, Leonem Ludovicum Szeptycium, Leopolienſem Antiſtitem, prudentia et doctrina, morumque elegantia conſpicuum, Metropolitanae dignitatis ſocium, cum futurae ſucceſ-

ſucceſſionis iure, ſibi adſcivit. Bulhacius, piisſimus ille, et doctisſimus Epiſcopus Pinſcenſis, confectus aetate, et labore iam fractus, adiutorem et ſucceſſorem ſibi cooptavit Mlodowscium, Abbatem Hleboborſcenſem, animo et corpore validum, ſummaeque eruditionis atque eloquentiae virum. Mortuo Szumlanscio, eximio Praeſuli, praecellens item vir, Athanasius Szeptycius, in Premislienſem Pontificatum ſucceſſit. Decoratus Trocenſis Abbatis titulo, Kniązewicius, Vicarius et Officialis Archiepiſcopi Polocenſis. Nicodemus Karpinscius, conſummatae ſapientiae doctrinaeque vir, Lituanae S. Basilii Congregationi eſt praefectus.

LXV.

Rex, dimiſſum ab Antonio Potocio Belzenſem Palatinatum, concredidit Ignatio Cetnero, prudenti viro, bonisque artibus et fortunis ornatisſimo. Depoſitam à Stanislao Burzynscio Smolenſcenſem Caſtellaniam, in ipſius filium, nomine Thaddaeum, Praefectum Craſnoſielſcenſem, liberali eruditione excellentem, contulit. Krasinscium, Craſnoſtaviae Praefectum, maximis virtutum et humani cultus ornamentis conſpicuum, ſupremum in Regno caſtro-

rum

rum Metatorem conſtituit. GOLTZIUM, Praefectum Tolkemitenſem, ſumma corporis atque oris dignitate praeditum, conſilioque et lingua promptum, intimum Adminiſtrum ſuum creavit. Eumque Legationi, ad Pruſſiae Regem, deſtinavit.

LXVI.

In Sanctae Crucis Seminario, ſolemne certamen litterarium fuit. MICHAEL SOLTICUS, Primiceriatus Cathedralis Cracovienſis Coadiutor, eminentioris ingenii adoleſcens, coram patruo ſuo, Principe Cracoviae Antiſtite, et frequentiſſimo aliorum Regni Procerum conventu, Selectas Ex Theologia Atque Hiſtoria Eccleſiaſtica Theſes, libere admodum atque erudite defendit. Praefuit huic diſputationi IOSEPHUS MASZTEROWSCIUS, Presbyter S. Miſſionis, divinarum rerum, et ſacrarum caeremoniarum ſcientia inſtructiſſimus. ZALUSCIUS, Kioviae Praeſul, illud clariſſimum Litterariae Reipublicae lumen, et CZERNY, Regni Inſignium Cuſtos, grande litterarum decus, adverſus theſes eas argumentati ſunt. OLENDZKIUS, doctus et pius vir, è Clericis Regularibus Scholarum Piarum, Kioviae Suffraganeus à CLEMENTE XIII, Pontifice Maximo, eſt comprobatus. A ZALUSCIO,

Antiſtite

Antiſtite ſuo, iam conſecratus. Wiśniewscius, Sacrae Regiae Maieſtatis Theologus, et Praepoſitus Laibicenſis, à Principe Barkoczio, Strigonienſi Archiepiſcopo, Regnique Hungariae Apoſtolici Primate, ſapientiae et doctrinae, magnificentiaeque laude celebratisſimo, perbenigne eſt acceptus. A Zbiskone, Tinninienſi Epiſcopo, Inſignisque Scepuſienſis Eccleſiae Collegiatae Praepoſito, graviſſimo et doctisſimo Praeſule, honorificentisſime inſtitutus. Ante diſceſſum ſuum, tertio Colloquiorum Philoſophicorum volumine, nos donavit. Nicolaus Stadnicius, prudentisſimus atque eruditisſimus vir, Collegio praeeſt Varſavienſi. Michael, patruelis eius frater, ordinatus iam Presbyter, ſtudiorum in eo exercet Praefecturam. Ab Inovladiſlaviae Palatino, Andrea Zamoscio, magno Polonicae, libertatis atque dignitatis vindice, praemio excitatus opimo, intermiſſam diu patriam hiſtoriam, ſtylo nobili renovavit. Cuius egregium ſpecimen, brevi in lucem, et iudicium prodibit.

LXVII.

Kempscius, perfectum proſae Polonicae decus, et carminis noſtra aetate princeps, Cogitationum ſuarum, De Deo, Et Homine, ſecundum

dum publicabit volumen. LACHOWSCIUS, Presbyter Societatis Ieſu, divina eloquentia praeditus, Sacras Orationes ſuas edet; quibus magnum apud populum nomen, et ſummam apud Regni Proceres conſecutus eſt exiſtimationem. BOREYKO, ingenioſus vir atque eruditus, M. Tullii Ciceronis, De Partitione Oratoria Dialogum, Polonicae conſuetudini tradidit. ALBERTRANDI, corpore perpuſillus, ſed animo ingens, litteris quoque elegantioribus plene tinctus, linguarumque nobiliorum valde gnarus, conficiendo atque edendo, Critico Librorum Exoticorum Rariſſimorum, Qui In Bibliotheca Publica ZALUSCIANA Varſaviae Reperiuntur, Indice, adhuc occupatur.

LXVIII.

SLIWICIUS, Congregationis S. Miſſionis, in Polonia atque Lituania, Viſitator generalis, confectus ſenio, aſſiduoque corporis atque animi labore defatigatus, Varſavienſem Domum, Regni totius ampliſſimam, inſertamque ei Eccleſiae *S. Crucis* Praepoſituram, SIEMINSCIO, ſagaciſſimae mentis, ſummaeque virtutis atque eruditionis viro, commiſit. BRZOZOWSCIUS, doctiſſimus, et modeſtiſſimus, religioſiſſimusque vir, Varſaviae ius pontificium docet. BARSZCZEWSCIUS, vir eruditisſimus, idemque gravis admodum et iucundus, Culmenſem Domum regit.

regit. Ibique nobile typographeum exſtruxit. Malecius, Presbyter Societatis Ieſu, vir ille ſuavisſimus, fandique dulcisſimus, Superior Vlodimirienſis Reſidentiae creatus, iſtuc iam abivit.

LXIX.

ZALUSCIUS, Kioviae Praeſul, amore Regis, Praeſidis munus, in ſupremo Regni huius Theſauri Tribunali, ſuſcepit. Germanus eius frater, Martinus nomine, Suffraganeus atque Decanus Cathedralis Plocenſis, vir in Eccleſia et Republica maximus, pietatis cauſa Romam ivit. Narzymscium, Pultovienſis Inſignis Eccleſiae Collegiatae Praepoſitum, gravem et probum adoleſcentem, Coadiutorem Gneſnenſis ſui Canonicatus, atque Laſcenſis Praepoſiturae Infulatae, aſſumpſit. Czerny, Regni Inſignium Cuſtos, idemque Cracovienſis Cathedralis Canonicus, et Principis Antiſtitis Auditor, vir de Eccleſia optime promeritus, inque promerendo diligentiſſimus, Praepoſituram Inſignis Eccleſiae Collegiatae Sandomirienſis, nobile et opimum inprimis ſacerdotium, obtinuit. Proceſſère, in Cracovienſium Canonicorum Cathedralium ordinem, praeclarisſimi duo iuvenes, unus Adamus Przerembscius, Abbas Andreiovienſis, alter Caietanus Solticus, Varſavienſis iam Ca-

nonicus, et Scholaſticus Lanciciensis. IOANNES CANTIUS WODZICIUS, iuvenis quoque, et animo, et facie excellens, à patruo ſuo, Premisliae Epiſcopo, Regnique Procancellario, Mogilenſis Abbatiae Coadiutor eſt delectus. CASIMIRUS ROKITNICIUS, Pultovienſis Archidiaconus, et Canonicus Varſavienſis, aevi iudiciique maturus, et ſapiens vir, ab HIERONYMO SZEPTYCIO, Plocenſi Antiſtite, totius Diœceſeos ſuae Vicarius et Officialis conſtitutus.

LXX.

AUGUSTUS III, formae decore maieſtateque, animi et magnitudine et conſtantia, religionis iuſtitiaeque amore, pacis ſtudio, integritate morum et pudicitia, clementia, manſuetudine, liberalitate, operum quoque magnificentia, et vitae ſplendore, Regum huius ſaeculi praeſtantiſſimus, ad Superos, à quibus nobis datus erat, ſubitò revertit. Praeivit, Principi immortalitate digno, qui ſumma fide ei deditus fuit, ANTONIUS SEBASTIANUS DEMBOWSCIUS, Vladislaviae Antiſtes, vita innocens, omnique litterarum genere excultus, et Reipublicae admodum gnarus. Cui, impetrato iam Coadiutorio iure, ANTONIUS CASIMIRUS OSTROWSCIUS, magni animi conſiliique Praeſul, in Vladiſlavienſem Epiſcopatum ſucceſſit. MARTINUS ZA-

LUSCIUS, Suffraganeus atque Decanus Plocenſis, IOSEPHI, magni Kioviae Praeſulis, germanus frater, Romam incolumis pervenit. A Maximo Pontifice apoſtolica caritate eſt acceptus. A Purpuratis Principibus arcta familiaritate complexus. BIEGANSCIUS, Praepoſitus Cathedralis Varmienſis, Principis atque Epiſcopi ſororis filius, et aetatis flore, et corporis ſpecie, et animi indole inſignis, fato acerbo nobis eſt ereptus. Vacuum Cathedralem Canonicatum Princeps Antiſtes, IACOBO SZTOLTMANO, ſingularis prudentiae, et modeſtiae, et eruditionis viro, detulit. Eique, generalis Vicarii ſui, atque Officialis munus, adiunxit.

LXXI.

Carus omnibus, expectatusque venit LUBIENSCIUS, Gneſnenſis Archiepiſcopus, Poloniae totius Primas, Primusque Princeps, alta adminiſtrandae Reipublicae prudentia cumulatiſſime inſtructus. Supremam Regni curam feliciter ſuſcepit. Generalem tabellariorum in Polonia Praefecturam demandavit, ANDREÆ MOKRONOSCIO, Praefecto Territorii Ianovienſis, viro prudentiſſimo, et Patriae fidiſſimo, Regnique Proceribus atque Nobilibus valde accepto. Venturus hodie AUGUSTUS DUX CZARTORYSCIUS, Roxolaniae Palatinus, Princeps ſapiens, et Patriae

Parens:

Parens: laterique eius adiunctus, gener ipſius, Princeps LUBOMIRIUS, ſummus Excubiarum Regni Praefectus, gnariſſimus Reipublicae, avitaeque et virtuti, et gloriae, nixu omni inſiſtens. Adeſt iam BIELINSCIUS, ſupremus Poloniae Mareſchalcus, ille venerandus à probis omnibus, et colendus Senex, ſempiternaque et ſapientiae, et vigilantiae laude celebrandus. Collega eius, MNISZECHIUS, Curiae Regni Mareſchalcus, graviſſimus et aequiſſimus, inque omni re gerenda conſtantiſſimus vir, difficillimis Maioris Poloniae negotiis, in ea Provincia, adhuc detinetur. ZALUSCIUS, doctiſſimus Kiovienſis Praeſul, integerrimusque Regni Senator, et ZAMOISCIUS, Palatinus Inovladislavienſis, CATO ille POLONICUS, à Varſavia non receſſêre.

LXXII.

SOLTICUS, Cracoviae Epiſcopus, Severiaeque Dux, ille ſapientiſſimus atque doctiſſimus Princeps, et laetiore, et triſtiore Patriae ſtatu, ſtudia colit. Studioſosque amat verè, et fovet, et provehit. In Cracovienſi Academia, Septentrionis totius vetuſtiſſima et nobiliſſima, deque S. Romana Eccleſia omnium meritiſſima, Nati illius Cancellarii munus publica pompa exercet. Nuperrimè, in ſplendida Canonicorum ſuorum Cathe-

dralium corona, aliorumque illuſtrium virorum magna frequentia, LEONARDUM KIELCZEWSCIUM et CASIMIRUM BODURKIEWICIUM, Cathedralis ſuae Eccleſiae Canonicos, itemque OLECHOWSCIUM, et BETKOWSCIUM, et BODZIANSCIUM, Collegiatarum in ipſius Diœceſi Eccleſiarum Praelatos, cunctos eos virtute atque eruditione conſpicuos, Licentiatos in Vtroque Iure renunciavit, et Doctoratus Inſignibus condecoravit. Peracta hac ſolemnitate, doctus eſt ſuavis vir, IACOBUS MARCISZEWSCIUS, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, idemque Iurisprudentiae Doctor atque Profeſſor, Iuridicae quoque Facultatis Decanus, almae totius Academiae nomine, optimo Principi et Praeſuli, luculenta oratione grates perſolvit.

LXXIII.

UDALRICUS Dux RADIVILIUS, S. HUBERTI atque ALEXANDRI NEWSCII Eques, omnibus iis artibus, quae ſunt magno homine dignae, politiſſimus, veterem Hiſtoriam Romanam, patrio ſermone, multis voluminibus explicatam, divulgabit. WISNIEWSCIUS, optimum, maximèque genti Polonicae utilem librum: Conſiderations Sur Les Cauſes De La Grandeur Des Romains, Et De Leur Decadence, Par Mr. De Montesquieu: pulcerrimo vernaculae orationis veſtitu ornatum, luci iam reddidit. Gloriae Polonici nominis, ADAMO Duci CZARTORYSCIO, generali Podoliae Praefecto, dedicavit. BOEHMIUS, Regius ille Hiſtoriographus, doctiſſimus atque elegantiſſimus vir, ACTA PACIS

OLI-

OLIVENSIS INEDITA, publici iuris ſecit. Tomum primum, AUGUST III, POLONIARUM REGI, PIO, CONSTANTI, PACIFICO, AMORI CIVIUM: INCLVTÆQVE REIPVBLICÆ POLONÆ, BELLO INVICTÆ, LEGIBVS ARMATÆ, LIBERTATIS VINDICI, ARTIVM ET LITTERARVM BENIGNISSIMÆ PATRONÆ, inſtar Oliviae, poſt atrociſſimas belli tempeſtates, olim in Monaſterio Olivenſi, Populorum ſolatio renatae, conſecravit. Continentur eo, IOACHIMI PASTORII AB HIRTENBERG AVRORA PACIS; eiusdem DIARIVM PACIFICATIONIS OLIVENSIS, E BIBLIOTHECA ZALVSCIANA NVNC PRIMVM PROLATVM; illiusque ipſius OLIVA PACIS. Adiunctae ſunt LXXVII TABVLAE PVBLICAE, maximam partem, ex Codice MSto ZALUSCIANO depromptae. Acceſſit praeterea BOEHMII ipſius OBSERVATIONVM, AD IOACHIMI PASTORII DIARIVM PACIFICATIONIS OLIVENSIS, LIBER SINGVLARIS ſane, plenus munditiae atque elegantiae, multaeque et reconditae hiſtoriae refertus. Inſunt huic, et IOACHIMI PASTORII, et Legatorum ad tractatus *Olivenſes* Elogia, venuſtiſſime contexta. Praemiſſum eſt huic tomo, elegans admodum et copioſum, AD IOSEPHVM ANDREAM ZALVSCIVM, EPISCOPVM KIOVIENSEM, OPTIMVM INDVLGENTISSIMVMQVE MVSARVM PATRONVM, PROOEMIVM. SCHMIDIUS, adoleſcens ingenioſiſſimus, et liberaliter eruditus, rerumque omnium Polonicarum ſcientiſſimus, pergratum nobis perque iucundum edidit ABREGE CHRONOLOGIQUE DE L'HISTOIRE DE POLOGNE.

LXXIV.

Princeps Regni Primas, ac praeſentes Senatores, huius Urbis ſecuritatem BIELINSCIO, ſupremo Poloniae Mareſchalco, commendavêre. Eique omnem iuris

 dicend

dicendi poteſtatem attribuêre. LUBIENSCIUS, Cracovienſis Archidiaconus, Gneſnenſisque et Varmienſis Decanus, magnae prudentiae dexteritatisque vir, ad Summum Romanae Eccleſiae Pontificem, ad Utriusque Siciliae Regem, ad Venetam Rempublicam, eſt profecturus, *Divique* AUGUSTI mortem, Regni Ordinum nomine, iis denunciaturus. OSSOLINSCIUS, Sandomirienſis et Chmielnicenſis Praefectus, florentis aetatis, egregiaeque formae, et generoſae mentis iuvenis, apud Germanorum Caeſarem, eiusque coniugem, Hungarorum Reginam, idem officium et munus exſequetur. LUBIENSCIUS, Praefectus Territorii Lelovienſis, germanus Cracovienſis Archidiaconi frater, cultiſſimus ſanè, et ſagaciſſimus vir, inque gerendis rebus induſtrius, *Ruſſorum Auguſtae*, optimi et maximi Regis fata referet. BIELINSCIUS, Czerſcenſis Praefectus, praeſtantiſſimus adoleſcens, Gallorum Monarchae exponet. GADOMSCIUS, Terrae Sochacevienſis Succamerarius, militarium rerum uſu praeclarus, *Septentrionis Achilli*, id eſt, Pruſſorum Regi, ſignificabit. POTOCIUS, Smotriciae Praefectus, fulgidum gentis ſuae decus, Primo Regio Poloniae Principi, Saxoniae Electori, et reliquis Regiis Infantibus, inſignem luctum, quem *Polona Respublicu* ex *Auguſtiſſimi* illorum *Patris* deceſſu cepit, ſolemniter teſtabitur.

LXXV.

Lectus eſt PONINSCIUS, Oſtrzſcenſis Praefectus, exactae aetatis prudentiaeque vir, qui Hiſpaniae et Angliae, Luſitaniae quoque et Sardiniae Regibus, Bataviaeque Ordinibus, Regis noſtri obitum nunciet. Mittetur eadem ratione, ad Sueciae et Daniae Reges, OSTROROGIUS, Dapifer Terrae Czerſcenſis, conſilio atque eloquio pollens. Mareſchalci, apud Principem Regni Primatem, honore praeditus eſt, magnus in Republi-

publica Polona vir, MICHAEL SUFFCZYNSCIUS, Caſtellanus Czerſcenſis. Cancellarii munus, apud Suam Celſitudinem, in interregno gerit, vir frequenti laude à nobis dictus, dicendusque, ANDREAS MLODZIEIOWSCIUS, Gneſnenſis iam Metropolitanae Eccleſiae Cancellarius, idemque in Primatiali Curia Auditor generalis. Referendarii, apud Principem Archipraeſulem atque Primatem, locum tenet THOMAS SZANIAWSCIUS, Gneſnenſis Metropolitanus Canonicus, prudentia et facundia commendatiſſimus. Dictandarum, in cunctis Reipublicae negotiis, epiſtolarum officio, fungitur experti ingenii, fideique indubitatae vir, IOANNES NEPOMUCENUS SLOMINSCIUS, minoris Regni Tabularii Praefectus.

LXXVI.

ZALUSCIUS, Suffraganeus atque Decanus Plocenſis, doctus ſanè, et ſapiens, et ſanctus Praeſul, Societati Ieſu, à teneris, deditiſſimus fuit. Relinquens patriam, elegans Kobylcenſe domicilium ſuum, et templum magnificum, annexumque ei nobile dominium, Provinciae Maſoviticae iure tradidit perpetuo. Romae nunc illuſtre illud Inſtitutum ipſemet eſt amplexus. SOLTICUS, Coadiutor Primiceriatus Cracovienſis, Decanusque Sandomirienſis, ſumma ſpe et animi et ingenii adoleſcens, ſtudiorum cauſa, Urbem adivit. Emortuus ſenio, optimus vir, deque Eccleſia inſigniter meritus, ANTONIUS ZOLKOWSCIUS, Vilnenſis et Suffraganeus, et Decanus. Utramque dignitatem adeptus eſt THOMAS ZIENKOWICIUS, magnus Lituaniae Secretarius. Cui STEPHANUS GIEDROICIUS, Praepoſitus Cathedralis Vilnenſis, Samogitiaeque Archidiaconus, in Ruſſiae Lituanicae Suffraganeatu, eſt ſuffectus. SZEMIOT, Epiſcopus Lorymenſis, brevi poſt conſecrationem ſuam, è vita exceſſit. MIKOSZA Primicerius

rius Samogitiae factus. SIESTRZENCEWICIUS, prudens et pereruditus, religioſusque vir, Canonicorum ibi Cathedralium catalogo inſertus. SZUMSCIUS, Ruſſiae Lituanicae Archidiaconus, et Praepoſitus Obolcenſis, virtute eximius, Cathedrali Kioviae Canonicatu auctus eſt. Defunctus humanis rebus CHMIELOWSCIUS, Canonicus Cathedralis Kiovienſis, idemque Decanus Rohatinenſis, Firleiovienſis quoque et Ianczynſcenſis Praepoſitus, Novarum Athenarum auctor haud incelebris. Fuit Antiſtiti noſtro, ZALUSCIO MUSAGETAE, cariſſimus et amiciſſius. Eiusque Bibliothecae publicae inedita opuſcula ſua legavit.

LXXVII.

BOHOMOLECIUS, indelebile Lituanici nominis decus, elegantiſſimas orationes ſuas publicavit. Locum priorem ea occupat, quam Pro Ingeniis Polonorum habuit. Addita huic eſt Epiſtola, Ad VBALDUM MIGNONIUM, Noctium Sarmaticarum Auctorem, ſale et facetiis bene condita. Quam Gratulatio reſtitutae, poſt attentatum parricidium, incolumitatis LUDOVICI XV, Regis Galliarum, excipit. Sequitur deinde Oratio, De Laudibus IOSEPHI SOLLOHUB, Palatini Vitebſcenſis, cum ſupremos Provinciae Vitebſcenſis faſces ritu ſolemni capeſſeret. Proxima ei Gratulatio HIERONMO SZEPTYCKI, Plocenſium Antiſtiti, cum Eccleſiae ſuae Principatum ſolemniter capeſſeret. Occurrit poſtea oculis Gratiarum Actio, IOSEPHO ANDREÆ Comiti ZALUSKI, Referendario Regni Poloniae; qui, poſt ſuum è Galliis reditum, inſignes ex Bibliotheca ſua libros, Collegio Nobilium Varſavienſi Societatis Ieſu, pro publica praemiorum diſtributione obtulit. Oſtendit ſe demum Oratio, De Laudibus Sanctiſſimae Virginis MARIAE, Habita. Cui aculeata atque mordax Epiſtola, Ad M. AUGUSTUM TITELIUM, ſubiuncta eſt. Hocce volumen BOHOMOLECIUS, mel noſtrum ac delicium, tenuitati noſtrae dedicavit.

EXCERPTVM
POLONICAE LITTERATVRAE
HVIVS ATQVE SVPERIORIS AETATIS.

AVCTORE

IO. DAN. ANDR. IANOZKI

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG. SCARBIMIR. BIBLIOTHECAE ZALVSCIANAE PRAEFECTO.

VOL. II.

VRATISLAVIAE
APVD GVIL. THEOPH. KORNIVM
A. R. S. MDCCLXVI.

IOSEPHO ANDREAE
COMITI
ZALVSCIO
MVSAGETAE, KIOVIAE ET
CZERNIECHOVIAE EPISCOPO,
HEROICI ORDINIS AQVILAE ALBAE
EQVITI,
BIBLIOTHECAE PVBLICAE VARSAVIENSIS
AVCTORI,
IOANNES DANIEL ANDREAS
IANOSCIVS,
IVCVNDAM AC LONGAEVAM SALVTEM.

Cum probi omnes, maximeque litterati homines, IOSEPHE ANDREA COMES ZALVSCI, Pontifex Kiovienſis Graviſſime & Doctiſſime, peractum feliciter tertium & ſexageſimum aetatis annum, ſollemnibus, & ſuſceptis pariter, & ſolutis votis, TIBI gratulentur, ego ſane ILLVSTRISSIMAE TVAE EXCELLENTIAE deditiſſimus, ſummaque conſuetudine & maximis beneficiis devinctus, temperare mihi nequeo, quin EIDEM pietatem meam atque laetitiam, publico aliquo munuſculo declarem ac teſtificer. Id vero recentiſſimi opuſculi mei volumen, in conſpectum TVVM profero, quod ſummorum noſtra aetate Regum ac Principum, aliorumque illuſtrium doctorumque virorum luculentiſſima, de

maximis ac vere regiis Noſtri REGIS *virtutibus, teſtimonia complectitur.* TVAEque ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE *iure dedico. Cui, verbis exprimi haud poteſt, quantum volupe ſit, eum Heroem, Regem nunc, ac Dominum ſuum colere, quem iuvenem admodum,* ILLVSTRISSIMA TVA EXCELLENTIA, *ob inſignem pulcritudinem dignitatemque corporis, excelſam ac vere regiam animi indolem, ingenium ſapientia validum, elegantiſſimisque diſciplinis refertum, divinam prorſus eloquentiam, admirandam quoque linguarum omnium peritiam, inſolitam laborum, vigiliarum, ac periculorum patientiam, aditus praeterea facilitatem, egregiam liberalitatem & benignitatem, vitae inprimis modeſtiam, ſacrorumque reverentiam, & fidei conſtantiam, iuſtitiaeque curam, ſummam denique adminiſtrandae Reipublicae ſci-*

entiam

entiam, & incredibilem prope juvandae Gentis ſuae, adipiſcendaeque aeternae famae atque gloriae cupidinem, ſupremo Polonici Imperii faſtigio dignum exiſtimabat. Cum autem SACRA ILLA & SERENISSIMA REGIA MAIESTAS, *a teneris annis, abunde cognoverit, locuplesque teſtis* IPSAMET *fuerit, quanta ab* ILLVSTRISSIMA TVA EXCELLENTIA, *Eccleſiae Orthodoxae Polonicae, & univerſae Reipublicae, politioribusque praecipue Litteris allata ſint emolumenta, minime mirum eſt, quod inito ſtatim Regno ſuo, ſingulari* TE *benignitate complexa ſit,* TVA*que pia & litteraria omnia propoſita, tam diligenti aure, ac ſuavi vultu acceperit. Faxit* MISERICORS DEVS, *ut Pientiſſimus & Sapientiſſimus* REX, *patriaeque ſalutis cupidiſſimus,* ILLVSTRISSIMA TVA EXCELLENTIA, *Praeſule vere ſancto atque erudito,* EODEM*que Senato-*

natare probo, & fideli, & ſapiente, integro adhuc ſaeculo fruatur. ILLVSTRISSIMA *autem* TVA EXCELLENTIA, *STANISLAO AVGVSTO REGE, liberalibus ſtudiis doctrinisque cumulatiſſimo, Muſisque indulgentiſſimo, eandem opem bonis Litteris, doctisque Viris feret, quam ſub FRIDERICIS VTRISQVE AVGVSTIS, adeo magnifice glorioſeque iis praeſtitit. Seriſſimam aetatem, quam vivido animo, tam vegeto corpore, tranſigat* ILLVSTRISSIMA TVA EXCELLENTIA, *incomparabile litteratae Senectutis ſpecimen, ac fulgentiſſimum noſtri temporis decus atque ornamentum. Varſaviae, e Sacrario Reipublicae, id eſt,* TVA *publica Bibliotheca, Prid. Id. Auguſt. Anno reparatae humanae Salutis M. D. CC. LXV.*

EXCER-

EXCERPTVM
POLONICAE LITTERATVRAE.
VOL. II.

LXXVIII.

Vacuo nunc regali ſolio, *Ruſſorum Auguſta*, Comiti *Kaiſerlingio*, ampliſſimam ad Regni Ordines demandavit legationem. Heri ille, in publico Senatus conſpectu, fidei litteras, Principi Gneſnenſi Archiepiſcopo, totius Poloniae Primati, reddidit. Quem allocutus eſt his verbis:

Reges mortales eſſe, mors inopinata AVGVSTI III, Sereniſſimi Regis Poloniae, Magnique Ducis Lituaniae, novum Nobis perhibet exemplum. Dolet *Imperatrix Ruſſiarum* obitum Principis boni, vicini et amici. Dolet orbatum Sereniſſimae *Reipublicae* ſtatum, qui ut placide & pacate in integrum evadat, e voto & re omnium aeque, ac vicinorum eſt. Ne vero quidquam Officiis bonae vicinitatis amicitiaeque deeſſe videatur, placuit *Dominae* meae *Clementiſſimae*, munus Oratoris ſui, quo antea hic functus ſum, iterum mihi clementiſſime deferre. Quo & exinde appareat, quanta ſit amica voluntas, licet minime nova, qua *Imperatoria Maieſtas*, erga *Sereniſſimam Rempublicam*, fertur. Integritatem *Gentis liberae* vicinae ſalvam eſſe, maxime intereſt. Fieri igitur non poteſt, quin *Sua Imperato-*

riae Maieſtas ſit ad ea intenta, quae *Sereniſſimae Reipublicae* tuanquillitatem, libertates, Iura & Privilegia tangunt. Quae omnia & ſingula velit *Celſitudo Veſtra*, ex hiſce *Fidei Litteris*, uberius perſpicere. Quoad reliquum, me omni, quo par eſt, cultu iterum iterumque commendo.

Ad ea Princeps Archiepiſcopus, atque Primas:

Principes mortales, orbatus nunc *Sereniſſimo* ſuo Rege, & luctu plenus *Reipublicae* ſtatus comprobat. Ac mixtum, cum ſuo, *Sereniſſimae Imperialis Maieſtatis* dolorem, vero gratitudinis Officio complectitur. *Rempublicam* aeternam, legibus ſuis ſalvam & immunem, eo ſuavius tranquillam fore; cum *Sereniſſimae Imperialis Maieſtatis* votis, ex uberrima vicinitatis amicae benevolentia, ſeptam; tum *Excellentiſſimi Oratoris* teſtimoniis certiorem redditam; credit & exoptat. Eo quoque fine *Litteras*, pro documento optimae, in *Rempublicam* Noſtram, *Sereniſſimae Imperatricis* voluntatis, ab *Excellentiſſimo Oratore* exhibitas, maximo, prout decet, cultu recipio. Ac libentiſſime in Perſona *Excellentiae Veſtrae*, Nobis apprime cara, & iam praecedente *Interregno* bene nota, nec non vere omnibus dilecta, digniſſimum *Oratorem* recognoſco, ac pleno corde proſequor: de praemiſſis *Rempublicam* informatam redditurus.

LXXIX.

Eſt *Lubienscius*, Gneſnae Archipraeſul, Regnique Poloniae Primas, & Primus Princeps, iuſta ſtatura, & pulcra admodum forma, cui haud minus gratiae ineſt, quam dignitatis. Ingenium ei placidum, lene, dulce, facile, eruditum in publicis negotiis tractandis. Eloquium elegans & ſuave. A tenero, optimis diſciplinis innutritus. Omniumque rerum magnarum ſcientiam conſecutus,

cutus. Reipublicae ſumme gnarus. Eiusque ſaluti, pervigili & ſollicita cura, intentus. Clemens, erga omne hominum genus, & mire comis. Bonitate & aequitate plane incomparabilis.

LXXX.

Kaiſerlingius, magnus Ruſſorum Auguſtae Legatus; ab univerſa Gente Polonica, eximie & colitur, & amatur. Implevit iam ſeptimum & ſexageſimum aetatis annum. Corpore tamen eſt ſat agili & vivido. Vultuque & geſtu decoris auctoritatisque pleno. Ingenio adhuc, & memoria, maxime validus. Altiſſima eruditione, magnarumque rerum experimentis, inſtructiſſimus. Sermone gravis & dulcis: repugnantes, quoquo ducat, impellens. Integritate, fide, prudentia, vigilantia, conſtantia in publicis negotiis agendis, cum eminentiſſimis huius, & ſuperioris omnis aevi viris, haud dubie conferendus. Vita tranquillus & temperatus. Semperque, aut in excogitandis, aut in expediendis rebus maximis, occupatus. Amicitias haud facile admittens. Sed conſtantiſſime retinens. Natura caeteroquin omnibus benignus. Clementiae, in viros eruditos, liberalitatisque eius multa & magna documenta ſunt. Et legum, & conſuetudinum, & rerum omnium Polonica-

 rum,

rum, mirum quantum! peritus. Noſtrae-que Gentis ſtudioſiſſimus.

LXXXI.

AVGVSTI III, optimi, ſemperque deflendi Regis exequiae, in Divi IOANNIS BAPTISTAE Baſilica, trium dierum moeſta pompa, ſunt celebratae. Adfuit Princeps Regni Primas, itemque Senatus magna pars, & ingens Nobilium multitudo. Kiovienſis Epiſcopus, *Ioſephus Zaluſcius*, doctiſſimus noſtrae aetatis Praeſul, patriaeque & gentis ſuae amantiſſimus, Manuale Iuris Publici Poloniae, In Statu Reipublicae Acephalo, emiſit. Quo omnia, quae Interregni tempore, in Reipublicae adminiſtratione, novique Regis electione atque inauguratione, obſervari debent, ingenuo ſtylo, ac facili ordine exponuntur.

LXXXII.

Maſovitica Societatis Ieſu Provincia, AVGVSTO III, POLONIAE REGI, MAGNOQVE LITVANIAE DVCI, NEC NON HEREDITARIO DVCI SAXONIAE, ET PRINCIPI ELECTORI, IN DEVM PIISSIMO, IN CIVES BENEFICENTISSIMO, IN REBVS ADVERSIS FORTISSIMO, PACIS AC TRANQVILLITATIS PVBLICAE STVDIO-

SISSI-

SISSIMO, PATRI PATRIAE, FAUTORI SUO AMPLISSIMO, hoc lugubri carmine, iuſta perſolvit:

Ergo erat in fatis, ut, cum Te, maxime Regum,
Speremus Pylios vivere poſſe dies,
Et numerum meritorum annis aequare Tuorum,
Praecipiti raperet Parca cruenta manu!
Et qua Te Populus Proceresque ad Regna vocarunt, *
Spectarent triſtes, funera moeſta die!
Scilicet humanae ſunt haec ludibria vitae,
Perpetuo rerum turbine cuncta vehi,
Optatis falli votis, rebusque ſecundis
Miſceri adverſas cernere ſaepe vices;
Et riſus iungi lacrymis, poſt gaudia luctus
Currere, ſit ſtabili ne quid, in Orbe, loco.
En poſt exactas acies, & Marte repulſo,
Saxonicas nuper depopulante plagas,
Dum parat attritam bellorum pondere Gentem
Viſere, & afflictis ferre benignus opem,
Quas ſpes non aluit dilecto Principe iam iam
Linquente Iſtuleum Sarmatica ora ſolum?
Ah, quoties dixit: nec me ſpes lubrica fallit,
Nec temere expecto; Rex rediturus abit,
Dixerat. Ah, utinam Superi pia vota probaſſent,
Auguriique ſui ſpes bona certa foret!
Audio ſed querulos ſonitus, moeſtasque per omnem
Sarmatiam longe fundere templa preces.
Et Populum aſpicio deiecto lumina vultu
Ferre gradum, & quidnam neſcio, triſte loqui.
Orba parente gemit ſoboles, ſine Rege Senatus,
Plorat & usque ſuum Nobilis Ordo Ducem.
Plebs queritur Dominum immaturo funere raptum,
Defenſore fides, Vindice iura carent.
Sic eſt: non lacrymas melius reor eſſe profuſas
Vsquam, nec potuit iuſtior eſſe dolor.
Occidit AVGVSTVS, qui per ſex luſtra Polonis
Munera tranquillae pacis amica dedit:

 Dum-

* Obiit V. Octob. quo die, ante XXX annos, electus eſt Rex.

Dumque alibi fremerent metuendo cuncta Gradivo,
Iuraque per populos enſis & haſta darent,
Et Tameſis, Rhenusque minax, Iſterque profundus,
Sequanaque & raucis aſper Iberus aquis,
Iratoque Albis cum gurgite bella ſonarent,
Regnabat noſtris ſedibus alta quies.
Et ſtrepitus inter, flammas, iaculataque tela,
Securus tenuit Regna Polona ſopor.
Quid memorare iuvat diuturnae commoda pacis,
Vnde opibus crevit noſtrum & honore ſolum?
Si quis cultus adeſt Patriae, ſi docta Minerva
Coepit Sarmaticas incoluiſſe plagas:
Si colimus leges, aequum rectumque ſecuti,
Suppliciumque reus, praemia iuſtus habet:
Si canit aprico tranquillus meſſor in agro,
Et placido merces flumine nauta vehit:
Cuncta haec PACIFICO *debentur munera* REGI,
Fas, pietas, artes, gloria, ſplendor, opes.
Occidit. Ah, utinam tanti violentia caſus
Perniciem in plures non trahat iſta gravem!
Sic illa erecto ſpectanda ubi vertice quercus,
Quae totam umbroſa fronde tegebat humum,
Stridentis Boreae nimio quaſſata tumultu
Frangitur, & terram mole premente petit;
Communi vicina dolent arbuſta ruina,
Non quippe a ventis, unde tegantur, habent.
Aut ubi Cecropio dux flavae monte cohortis
Immiti Meropis raptus ab ore perit.
Hinc atque hinc volitat metuens exercitus omnis,
Nec ſcit, quo dubius fertur, & unde venit:
Sic metuit, Cara viduata Polonia Rege;
Nam ſibi quod metuat, novit adeſſe domi.
Fors mala vipereos quatiens Diſcordia crines,
Impatiens longa Regna quiete frui,
Triſte acuit ferrum, iugulos laeſura Polonos,
Et parat in mutuas Civica bella neces?
Novimus, & docuit ſatis experientia rerum,
Quam grave tot Regum cernere fata fuit.
Fallor, an aethereas placidum vox miſſa per auras
Funditur, & Lechiam dira timere vetat?

Cura

Cara mihi ante alias tellus, dum vita maneret,
Vita privato nunc quoque cara mihi,
Ne me forte putes oblitum ſedibus iſtis,
Solliciti curas depoſuiſſe Patris
Quin melius cælo, virtus quo me extulit, alto,
Sceptraque iam fatis non adimenda dedit,
Quid tibi dent Superi faciles, optasve velisve,
Noſco, atque ut facites dent tibi cuncta, precor.
Nam tibi ſi rapuit communi funere Regem,
Non potuit carum Mors rapuiſſe Patrem.

Eadem Provincia, AD CELSISSIMVM, ILLVSTRISSIMVM, EXCELLENTISSIMVM, REVERENDISSIMVM DOMINVM, DOMINVM LADISLAVM LVBIENSKI, ARCHIEPISCOPVM GNESNENSEM, LEGATVM NATVM, REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE PRIMATEM, PRIMVMQVE PRINCIPEM, hocce elegidion exaravit:

Continuis agitata malis terraque marique
Lacrymor, & lacrymis obruor ipſa meis.
Vnica ſpes fuerat, ſed ſpes haec nuper ademta eſt,
AVGVSTVS, coetus ſpesque ſalusque mei.
Quod ſupereſt, animumque addit, lenitque dolorem;
Dum Pater eripitur, Tu mihi Tutor eris.

LXXXIII.

Poſnanienſis Epiſcopus, *Theodorus* Dux *Czartoryscius*, apud generoſam atque potentem Poloniae Maioris Nobilitatem, & gratia praepollet, & auctoritate. Cui quidem, in neceſſitudine Reipublicae, parentis

affectum exhibet. Eminet in hoc Principe & Praeſulae, mens excelſiſſima, egregiis virtutibus, optimisque artibus, & rebus maximis impleta. Mira illi dicendi facultas, copia, ubertas. Mira etiam in ore ipſo, vultuque ſuavitas. Eleganter magis, quam ſumtuoſe vivit. Adamat doctos viros, omnisque generis artifices. Eosque eximiis honoribus atque praemiis adficit. Amico illo nihil verius, nihil candidius, nihil fidelius.

LXXXIV.

Numeroſa ac ſplendida Varſavienſis Terrae Nobilitas, Lituaniae Dapiferum, *Stanislaum Poniatovium* ſumma Reipublicae ſcientia, ac divina quadam facundia praeditum, incredibilique iuvandae patriae ſtudio flagrantem, & *Theodorum Szydlovium*, Vexilliferum Varſavienſem, iuris ac legum peritia clariſſimum, ad *Convocationis Comitia*, Legatos pronunciavit. *Auguſtus* Dux *Czartoryscius*, Roxolanicarum Terrarum Palatinus, iuſtiſſimus ſane, & temperatiſſimus, & ſapientiſſimus Princeps, Kapturalium in Varſavienſi Terra Iudiciorum Mareſchalcus eſt conſtitutus. *Sieminscius*, Regni Referendarius, ſub exitu ſuperioris anni, de vita deceſſit. Mareſchalci honorem, in Supremo Regni Tribunali, dextere geſſit. Semperque optimarum in Republica par-

partium fuit. Huius anni principio, ſenio confectus obiit *Wodzicius*, Premiſliae Epiſcopus, Regnique Poloniae Procancellarius, quo nihil aut ſimplicius, aut ſincerius, aut melius novi. Secutus eum, ad Superos, *Carolus Crenius*, priſcae fidei ſingulare exemplum. Succeſſit illi, in Plocenſem Cathedralem Canonicatum, graviſſimus vir *Cyprianus Wolicius*, Pomeraniae Archidiaconus atque Officialis. *Szaniawscius*, Gneſnenſis Metropolitanae Eccleſiae Canonicus, Principisque Archipraeſulis, Regni Primatis Referendarius, ingenii & eloquentiae fama notus, Vladislavienſi Cathedrali Canonicatu eſt accumulatus.

LXXXV.

Princeps *Grabowscius*, Varmiae Pontifex, Prutenicarumque Terrarum Praeſes, magnis atque arduis negotiis aſſuetus, & ad Rempublicam bene gerendam factus, infirma admodum valetudine, affectaque iam aetate, in Epiſcopatu ſuo detinetur. Conventui Poloniae Maioris, Dux *Czartoryscius*, Poſnanienſium Antiſtes, ſumma ſollicitudine animi ac vigilantia praefuit. Ipſius auſpiciis, deſignati ad *Convocationis Comitia* Legati, *Franciſcus Walknowscius*, Iudex Terreſtris Caliſſienſis, *Antonius Cricius*, Poſnanienſis Subdapifer, *Mathias*

Gliszczynſcius, Terreſtris Caliſſienſis Notarius, *Vladislaus Gurowscius*, filius defuncti Caſtellani Poſnanienſis, *Caſimirus Raczynscius*, Conventus huius Mareſchalcus, *Ioannes* denique *Lipscius*, Regni caſtrorum Metatoris demortui filius, maiorum claritudine omnes inſignes, ingenioque, & conſilio, & eloquio maxime praeſtantes. Princeps *Lubomirius*, ſupremus Regni Excubiarum Praefectus, natura ſollertiſſimus, ſummeque diſertus, & Reipublicae peritiſſimus, iuris quoque civilis intelligentia, atque omni prudentiae genere inſtructiſſimus, a florentiſſima Sandomirienſi Nobilitate mittitur. Fulget, inter collegas eius, *Ioſephus Solticus*, Enſifer Sandomirienſis, Principis atque Praeſulis Cracovienſis germanus frater, excelſa animi indole, patriaeque caritate, ei perſimilis. Veniet e Belzenſi Palatinatu, vir fortiſſimi animi, ſummique conſilii, et maximi laboris, *Caſimirus Poniatovius*, Regni Poloniae Archicamerarius. Potiores Volhiniae Nobiles in publicum foedus coivere. Regni Venatorem, *Stanislaum* Ducem *Czartoryscium* doctrinarum omnium copia, magnarumque rerum uſu praecellentem, huc mittendum cenſuere. Praecipuum ille Legationis ſocium habet, *Nicolaum Piaskowscium*, Tribunum Vlodimirienſem, legum patriarum ſcien-

tia

tia multa, & omni facultate dicendi, memorabilem.

LXXXVI.

Fridericus Maximus, Boruſſiae Rex, *Stanislao Poniatovio*, fulgentiſſimo Lithvaniae Dapifero, Ordinis Aquilae Nigrae inſigne miſit. Additis blandiſſimis litteris. Quibus noſtri herois virtutes digne extolluntur. Iam quanta *Poniatovii* apud Rempublicam auctoritas! quanta fides! Ipſius ianua, & veſtibulum, maxima quotidie ſummorum hominum frequentia celebratur. Nec ulla res maior ſine illo geritur. Quippe, cuius neque conſilium, neque inceptum ullum fruſtra fuit. Publicis ille intentus negotiis, ſupra quam cuique credibile eſt. Periculisque obviam adeo obſiſtens, ut inſtaurandae atque propugnandae Reipublicae genitus videatur.

LXXXVII.

Ingenti profecto, & privatorum plurimorum emolumento, & univerſo bono publico, ad nos eſt delatus, magnanimus, & gravis, & ſapiens, idemque ad iuvandam Rempublicam alacer, & promtus, fideique conſtans Princeps, *Caietanus Solticus*, Epiſcopus Cracovienſis. Totos hoſce dies, noctesque, molliendis diſſenſionibus publicis dedit.

dedit. Kiovienſis Praeſulis, *Zaluſcii Muſagetae* amore, neptis eius filium, *Ioſephum Szaniawſcium*, ingenioſum decorumque iuvenem, Cracovienſem Canonicum Cathedralem creavit. Premiſliae Epiſcopus, Dux *Czartoryſcius*, doctum ac cultum virum, ſibique percarum & diu probatum, *Martinum Ioſephum Olbricium*, Cathedralis ſuae Eccleſiae Canonicum fecit. *Szeptycius*, Plociae Antiſtes, eruditiſſimum Oſiecenſem Praepoſitum, *Michaelem Antonowicium*, Inſignis Eccleſiae Collegiatae Pultovienſis Canonicatū donavit.

LXXXVIII.

Miſſus a *Boruſſorum Rege*, ad *Rempublicam Polonam*, magnus Legatus, Princeps *Schoenaich*, inſigni corporis forma, ingeniique & iudicii praeſtantia, exquiſitarum inprimis rerum omnium ſcientia, comitate quoque & affabilitate ſermonis, vitaeque cultu atque elegantia, principes viros, & nobiles, populumque, facile ad ſe illicit atque attrahit. Regis iuſſu, glorioſi laboris ſocium & conſortem ſe ei adiunxit, *Gedeon Benoit*, vir ſumma rerum civilium cognitione, & prudentia inſtructus, inque Polonicae gentis legibus atque inſtitutis callide ac perite verſatus. Incolumis advenit huc, vir natura peracutus, idemque moderatus & ſapiens,

tuen-

tuendaeque libertati, & reconciliandae concordiae paratiſſimus, *Ioannes Wielopolscius*, Palatinus Sandomirienſis. Infando autem noſtro incommodo, detrimentoque, in ipſo flore aetatis, phthiſica adfectione conſumtus eſt, *Michael Rudzienſcius*, Maſoviae Palatinus, fideliſſimis atque optimis huius Regni Senatoribus meritiſſimo annumerandus.

LXXXIX.

Exiit Lovicii, e Primatiali Typographeo, vernacula Paſtoralis Epiſtola, *A Vladislao Alexandro Lubienſcio*, Gneſnenſi Archiepiſcopo Et Legato Nato Apoſtolico, Regnique Poloniae Primate Et Primo Principe, Ad Metropolitanum Clerum Suum, Atque Populum, ſumma doctrina, & gravitate, & elegantia ſcripta, divinisque praeceptis, & legibus plena, ac referta. Culmae, in Presbyterorum Miſſionis ſaecularium officina typographica, Synodicae Leges, a ſapientiſſimo & religioſiſſimo Kioviae Praeſulae, *Ioſepho Andrea Zaluſcio* ſancitae excuduntur. Quibus Vitae Kiovienſium Antiſtitum, a *Friſio* ingenti ſtudio conſcriptae, ſubiunguntur. *Iaskiewicius*, Varſavienſis Canonicus, *Iacobi Benigni Boſſueti*, Epiſcopi quondam Meldenſis, ſacra eruditione, & ingenii acumine clariſſimi, Expoſitionem Doctrinae Catholicae, in Polonicum ſermonem ſtudioſe accurateque verſam, publicavit. *Zaluscii*, laudatiſſimi Praeſulis, nomini dedidit.

doles enitet! Quanta ille auſus! Quam magnifice conata executus, ad vindicandam reſtituendamque dignitatem Reipublicae!

XCII.

Illuſtris Societatis Ieſu Mathematicus, *Stephanus Luskina*, Solis Ecclipſeos Obſervationem Aſtronomicam, Anno currente 1764, die prima Aprilis, in Regia Arce Varſavienſi, praeſentibus Regni huius Optimatibus, exterorumque Monarcharum Legatis, Caelo quam maxime favente Inſtitutam, in lucem emiſit. In ſuburbano Collegio, quod Societatis Ieſu Patres, nobilioribus erudiendis iuvenibus dedicavere, *Thadaeus Mlocius*, filius Zacrocimenſis Praefecti, magna cum animi, tum etiam ingenii expectatione adoleſcens, Selectas Ex Vniverſa Philoſophia Theſes, viriliter defendit. Interfuit, cum principibus viris, ſpes Polonicae Gentis, *Stanislaus Poniatovius*, Magni Lituaniae Ducatus Dapifer. Quem *Mlocius*, principio diſputationis, in hunc maxime modum eſt affatus:

Quid mihi, verae laudis aemulo, optabilius contingere potuit, VIR ILLVSTRISSIME, quam tentaminis mei litterarii teſtem, TE habere; quem animo intueri non poſſum, quin in admirationem rapta quaſi divinitus mens mea, in has erumpat cogitationes: veniet tandem aurea illa aetas vehementer deſiderata, diſcuſſis perturbationum tenebris, quibus conſepulti vivimus: novusque rerum ordo eluceſcet, qui TIBI gloriae, qui nobis felicitatis cumulus accedet. Videre iam mihi videor Imperium hoc noſtrum firmioribus nixum fundamentis, meliori donatum forma, ſplendi-

diorem

diorem adductum in ordinem, iucundo ſcientiarum artiumque lumine colluſtratum. Iam ea felicitate, ea gloria, iis omne genus commodis, Gens tota potiri mihi videtur, quae deſideria ſuperabunt, quae exterorum admirationem parient, quae poſterorum vota excitabunt. Quid vero amplam adeo nobis ſpem facit? facit praeſtantia illa, VIR ILLVSTRISSIME, qua naturae dotes omnes ita complecteris, ut ad grandia, ad Patriae decus, ad gloriae faſtigium, natum TE praedicent omnes iuſti rerum aeſtimatores. Ad hanc nos expectationem adducunt decora atque ornamenta innumera, quae ſummo ingenio TVO, tam miro ſcientiarum, artium, & Philoſophiae ſanioris uſu adſciviſti: ut ad reſtituendum, melioribusque fulciendum legibus, Imperium nutans, ac ſuis prope convulſum ſedibus, in TE, tanquam columen praeſidiumque ſuum, Reſpublica convertat oculos. Haec nobis appromittit ſingularis ille virtutum concentus, quo nihil non ſapienter moliris, nihil non ſtrenue vincis, nihil non moderate ſuſtines, nihil non laudabiliter praeſtas. Haec nobis pollicentur vota, quibus TE cives; amor & ſtudium, quibus TE Regni optimates; laudes eximiae, quibus TE ipſae gentes exterae; gratia tandem & benevolentia, quibus TE Reges potentiſſimi proſequuntur. Sane mirum, ſi TIBI, ut Patrono, & Fautori ſcientiarum ſtudioſiſſimo, tentamen noſtrum devoveri non geſtiret. Nec ſua illud tenuitas deterret. Suum enim Oceano tributum, non ſuperba tantum flumina, ſed & humiles rivuli penſitant; quos cum non reſpuat; ita ſingularem illam benignitatem TVAM, quae deeſt nemini, confidimus nobis non defuturam.

Doctiſſimus atque comtiſſimus ille Eques Gallus, *Pyrrhys a Varillaeo*, Lettres Hiſtoriques Et Politiques, Sur Les Interregnes De Pologne, divulgavit.

XCIII.

Lipſiae lumen, *Boehmius*, Primi Regii Poloniae Principis, Saxoniaeque Electoris Hiſtoriographus, Kiovienſis Praeſulis, *Ioſephi Andreae Zaluſcii*, Muſarum Gratiarumque ductoris fauſto auſpicio, IOANNIS DE CVRIIS DANTISCI, EPISC. OLIM VARMIENS. POEMATA, multifariam antea diſperſa, nunc vero in unum corpus egregie redacta, in conſpectum politiorum hominum produxit. Pulcerrimum iis prooemium, ad ampliſſimum Civitatis Dantiſcanae Magiſtratum, de magnis *Dantisci* virtutibus rebusque praeclare geſtis praemiſit. Cui iucundam admodum intexuit mentionem, de hodierno Varmiae atque Sambiae Antiſtite, Principe *Adamo Stanislao Grabowscio*. Quem pietatis, ſapientiae, eruditionisque fulgentiſſimum ſpecimen, ſummo iure ac merito appellat. Noſter ille *Nagurczewscius*, Ciceronis adverſus Catilinam Orationes, in Polonicum ſermonem, ſummo cultu ac nitore tranſtulit. Magno Lituaniae Notario, *Ioſepho Soſnowscio*, caeleſti in dicendo homini, dedicavit. *Naruſſewicius*, homo inprimis acutus & ſubtilis, optimisque Latinorum litteris excultus, & linguae vernaculae elegantia inſtructiſſimus, Taciti Annales Polonice reddit.

XCIV.

Sub HENRICI *Electionem*, in publico Senatus conſeſſu, adſtantibus tunc Nobilitatis nunciis, auditae ſunt Legationes Externorum Principum, Papae videlicet, & Caeſaris, Galliaeque & Sueciae Regum. Vide *Sulikovium*, in Commentario Rerum Polonicarum. p. 8.

Summi Pontificis Oratorem, *Ioannem Franciſcum* Cardinalem *Commendonum*, deduxere domo, miſſi a Senatu tres Epiſcopi, ac totidem alterius ordinis Senatores, multique praeterea privati officii cauſa principes Nobilitatis. Senatus in caſtris ultra Viſtulam, quam ſublicio ponte iunxerant, habebatur: tenſo ad id, in media planitie, ingenti tabernaculo, regali magnificentia ornato. *Commendonum* e curru, quo vectus erat, deſcendentem ante tentorium, Poloniae atque Lituaniae Mareſchalci accepere. Ii, quod officium uni Regi praeſtare conſueverunt, cum ſcipionibus *Commendonum* antecedentes, turbam ei ſummoverunt. Cui intranti tabernaculum, conſurgens univerſus Senatus obviam eſt factus. Ipſe ad principem ſedendi locum deductus, claudentibus latera hinc Gneſnenſi Archipraeſule, hinc Cracovienſi Antiſtite, conſedit. Idem Senatus fecit, circumfuſa Nobilium multitudine; quantam capere locus poterat. Si-

 lentio

lentio facto, *Commendonus* litteras Pontificis Maximi Senatui reddidit. Quibus recitatis, ipſe orationem eſt exorſus. In qua non ſolum de Rege, Catholicae fidei cultore, creando diſſeruit; ſed etiam de inita ab heterodoxis, adverſus eam fidem, ſocietate verba fecit: quantum ea a Chriſtiani animi ſenſu, ac religione abhorreret, oſtendens. Cum autem haec *Commendonus* peroraſſet, Senatus Principes in medium tentorium coivere, & pauca inter ſe collocuti, ad ſuum quisque locum rediere. Tum conſurgens Archiepiſcopus Gneſnenſis, Senatus nomine, Pontifici Maximo, & *Commendono* gratias egit, quod Poloniae ſalutis tantam curam gererent. Daturumque operam Senatum dixit, ut a conſiliis, monitisque eius, paternae benevolentiae atque officii plenis, ne diſcederet. Poſt haec *Commendonus* diſceſſit, proſequente uſque ad currum univerſo Senatu, praeter Palatinum Sandomirienſem, & alios paucos heterodoxos. Vide *Gratiani* Vitam *Ioannis Franciſci* *Commendoni* Cardinalis. Cap. VIII. & IX. p. 367 - 369.

Inſequenti die auditi Caeſaris Legati, a duobus Senatoribus, videlicet Palatino Lublinenſi, & Caſtellano Gedanenſi, deducti. Vide *Gratianum*, Cap. IX. p. 370.

Legati Caeſaris magnopere contenderant, ut Hiſpaniae quoque Regis Orator, una

una cum iis, Senatum introduceretur, ſiquidem una veniſſet, & eadem mandata afferret, nec in ea re, ſeparatim quicquam a Caeſare, Hiſpaniae Rex eſſet acturus. Sed impetrare nequiverunt, contra tendentibus Galliae Regis Legatis, qui ſe loco praeſtare, & Hiſpaniae Oratori praeferri debere, aiebant. Ita Hiſpanus, ne conceſſiſſe Gallis videri poſſet, Senatu non convento, domum diſceſſit. Et, poſt Caeſaris Legatos, Galli introducti ſunt. Aliae deinceps Legationes, ordine auditae. Vide *Gratianum*, Cap. IX. p. 370. & *Sulikovium*, l. c. p. 8. itemque *Andreae Maximiliani Fredro*, Geſta Populi Poloni, ſub *Henrico I.* p. 60.

XCV.

In STEPHANI *Electione*, miſſo nullo Pontificio Oratore, ante alios Caeſareus Legatus, *Martinus Gerſtmannus*, Epiſcopus Vratislavienſis, introductus eſt. Vide *Heidenſteinii* Rerum Polonicarum Librum II. p. 74. a.

Caeſareum autem Legatum, Archiducis *Ferdinandi*, ut eiusdem domus Principis Orator, mox ſubſecutus. Vide *Heidenſteinium*, l. c. p. 74. b.

Suecicus deinde Legatus eſt auditus. Vide *Heidenſteinium*, l. c.

Poſtridie Orator Ducis Ferrarienſis, Legationem ſuam, ſcripto comprehenſam, reddidit.

didit. Ea publice lecta. Vide *Heidenſteinium*, l. c. p. 75. a.

Expectati fuere, *Stephani* ipſius, Tranſylvaniae tunc Palatini nomine, *Martinus Berzevicius*, & *Georgius Blandrata*. Ille, in itinere, morbo detentus eſt. Hic, demandatae ſibi Legationis capita, in Senatum miſit. Vide *Heidenſteinium*, l. c. p. 75. b.

XCVI.

In *Comitiis Electionis* SIGISMVNDI III, qua ordine Legati audirentur, propter Moſcum maxime, & Suecum, quorum neutrum alteri conceſſurum ſatis conſtabat, controverſiae aliquid fuit.

Commodiſſimum tandem viſum, ut primo die Summi Pontificis, & Caeſaris, Hiſpaniaeque Regis, Oratores admitterentur. Quorum dignitati ultro cedens Moſcus, poſt eos, eodem die auditus eſt. Eoque tempore, ob Regis *Stephani* memoriam, Tranſylvanicis Legatis, adeundi Ordines facultas conceſſa. Ad extremum, eo die, Ducis Pruſſiae Oratores admiſſi.

Cum Caeſaris Oratoribus, Hiſpaniae Regis & Auſtriacorum Archiducum Legati, tanquam in communi cauſa, & a coniunctis Principibus miſſi, una in Senatum venere. Fecitque verba, omnium nomine, Epiſcopus

ſcopus Olomucenſis, dux Caeſareae Legationis.

Poſtridie Legatis Suecicis locus princeps datus eſt. Qui prius, quam ad Senatum accederent, proteſtatione ſibi, Regisque ſui dignitati, cavere; aegre admodum ferentes, quod Moſci die ſuperiore fuerint admiſſi. Secundum Suecos Electorum Imperii Oratores coniunctim ſunt auditi. Vide *Heidenſteinii* Rerum Polonicarum Librum VIII. p. 256. ſq.

XCVII.

Ante, quam VLADISLAVS IV. eligeretur, Vtriusque Ordinis conſeſſus, audiendis Principum diverſorum Legatis, vacavit. Senatoribus, & Nobilitatis Nunciis, inſimul congregatis. Ductoque vaſtiori circulo ſub dio, ubi Equeſtris Ordo ſolus eousque ſubſtiterat.

Primo venere, a Regio Poloniae Principe, *Vladislao*, Regni Sueciae Herede, germani fratres eius, Principes, *Ioannes Caſimirus*, & *Ioannes Albertus*, *Carolus* quoque *Ferdinandus*, & *Alexander Caſimirus*: unaque Legati, *Henricus Firley*, Premislienſis Epiſcopus, & *Georgius Oſſolinski*, Regni aerarii minor Praefectus, itemque *Sigismundus Kazanowski*, ſecretioris tunc apud Principem *Vladislaum* cubiculi

Magiſter. Quos Vladislavienſis Antiſtes, *Matthias Lubienski*, Senatus nomine, & omnium Procerum turmae militares, honoris atque officii cauſa, ab Arce, ad Comitium deduxerunt. Appropinquantibus aſſurrexit Archiepiſcopus Gneſnenſis, cum Senatu univerſo. Acceptosque, ad portam Comitii, Principes, *Vladislai* fratres, ad ſellas, in capite Coronae Senatoriae, pone laevam ſellae Primatialis ſuae, praeparatas conduxit. Legati vero, qui cum iis venerant, inter ſupremos Regni Poloniae & Magni Ducatus Lituaniae Mareſchalcos, in conſueto Legatorum quorumcunque loco, conſedere. Silentio tunc facto, Princeps *Ioannes Caſimirus*, fratrem ſuum, *Vladislaum*, Poloniae Regem eligi, ab utroque Ordine modeſtiſſime petiit. Cuius ſermonem excipiens, Epiſcopus Premislienſis, merita *Vladislai* Principis, multo uberius atque diſertius expoſuit. Senatus nomine, ad utramque perorationem, Gneſnenſis Archiepiſcopus reſponſum dedit. Deinde Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, nomine Nunciorum, ſeorſum reſpondit. Omnes demum, ad reducendos Principes, conſurrexerunt. Vide *Pauli Piaſecii*, Chronica Geſtorum In Europa Singularium, p. 450. ſq.

Poſtridie ad Ordines, eodem modo ſimul conſidentes, acceſſit *Honoratus Vicecomes*, S. Se-

S. Sedis Apoſtolicae Nuncius. Etiam, ad laevam Archiepiſcopi Gneſnenſis, locum occupavit. Legationem, ab *Vrbano VIII*, Pontifice Maximo demandatam, copioſa oratione expoſuit. Laudibus Polonicae Gentis recenſitis, hortatus eſt Ordines, ad placatiora in rebus Eccleſiaſticis conſilia, utque eligerent ſibi Regem, Principem *Vladislaum*. Tulit reſponſum ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, acceptiſſimam eſſe omnibus, Summi Pontifi cis paternam de Regno hoc ſollicitudinem, monitionemque ſalutarem. Deliberationes vero publicas, eamque praecipue, quae Regis nominationem concernit, in hac Republica non, niſi exploratis ſingulorum voluntatibus, expediri ſolere. Curaturos tamen Ordines, ut Regem eligant, qui Apoſtolicae Sedi placeat, & Catholicam Religionem defendat; quem etiam Chriſtiani populi hoſtis timeat; Orbisque cultior admiretur. Eodemque verborum ſenſu, Mareſchalcus ordinis Equeſtris reſpondit. Vide *Piaſecium*, p. 451. ſq.

Audiendi deinde fuere, Germanorum Caeſaris, Suecorumque Regis, Legati. Advenere prius Suecici. Verum Caeſareus tardius ſuperveniens, tum primum audientiam petiit, cum iam proximus dies audiendis Suecicis Legatis decretus fuiſſet. Grave inde dubium occurrit, quomodo prior Caeſareus Legatus, uti decebat, admittendus eſſet? cum Suecici ad audientiam iam invitati, citra illorum iniuriam, in diem alium haud rejici, neque etiam utraeque Le-

g tiones eodem die audiri poſſent. Sed peropportune accidit, ut Princeps Legationis Suecicae, *Steno Bielke*, eo die, podagrae morbo affectus, tempus ſibi prorogari, ultro rogaret. Atque ita, tempore illi iam dato, Legatus Caeſaris in conſeſſum Ordinum conductus eſt. Is, capto loco inter Mareſchalcorum ſedes, Latina lingua commemoravit Auſtriacae Domus, cum Regibus Poloniae, veteres coniunctiones atque affinitates, earumque emolumenta; quibus adductus Caeſar, *Ferdinandus III*, Legationis officio, praeſenti Electioni aſſiſtere, Principemque *Vladislaum*, arctiore ſanguinis vinculo ſibi coniunctum, Ordinibus Regem eligendum commendare voluerit. Gneſnenſis Archiepiſcopus, & poſtea Mareſchalcus Equeſtris Ordinis reſpondit, recordationem talium neceſſitudinum, humaniſſimamque Caeſareae Maieſtatis erga hoc Regnum voluntatem, Ordinibus gratiſſimam eſſe. Ipſosque, actu determinato, uberius reſponſum daturos. Vide *Piaſecium*, p. 452.

Suecica Legatio perendie audita. Vide *Piaſecium*, l. c.

Minorum Principum, nempe *Fiduciariorum* Regni Legati, non in pleno Reipublicae conſeſſu, ſed ſeorſum a Senatorio, & Equeſtri Ordine, admiſſi. Vide *Piaſecium*, pag. 453.

XCVIII.

XCVIII.

Sub *Electionem* IOANNIS CASIMIRI, in frequenti Ordinum conſeſſu, *Ioannis* ipſius *Caſimiri*, Regii Poloniae Principis, ac Sueciae Hereditarii Regis Legati, ante alios auditi. Hi fuere, *Georgius Tyszkiewicius*, Samogitiae Epiſcopus, *Stanislaus Warſzycius*, & *Chriſtophorus Koniecpolscius*, ille Maſoviae, hic Belſenſis Palatinus; *Naruszewicius* item, Lituaniae Referendarius, & *Chriſtophorus Koniecpolscius*, Poloniae Vexillifer, *Lubomirius*que, Stabuli Regni Praefectus. Samogitarum Praeſul fidei litteras exhibuit Archipraeſuli Gneſnenſi. Quas Magnus Regni Secretarius alta voce legit. Multa ſubinde *Tyszkiewicius*, de orbitate Reipublicae, eiusque triſti conditione, locutus eſt. Ad cuius tractanda gubernacula, *Ioannem Caſimirum* Principem, & natura factum, & optimis artibus inſtitutum, commonſtravit. Nudato capite omnes attente audivere. Gneſnenſis Archiepiſcopus, & Nunciorum Mareſchalcus, brevi reſponſo ſuo ſignificavere, Ordines huius Principis, Regiaeque *Iagelloniae* ſtirpis, in primis rationem habituros. Vide *Stanislai* Ducis *Radivilii*, Memoriale Rerum Geſtarum In Polonia MS. *Tom. II.* p. 1601 - 1604. & *Veſpaſiani Kochowscii*, Annalium Poloniae Climactèrem Primum, p. 73.

Poſtero die, *Chriſtinae*, Suecorum Reginae, Legatus introductus. Etiam *Wilhelmi*

mi Kettleri, Curoniae & Semigalliae Ducis, Orator admiſſus. Vide Ducis *Radivilii* Memoriale, *Tom. II.* p. 1604. ſq.

Tertia autem luce, ad Ordines venit *Ioannes* de *Torres*, Archiepiſcopus Adriapolitanus, Summi Pontificis, *Innocentii X*, nomine. Magno cum honore acceptus. Pro geminis Principibus Regiis, *Ioanne Caſimiro* atque *Carolo Ferdinando*, gravem ac luculentam orationem habuit. Finita ea, Pontificias binas litteras, alteras ad Senatum, alteras ad Nobilitatem ſcriptas, reddidit. A Gneſnenſi Archiepiſcopo, & Nunciorum Mareſchalco, humaniſſime ei reſponſum. Vide *Radivilii* Memoriale, *Tom. II.* p. 1606.

Adfuere deinceps *Caroli Ferdinandi*, Regii Poloniae Principis, Plocenſisque & Vratislavienſis Praeſulis, Oratores, *Stanislaus Zaremba*, Kioviae Epiſcopus, *Adamus* Dux *Sanguszko*, Volhiniae Palatinus, *Albertus Czerſcius*, & *Andreas Ruszkowscius*, alter Chelmenſis, alter Inovladislavienſis Caſtellanus, *Theodorus* quoque *Potocius*, Halicienſis Succamerarius, & *Venceslaus Leszczynius*, Praefectus Wyſocenſis, & *Stephanus Niszczycius*, Vexillifer Belſenſis. Antiſtes Kiovienſis verba fecit. Poſtea Principis litteras reddidit. Hiſce recitatis, a Gneſnenſi Archiepiſcopo, Equeſtrisque Ordinis Mareſchalco, eodem modo, quo *Ioanni Caſimiro*,

fuit

fuit reſponſum. Vide Ducis *Radivilii* Memoriale, *Tom. II.* p. 1608. & *Kochowscii* Annalium Poloniae Climacterem Primum, p. 75.

Tunc demum Chriſtianiſſimi Gallorum Regis *Ludovici XIV*. Legati, conſidentes Ordines ſalutavere. *Ioannem Caſimirum*, Regium Principem natu maximum, ac bellica virtute clariſſimum, in Regem commendavere. Vide Ducis *Radivilii* Memoriale, *Tom. II.* p. 1609. ſq.

Loco ultimo, Ducis Neoburgici Oratores, in Reipublicae adſpectum prodiere. Id ab Ordinibus petentes, ut Regii Principes praecipui Regni candidati haberentur. Vide Ducis *Radivilii* Memoriale, *Tom. II.* p. 1610.

XCIX.

In MICHAELIS *Electione*, primus omnium S. Sedis Apoſtolicae Legatus, congregatos Ordines adivit. Miſſi ab Ordinibus, duo Epiſcopi, ac ſex Palatini, totidemque Terrarum Nuncii, eum ex aedibus ſuis, in campum deduxere. Currum eius, centum & viginti Senatoriae rhedae anteivere. Ab ipſo Comitii vallo, uſque ad Vrbis pomeria, vtroque viae latere, Nobilitas armata ſub duodeſexaginta vexillis conſtitit. Tranſeuntem Apoſtolicum Legatum, armis, vexilliſque expanſis, & concinentibus ſignis venerata eſt. Ingreſſo Comitium, Senato-

natores atque Nuncii Terreſtres, ſolitam reverentiam praeſtitere. Gneſnenſis Archiepiſcopus binos paſſus ei occurrit. Humaniter acceptum, ad ſedendum, inter ſe & Epiſcopum Cracovienſem, invitavit. Reddidit Legatus, Archiepiſcopo, litteras a Maximo Pontifice, ad Senatum ſcriptas. Haſce Regni maior Referendarius legit. Scriptam, ad Equeſtrem Ordinem, epiſtolam, Mareſchalcus eiusdem Ordinis recepit. Isque ſedens, verum ob reverentiam Apoſtolicae Sedis, capite nudato, recitavit. Poſtea Legatus Apoſtolicus, ad utrumque Ordinem, ſplendidam ac copioſam orationem habuit. Cui Gneſnenſis Archiepiſcopus, & Nunciorum Terreſtrium Mareſchalcus, comiter ac breviter reſpondere. Vide *Caſimiri Zawadzki* Diarium Electionis Regis Michaelis, p. 9. ipſius Hiſtoriam Arcanam, p. 16. ſq. & Principis *Andreae Chryſoſtomi Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 119.

Poſt diem tertium, Caeſareus Legatus adfuit. Senatorii atque Equeſtris Ordinis deductores habuit. Inter quos tamen Epiſcopi non fuere. Qui ſoli Apoſtolico Legato id officium praeſtare ſolent. Armata Nobilitas ſub octoginta octo vexillis, conſuetos ei honores exhibuit. Legatus ille, privatim a Gneſnenſi Archipraeſule monitus, fidei litteras non reddidit, quia in earum inſcriptione,

ne, SERENISSIMAE cognomentum, REIPVBLICAE haud attributum fuit. Itaque, medius inter Regni atque Equeſtris Ordinis Mareſchalcos, conſidens, praemiſſa ſalutatione, adhibitoque Reverendiſſimorum, Excellentiſſimorum, Illuſtriſſimorum, SERENISSIMAE huius REIPVBLICAE Senatorum, Regnique Ordinum titulo, demandatam ſibi a Caeſarea Maieſtate Legationem, paucis expoſuit. Cui etiam, a Gneſnenſi Archiepiſcopo, Equeſtrisque Ordinis Mareſchalco, ſuccincte eſt reſponſum. Vide *Caſimiri Zawadzki* Diarium, p. 13. eius Hiſtoriam Arcanam, pag. 22. ſq. itemque Principis *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 120. ſq.

Deſtinatus eſt inſequens dies, excipiendo atque audiendo Galliae Regis Legato. Qui, ſimulata adverſa valetudine, non comparuit. Omnem demum audientiam deprecatus, non ſine aliqua indignatione, quod Princeps *Condeus*, candidatorum Regni numero exemtus eſſet. Vide *Caſimiri Zawadzki* Diarium, p. 13. & 15. illius Hiſtoriam Arcanam, p. 23. & 25. Principis quoque *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 121.

Invitatus exinde Sueciae Regis Orator. Verum is, ſcriptis ad Regni Procancellarium litteris, diem ſibi prorogari petiit; ſiquidem quibusdam adhuc deſtitueretur, quae ſibi a Rege ſuo omnino expectanda eſſent.

Vide *Zawadzki* Diarium, p. 15. eiusque Hiſtoriam Arcanam, p. 25. Principis item *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 122.

Tempore igitur ei iam aſſignato, Brandenburgici Electoris, Pruſſicique Ducis Legatus, eadem pompa, qua Caeſareus, adductus eſt atque auditus. Vide *Samuelis de Puſendorf*, Commentariorum, De Rebus Geſtis *Friderici Wilhelmi Magni*, Electoris Brandenburgici, Librum X. §. 87. p. 719.

Proxima luce, Palatini Neoburgici Orator, a congregatis Ordinibus, honorificentiſſime acceptus auditusque. Hunc ſtatim inſecuturi erant Lotharingiae Ducis Legati. Dum autem illi expectarentur, permiſſum eſt Curoniae ac Semigalliae Ducis Oratoribus, Legationis ſuae negotium explicare. Minor iis honor, quam aliorum Principum Legatis, impertitus. Non enim a Regni Poloniae, vel Magni Ducatus Lituaniae, ſed a Nobilitatis Mareſchalco introducti. Neque etiam inter Mareſchalcos, ſed extra Senatorium conſeſſum, pone Pruſſiae Palatinatuum ſedem, locati fuere. Redditis litteris, ad Rempublicam ſuppliciter ſcriptis, praecipuus Orator, Ducis nomine, nonnullas iniurias conqueſtus eſt, fidemque promiſſorum Principi ſuo exſolvi, a Sereniſſima Republica petiit. Reſponſum a Gneſnenſi Archipraeſule, curaturos Ordines, expeditis negotiis, magis Rempublicam afficientibus, ut iuſtiſſimis deſide-

[illegible]ſideriis Illuſtriſſimi Ducis ſatisfiat. Vide *Zawadzki* [illegible]arium, p. 16. illius Hiſtoriam Arcanam, pag. 26. & [illegible]ncipis *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiari[illegible] Tomum I. p. 121.

[illegible]dmiſſus adhuc Tattaricus Legatus. Cu[illegible] a dextro latere, ſtratus humi erat tape[illegible] nationi iſti moris eſt. Verum ille, [illegible] abſentiam cauſatus, ſellam poſtulavi[illegible]atum ei ſedile, tapete decoratum. Tu[illegible]barus Comitium ingreſſus, verſato i[illegible] & illam partem inepto corpore, ad [illegible]Mareſchalcum facie, poſteriori parte [illegible]Senatum, conſedit. Interpretis ope[illegible]er conſidere iuſſus, Reipublicae a [illegible]in[illegible]e ſuo, plurimam ſalutem dixit. Eiusque [illegible]mine, Pactorum Podhajecenſium, [illegible]nitae [illegible] cum Republica amicitiae, perenne foedu[illegible]b Ordinibus expetiit. Gneſnenſis Archi[illegible]ſcopus, quomodo Illuſtriſſimus Chan Soltan Galga, [illegible] Nuradin Soltan, valeant, quaeri iuſſit. Optime [illegible] valere, reſpondit. Tum Archipraeſulis i[illegible], Legato interpres inquit, Reſpublica ſocietati[illegible] cum magno Tattarorum Chano, univerſaque eorum [illegible]e, factae memor, in ea permanebit. Ipſosque, ut inte[illegible] fide viciſſim eam colant, non rogat ſolum, verum etia[illegible]ecrat. Surgens deinceps de ſedili Le[illegible]s, propiusque ad Gneſnenſem Archiepiſcopum accedens, litteras a Principe ſuo ad Senatum ſcriptas, ei porrexit. Alteras ad Nobilitatem, Mareſchalco Terreſtrium Nunciorum reddidit. Iterum conſidens,

Vide *Zawadzki* Diarium, p. 15. eiusque Historiam Arcanam, p. 25. Principis item *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 122.

Tempore igitur ei iam aſſignato, Brandenburgici Electoris, Pruſſicique Ducis Legatus, eadem pompa, qua Caeſareus, adductus eſt atque auditus. Vide *Samuelis* de *Puſendorf*, Commentariorum, De Rebus Geſtis *Friderici Wilhelmi Magni*, Electoris Brandenburgici, Librum X. §. 87. p. 719.

Proxima luce, Palatini Neoburgici Orator, a congregatis Ordinibus, honorificentiſſime acceptus auditusque. Hunc ſtatim inſecuturi erant Lotharingiae Ducis Legati. Dum autem illi expectarentur, permiſſum eſt Curoniae ac Semigalliae Ducis Oratoribus, Legationis ſuae negotium explicare. Minor iis honor, quam aliorum Principum Legatis, impertitus. Non enim a Regni Poloniae, vel Magni Ducatus Lituaniae, ſed a Nobilitatis Mareſchalco introducti. Neque etiam inter Mareſchalcos, ſed extra Senatorium conſeſſum, pone Pruſſiae Palatinatuum ſedem, locati fuere. Redditis litteris, ad Rempublicam ſuppliciter ſcriptis, praecipuus Orator, Ducis nomine, nonnullas iniurias conqueſtus eſt, fidemque promiſſorum Principi ſuo exſolvi, a Sereniſſima Republica petiit. Reſponſum a Gneſnenſi Archipraeſule, curaturos Ordines, expeditis negotiis, magis Rempublicam afficientibus, ut iuſtiſſimis deſide-

deſideriis Illuſtriſſimi Ducis ſatisfiat. Vide *Zawadzki* Diarium, p. 16. illius Hiſtoriam Arcanam, pag. 26. & Principis *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum I. p. 121.

Admiſſus adhuc Tattaricus Legatus. Cui, a dextro latere, ſtratus humi erat tapes, prout nationi iſti moris eſt. Verum ille, Regis abſentiam cauſatus, ſellam poſtulavit. Datum ei ſedile, tapete decoratum. Tum barbarus Comitium ingreſſus, verſato in hanc, & illam partem inepto corpore, ad Regni Mareſchalcum facie, poſteriori parte verſus Senatum, conſedit. Interpretis opera, aliter conſidere iuſſus, Reipublicae a Principe ſuo, plurimam ſalutem dixit. Eiusque nomine, Pactorum Podhajecenſium, initaeque cum Republica amicitiae, perenne foedus ab Ordinibus expetiit. Gneſnenſis Archiepiſcopus, quomodo Illuſtriſſimus Chan Soltan Galga, & Nuradin Soltan, valeant, quaeri iuſſit. Optime illos valere, reſpondit. Tum Archipraeſulis iuſſu, Legato interpres inquit, Reſpublica ſocietatis, cum magno Tattarorum Chano, univerſaque eorum gente, factae memor, in ea permanebit: Ipſosque, ut integra fide viciſſim eam colant, non rogat ſolum, verum etiam obſecrat. Surgens deinceps de ſedili Legatus, propiusque ad Gneſnenſem Archiepiſcopum accedens, litteras a Principe ſuo ad Senatum ſcriptas, ei porrexit. Alteras ad Nobilitatem, Mareſchalco Terreſtrium Nunciorum reddidit. Iterum conſidens,

manu, ab Ordinis Equeſtris Mareſchalco reverentiſſime acceptae ſunt, atque lectae. Ipſe demum Legatus, ad Senatores ſimul, & Nuncios Terreſtres, verba fecit. Cui, pro Senatu, Epiſcopus Cracovienſis, pro Nobilitate vero, Equeſtris Ordinis Mareſchalcus reſpondit.

Caeſareo Oratori par paene honos habitus eſt. Medio autem ille, inter Regni, & Equeſtris Ordinis Mareſchalcos, loco conſedit. Vnam epiſtolam, ad Senatorium atque Equeſtrem Ordinem ſcriptam, attulit. Eamque magnus Regni Secretarius legit. Orator ipſe, ad Vtrumque Ordinem, pauca locutus. Cui, Cracovienſis Epiſcopus, & Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, reſponſum paucis reddidere.

Regis Galliae Legatus, regali plane apparatu, & invidendo comitantium atque deducentium ſplendore, diſpoſitis ante Comitium armatis Reipublicae cohortibus, inter ſigna militaria & vexilla, exceptus eſt. Eique adventanti, praeter Poloniae & Lituaniae, Equeſtrisque Ordinis Mareſchalcos, complures alii Senatorii Ordinis, e Comitio obviam proceſſere. Duas litteras porrexit, Senatorio unas, alteras Equeſtri Ordini. Illas Magnus Regni Secretarius, has Equeſtris Ordinis Mareſchalcus recitavit. Locuples fuit Legati oratio, & elegans, & magnifi-

gnifica, tamque augusto Senatorum atque Nobilium concilio coetuque digna. Cui Cracovienſis Praeſul, & Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, pari ingenii vi ſermonisque copia atque ornatu, reſponderunt.

Lotharingiae Ducum Oratores, Cracovienſis Praeſulis curru, praeeuntibus aliis Senatoriis rhedis, decentique Nobilium comitatu, adducti ſunt: Venientibus, ſolus Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, ad portam Comitii; occurrit. Introeuntes a Mareſchalcis Regni & Lituaniae ſalutati ſunt. Mediique inter eos conſedere. Vterque litteras, a Duce ſuo, ad Senatum & Equeſtrem Ordinem ſcriptas, exhibuit Antiſtiti Cracovienſi. Qui Mareſchalco Equeſtris Ordinis recitandas dedit. Oratoribus, a Cracovienſi Epiſcopo, Equeſtrisque Ordinis Mareſchalco, eſt reſponſum.

Neoburgicus Legatus, eodem modo, quo Lotharingici Oratores, acceptus, inque Ordinum conſeſſum perductus eſt. Litteras fidei Magnus Regni Secretarius recitavit. Legato, Cracovienſis Antiſtes, & Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, reſponſum dedere. Surgente iam Senatu, litterae Ducis Mutinenſis allatae ſunt. Lectaeque a majore Regni Referendario. Qui Ducis negotia Varſaviae tractabat, ab Ordinibus non eſt admiſſus, quia Legati honore non

 erat

erat inſignitus. Eadem ratione, Sabaudiae Ducis internuncius, Reipublicae aditu abſtinuit. Ducis litterae, coram Ordinibus, ſunt recitatae.

Curoniae Ducis Legato, Regni Ordines adeunti, extra circulum Senatorum, medius, inter Novogrodenſium, & Cujavienſium Terrarum Nuncios, locus datus eſt. Redditis, & Senatui, & Nobilitati, fidei litteris, iisque publice recitatis, Legatus ornatiſſimis verbis, Ducem ſuum a Reipublicae clientela exſolvi petiit, qui retribuendis ſibi a Republica grandibus debitis viciſſim ſit ceſſurus. Promiſſum a' Cracovienſi Epiſcopo, Equeſtrisque Ordinis Mareſchalco, Ducis poſtulatum, electo atque inaugurato Rege, expenſum iri.

Regis Daniae Orator, & Electoris Brandenburgici Legatus, morbo affecti, Rempublicam ſalutare nequiverunt. Danus tamen Regis ſui litteras ad Ordines miſit. Qui, per duos primarios Nobiles, cum illo egerunt. Vide manu ſcriptum Diarium Electionis Regis *Ioannis III*, ſub Dies V, VII, IX, & XII, itemque XVI, XVIII, & XIX. Menſis Maii.

CI.

In *Electione* AVGVSTI II, Legatus Apoſtolicus, *Ioannes Antonius De Via*, Archipraeſul Thebarum, a duobus Epiſcopis

pis, unoque Palatino, ac tribus Nobilitatis Nuncijs, ad Regni Ordines deductus eſt. Primatiali curru vectum, frequens rhedarum Senatoriarum numerus, & ingens multitudo Nobilium anteceſſit. Appropinquanti, alii duo Epiſcopi, Regnique & Lituaniae, Equeſtrisque Ordinis, Mareſchalci occurrere. Ingredienti omnes aſſurrexere. Primas, *Michael* Cardinalis *Radzieiovius*, comiter atque amanter eum complexus eſt. Mediamque, inter ſe, & Leopolienſium Archipraeſulem, ſedem ei obtulit. Legatus, Cardinali, binas a Pontifice Maximo litteras reddidit. Vnas ad Senatum, Magnus Regni Secretarius legit. Alteras ad Equeſtrem Ordinem, huius Mareſchalcus recitavit. Blandum deinde ac politum ſermonem Apoſtolicus Legatus habuit. A quo Maioris Poloniae Nobilitas vehementer poſtulavit petiitque, ut coram Republica, nomine Sanctiſſimi, praetenſioni ad conferendas Abbatias, cum praejudicio Iuris Patronatus Regii, renunciaret. Converſus ad eam, Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, inhibito clamore, Sanctiſſimus, inquit, ad Reipublicae totius inſtantiam, a proviſionibus ad Abbatias recedit, promittitque inveſtiendos tam eos, qui fuerunt a Rege defuncto nominati, quam qui in futurum nominabuntur. Statimque Cardinalis, Regni Primas, ac poſt eum, ille ipſe Mareſchalcus, impertitam Reipublicae a Pontifice Maximo benedictionem, reſtitutamque Re-

gi in creandis Abbatibus auctoritatem, gratiarum actione proſecutus eſt. Legatus denique, iisdem comitibus, quibus venerat, domum reverſus. Vide MStum Diarium Electionis Regis *Auguſti II*, ſub Diem XX, Menſ. Iunii. Principisque *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum II. p. 344.

Orator Caeſaris, *Ioannes Philippus Lambergius*, Epiſcopus Paſſavienſis, eximia pompa adductus, medium, inter Supremos Poloniae atque Lituaniae Mareſchalcos, locum obtinuit. Traditis, ab eo, fidei litteris, INCLYTAE REIPVBLICAE titulus inſcriptus fuit. Vnde Terreſtres Nuncii pergraviter offenſi, Magno Regni Secretario interceſſere, quo minus eas legeret. Poſt magnas contentiones, data eſt *Lambergio* poteſtas dicendi, ea conditione, ut in oratione ſua, Rempublicam Sereniſſimam appellaret. Cui ſapiens ille & callidus Praeſul obtemperans, Polonicam gentem, miris laudibus praedicavit, eamque, ob liberatam Viennam, ſupra alias omnes Nationes extulit, & Rempublicam frequenti SERENISSIMAE cognomine veneratus eſt. Ad extremum, Principem *Iacobum Sobiescium*, defuncti Poloniae Regis filium maximum, Germanorum Caeſaris affinitate clarum, militiaeque ſtrenuum, & gubernandae Reipublicae in primis peritum,

tum, creandum Regem Ordinibus impenſe commendavit. Sub ipſum finem orationis, *Lambergio* plurimus ex naribus ſanguis profluere coepit. Quare ei, a Cardinali, Regni Primate, Terreſtriumque Nunciorum Mareſchalco, curſim & breviter eſt reſponſum. Vide Diarium Electionis Regis *Auguſti II*, ſub Diem XXI, Menſis Iunii, & Principis *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum II. p. 347.

Legatus Gallicus, *Melchior Polignacus*, ſcriptam ad Regni Senatores Equitesque orationem, divulgavit. Metu tamen alicuius contumeliae, Reipublicae faciem haud ſubiit. Cardinalis autem Primas, Gallis amiciſſimus, reliquis Legatis, adeundi Ordines copiam, brevioris temporis & ſpatii obtentu negavit. Vide Diarium Electionis Regis *Auguſti II*, ſub Diem XXVI, Menſis Iunii, Principisque *Zaluski*, Epiſtolarum Hiſtorico-Familiarium, Tomum II. p. 349. & 364. una cum *Lengnichii* Hiſtoria Polona Ampliore, p. 301. ſq.

CII.

Ante geminam STANISLAI I. atque AVGVSTI III. *Electionem*, ſolus ex omnibus, Pontificius Legatus, a Regni Ordinibus publice auditus. Duo Praeſules, magno ac ſplendido comitum nume-

ro, ipſum adduxere. Ante Comitium, ſaeculares tres Senatores, ac ſeni ex ſingulis gentibus Nobiles, eum excepere. Intrantem cuncti ſimul ſurgentes maxima reverentia coluere. Prope accedentem, obvius paululum, Princeps Regni Primas, in ſellam a dextra collocatam, invitavit. Allatas, ab eo, Pontificis Maximi, & ad Senatum, & ad Nobilitatem litteras, Regni maior Referendarius recitavit. Legatus, Pontificis ſingulare in Polonos ſtudium, verbis ampliſſimis explicavit. Magnoque opere, ab omnibus, & ſingulis contendit, ut Regem, avitae & Catholicae pietatis cultorem, crearent. Cui Princeps Regni Primas ſancte pollicitus eſt, Senatum Apoſtolica benedictione munitum, Regem talem electurum, qui verus Catholicae Eccleſiae filius, verusque Orthodoxae Religionis defenſor ſit, ac debito erga Apoſtolicam Sedem zelo, fidelique in Pontificem Maximum obſequio, nulli quidem Chriſtiano Principi cedat. Surgens venerationis cauſa, Equeſtris Ordinis Mareſchalcus, idem pro Nobilitate ſpopondit. Vide *Ioſephi Mogilnicii*, Praefecti Nieſſavienſis, manu exarata Acta Interregni, poſt Fata Sereniſſimi *Auguſti Secundi*, Regis Poloniae Et. Electoris Saxoniae, A. MDCCXXXIII, Menſe Septembri, Sub Diem X.

CIII.

CIII.

Comitiorum Electionis ſolemnia laeto admodum ſucceſſu celebrantur. Concionem habuit Smolenſciae Epiſcopus, *Gabriel Wodzinſcius*, corporis ſublimitate, ardore oculorum, frontis auctoritate, geſtus praeſtantia, vocis etiam iucunditate claritateque, & argumentorum gravitate, omniumque verborum ponderibus plane admirabilis. Facundiſſimus ille Praeſul, liberae Genti ſuae ſuaſor & auctor eſt, ut aviti decoris haud immemor, non alium, niſi ex utrisque parentibus indigenis genitum, patriisque imbutum moribus, & optimis diſciplinis inſtitutum, Catholicae doctrinae praeceptis Sacrorumque veterum ritibus innutritum, Ordini eccleſiaſtico benevolum, & omni Populo ſuo benignum, virtute eximium, pietati inprimis deditum ac iuſtum, legumque patriarum & gerendae Reipublicae bene peritum, Regem eligat. Terrarum Nuncii, egregie concordes, Magnum Lituaniae Notarium, *Ioſephum Soſnowſcium*; Suadae Polonicae medullam, Mareſchalcum ſuum conſalutavere. Secretarii munus, *Ioannes Szadurſcius*, Livoniae Dapifer, probatae fidei ac cognitae dexteritatis vir, obtinuit.

CIV.

CIV.

CLEMENTIS XIII, Maximi & Sapientiſſimi Pontificis Legatus, *Antonius Eugenius Vice-Comes*, Epheſinus Archiepiſcopus, conſidentes in Comitio, Regni Ordines ſolemni ritu ſalutavit. Pompam duxerunt, miſſae a Magni Lituaniae Ducatus Mareſchalcis equitum turmae, exquiſito apparatu inſtructae. Quas inſecutae ſunt Regni Procerum rhedae, omni ornamentorum genere, ſelectoque ac numeroſo famulitii comitatu conſpicuae. Terrarum deinde Nuncii, ad deducendum Apoſtolicum Legatum, a Polonico atque Lituanico Equeſtri Ordine conſtituti & deſignati, Principis Regni Primatis curribus vehebantur. Proxima iis, in equis ſucceſſit, Optimatium & opulentiorum Nobilium lectiſſima ſoboles. Tum demum Legatus ipſe Apoſtolicus, eminentiori Primatis curru vectus. Sedere contra eum, qui Senatorii Ordinis officia ad ipſum detulerunt, *Andreas Baierus*, & *Ioſepus Zaluscius*, alter Culmenſis & Pomeſanienſis Praeſul, alter Kioviae atque Czerniechoviae Antiſtes. Primaria Legati Apoſtolici rheda, vacua pone ſecuta. Aliae duae ipſius Praelatos atque Nobiles vexere. Agmen, honoris humanitatisque

cauſa,

cauſa, clauſit praeſtantiſſima Reipublicae equeſtris cohors, quae prudentiſſimi & fortiſſimi viri, *Caſimiri Poniatovii*, Poloniae Archicamerarii, curae ac fidei commendata & concredita eſt. Venientem Legatum, prae Comitio, delecti ex utroque Ordine primae dignitatis viri, opperiti ſunt. Ingredientem Lituaniae Mareſchalci cum ſcipionibus proxime praeceſſerunt. Totus Senatus, ut eum vidit, a ſedibus ſurrexit. Princeps Regni Primas, quinque paſſus propior ei factus. Poſt mutuam ſalutationem, Legatus Primati Pontificias, ad Senatorium Ordinem, litteras porrexit. Alteras, ad Ordinem Equeſtrem, Nunciorum Mareſchalcus, ab ipſo, recepit. Legato, inter Principem, Regni Primatem, & Leopolienſem Archipraeſulem, ſella ornatior pauloque excelſior tributa. Sedente eo, omnes conſedere. Tum Magnus Regni Secretarius, a Supremo Lituaniae Mareſchalco appellatus, Pontificis Maximi ad Senatum litteras, elata voce legit, hunc in modum conſcriptas:

DILECTIS

DILECTIS FILIIS, NOBILIBVS VIRIS, ORDINI SENATORIO REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cum, in Poloni Nominis virtute, intelligamus firmum Chriſtianae Reipublicae & Catholicae Religionis poſitum eſſe praeſidium, nil tantopere cupimus, quam eum inclytae Genti Veſtrae praeſici Regem, qui verae pietatis cultor, tum iuſtitia, fortitudine, caeteriſque Regiis ornatus virtutibus, ita Regalia obeat munia, ut & Catholica Fides in Religioſiſſimo Regno conſervetur incolumis, Voſque perpetua pace & tranquillitate perfruamini. Sed, ad tuendam Religionem, avertendamque a rebus Veſtris perturbationem, videte Dilecti Filii, Nobiles Viri, ne quidquam moveatur de iis Legibus, quas Maiores Veſtri adverſus Diſſidentes a Catholica Fide conſtituerunt: & ſi quae, ad eas Leges mutandas, conſilia ineantur, iis omni conatu reſiſtatis, oportet; ſi Vobis eſt cordi vera pietas, & Regni ſecuritas, quae quidem novimus Vobis eſſe cariſſima. Sed, de his omnibus, Noſtro nomine, Vobiſcum aget Venerabilis Frater, *Antonius Eugenius*, Archiepiſcopus Epheſinus, Noſter & huius Apoſtolicae Sedis Nuntius, cuius verbis omnem, ut Nobiſmet ipſis, fidem adhibebitis. Et Patrem Luminum enixe precantes, ut caeleſtis ſuae gratiae luce, Veſtrum animum in his Comitiis illuſtret, ſuoque permoveat Numine, Nobilitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die II. Iunii MDCCLXIV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Michael Angelus Giacomellus.

Alteras deinde, ad Nobilitatem, litteras, Comitiorum Secretarius, a Mareſchalco Equeſtris Ordinis vocatus, recitavit. In quibus haec erant ſcripta:

DILECTIS FILIIS, EQVESTRI ORDINI REGNI POLONIAE ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

CLEMENS PAPA XIII.

Dilecti Filii, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quanti a Vobis fiat incolumitas Religionis, ac Poloniae Regni Veſtri tranquillitas, ſatis Nos certos facit praeclara virtus atque indoles, quam veluti haereditatem opulentiſſimam accepiſtis, a fortiſſimis & piiſſimis Maioribus Veſtris, qui pro conſervanda Catholica Fide, & Patria defendenda, ad omnes dimicationes ſe obiecerunt. Itaque, cum in Comitiis proxime habendis ſtatuendum ſit, quem potiſſimum Religionis Catholicae vindicem, & Regni Veſtri cuſtodem idoneum iudicetis, dubitare non poſſumus, quin illud in hac tanta deliberatione unice ſpectaturi ſitis, quod in rem Catholicam, & in publicam Regni utilitatem, futurum iudicaveritis. Et vos quidem ſatis ardentes & erectos ad rem bene gerendam exiſtimamus. Sed tamen hiſce Noſtris litteris alacritatem Veſtram adhuc incendendam putavimus, ne in graviſſimo negotio, quod ad Catholicam Religionem maxime pertinet, Apoſtolica Noſtra deeſſe viderentur officia. Novimus avitae Religionis Vos eſſe ſtudioſiſſimos, & erga hanc Sacram *B. Petri* Sedem ardenti devotione incendi, Veſtrarumque Legum miro modo tenaces, nil tantopere velle, quam ut ſancte ſerventur. Ne igitur unquam patiamini labefactari quidquam de legibus, quas adverſus Diſſidentes a Catholica Religione, Maiores Veſtri tulerunt, tanta Sui cum laude, & totius Eccleſiae approbatione. His legibus tutandis conſervandiſque idem promerebitis, quamobrem, in eligendo Rege, praeſenti Vos Deus adiuvet

adiuvet auxilio. Et magnam referetis verae pietatis gloriam, & arctiori benevolentiae vinculo ipſi Vobis devincietis Apoſtolicam Sedem. Sed haec uberius Vobis exponet Venerabilis Frater, *Antonius Eugenius*, Archiepiſcopus Epheſinus, Noſter Apoſtolicus Nuntius, cuius verbis eam habebitis, quam Nobismet ipſis fidem adhiberetis. Vobisque, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die II. Iunii MDCCLXIV. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Michael Angelus Giacomellus.

Quibus perlectis, Legatus Apoſtolicus, Senatorium ſimul Equeſtremque Ordinem, ſic allocutus eſt:

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI, PERILLVSTRES ET REVERENDISSIMI, MAGNIFICI ET GENEROSI DOMINI.

Quanta benevolentia SSmus Dnus Noſter, CLEMENS Decimus Tertius, Pontifex Maximus, Sereniſſimam Rempublicam Veſtram proſequatur, Dnes Veſtrae Illmae & Rmae, Illmae & Excellmae, Perilluſtres & Rmae, Magnificae & Generoſae, ex Eius peramantiſſimis aeque, ac honorificentiſſimis Apoſtolicis Litteris, in forma Brevis, mox pro concione recitatis, intelligere abunde potuerunt. Quamquam etiam non obſcura eius rei argumenta, ipſis dederit, ſuperiore anno, cum beneficia Eccleſiaſtica alternis menſibus largiendi liberum arbitrium, Collegio huic Epiſcopali libentiſſime confirmavit. Haec etſi per ſe ſatis magna cuique videri poſſint, amor tamen Sanctitatis Suae, in Veſtros Ordines, his circumſcribi limitibus, atque intra tales veluti cancellos ſe contineri, non eſt paſſus.

Qua-

Quapropter mandavit mihi Legato ſuo, ut Vos, Conventum pro Rege eligendo, more maiorum agentes, publicè ſolemniterque adirem, atque Excellentiſſimo Senatui, Inclytoque Equeſtri Ordini, benevolos animi ſui ſenſus, quo ſtudioſius atque amantius poſſem coram, ipſius nomine, declararem. Summa illorum haec eſt: Se nihil aliud ardentius cupere, nihil aliud magis ſibi curae eſſe, quam ut Sereniſſimae Reipublicae Veſtrae firmitas, amplitudo, Maieſtas, felicitas, acceptaque a Moioribus cum virtutis, tum Catholicae Religionis gloria, qua inter cæteros Europae nobilitatur Nationes, ſalva ſemper incolumisque ſervetur. Id quominus ſit aliter, efficitur non modo charitate eius paterna, qua Sereniſſimam Rempublicam non ſecus ac chariſſimam Filiam ipſe complectitur, verum etiam ex Veſtra in Apoſtolicam Sedem pietate obſequioque, quod Summo Chriſti in Terris Vicario, veluti Catholicae Vnitatis Centro, per omnem ætatem laudabiliter, iure, meritoque praeſtitiſtis. Quemadmodum autem Navis proceIloſo, ventoſoque commiſſa pelago vix, ac ne vix quidem fieri poteſt, ut in eum, ad quem dirigitur, portum illaeſa invehatur, niſi ad illius Clavum ſolers, gubernandique prudens Nauta aſſideat, qui & ingruentes ventos proſpicere, & circumſidentes ſcopulos declinare, & latentes denique ſyrtes cavere noverit, ita Beatiſſimus Pater auctor eſt magnoque opere hortatur Dominationes Veſtras Illuſtriſſimas & Reverendiſſimas, Illuſtriſſimas & Excellentiſſimas, Perilluſtres & Reverendiſſimas, Magnificas, ac Generoſas, ut omni privata ratione poſthabita, Patriae tantum amore ducti, concordi ſuffragio, tranquilloque conſilio eum deligant Regem, qui rerum gerendarum prudentia, iudicii gravitate, animi magnitudine, ſapientia denique non mediocri pollens, legum Veſtrarum cuſtodiae continenter excubando, commoda Regno maxima comparare; quidquid vero, a quo vel gloriae, vel potentiae Veſtrae detrimentum timendum ſit, praecavere antea, ac diſſipare opportune poſſit. At vero, quod omnium caput eſt, Catholicae Religionis non ad ſpeciem, aut conſuetudinem tantum Sectator, ſed ſincerus cultor, & propugnator

firmus exſiſtat, ut iure gloriari poſſit ORTHODOXI appellatione, quam ante eum Reges Veſtri, veram fidem tuendo acriter, atque amplificando, obſequioque in Apoſtolicam Sedem, maxime meruerunt. Hae ſunt dotes vere Regiae, atque ex harum temperamento virtutum exſurgit mirabilis illa, ac quaſi divina indoles, qua is, qui praeditus eſt, regendis imperio Populis admoveri meretur. Sapientia Veſtra, pietas in Deum eximia, charitas, quam Patriae debetis, ſpem mihi certam faciunt, graviſſimum hoc negotium, unde ſalus pendet Civium, avitaeque Religionis Veſtrae, eo, quem Summus Pontifex optat, exitu, naviter a Vobis expeditum iri. Orationis igitur meae vela contraham; ſed antequam id facio, ſinite quaeſo, ut peculiaris amoris mei, quem humanitate Veſtra, erga me, ſumma meriti eſtis, argumentum praebeam, Deumque Optimum Maximum enixe precer, qui Sancti Spiritus lumine, auxilioque, mentes omnium Veſtrum repleat, atque illuſtret, ut Dominationes Veſtrae Illuſtriſſimae & Reverendiſſimae, Illuſtriſſimae & Excellentiſſimae, Perilluſtres & Reverendiſſimae, Magnificae & Generoſae, nil niſi quod cum ipſius Dei honore, cum Veſtra, Veſtrique Regni amplificatione & gloria coniunctum ſit, ſtatuere valeant.

Ei Princeps, Regni Primas, hoc modo reſpondit:

Novit optime Sanctiſſimus Pontifex, CLEMENS XIII, omnes, qui ſunt Eius. Novit Nos, filios ſuos, Sanctae Sedi ſemper devotiſſimos. Oracula ipſa Sedis Apoſtolicae ſat clare Regnum Poloniae, & Orthodoxum, & antemurale Chriſtianitatis nuncupari, Primateſque ſuos naſci Legatos Apoſtolicos voluerunt. Haec continua, erga nos, Supremorum in Terris Chriſti Vicariorum benevolentia, Noſtraque erga Eosdem illibata & religioſa veneratio, supernaeque confirmationis alterorum menſim, gratiſſima recordatio ſufficiunt, ut Illuſtriſſimae & Reverendiſſimae Dominationi Veſtrae perſuaſum ſit de ſummo Noſtro in *Sanctiſſimum Patrem* filiali amore, nec non de ſingulari

ſtri in Te, Eius digniſſimum Legatum, obſervantia. Campus iſte, toties optimis auſpiciis Summorum Pontificum honoratus, teſtari poſſet, quo ſtudio conſtanter ſemper, Maiorum Noſtrorum more & exemplo, feramur, ut Noſtra *Sedi Apoſtolicae* ſubmiſſio & devotio, omni tempore, univerſo orbi fit manifeſta, quamque parati ſimus, pro fide & Eccleſia litare vel vitam cum ſanguine. Audivimus ſumma cum animorum voluptate, Litteras Apoſtolicas, evidens argumentum Paternae ſollicitudinis, de Reipublicae huius pace & tranquillitate. Optimamque Supremi Vicarii Chriſti in Terris voluntatem, in Nos, diſertiſſime per Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Dominationem Veſtram explanatam, intelleximus. Gratulamur Nobis, Legem noſtram, de eligendo Rege Catholico, cum mente *Sanctae Sedis* convenire. Talem itaque, & non alium, Pium, Iuſtum, Prudentem, & Legibus patriis imbutum Piaſtum, ſeu verum Regni Indigenam, omnes á *Deo* Optimo Maximo exoptamus, & poſcimus. Dum vero *Beatiſſimo Patri*, in holocauſtum perenne grati omnium animi, alacritatem tuendae Religioni conſecramus, Nosque univerſos eidem defendendae quodammodo immolamus, Tibi, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, Pontificiae erga Nos caritatis fideli Interpreti, ſolemnes reddimus gratias, pro compluribus animi Tui erga communem felicitatem noſtram propenſi teſtimoniis, & ad quaevis officia omnimodam propenſionem exhibemus.

Nobilitatis autem nomine, huius Mareſchalcus, in hanc maxime ſententiam diſſeruit:

Quanto cultu & obedientia, quanta religione & devotione, Reſpublica Polona *Sanctiſſimam Apoſtolicam Romanam Maieſtatem* colat, vel inde colligere liceat, quod Sereniſſimi Poloniarum Reges Orthodoxi, Reſpublica vero Noſtra antemuralis Chriſtianitatis praeſtantiſſimum agnomen, divino Summorum Pontificum effato meriti ſint. Profecto, ſi veterum, & citerioris ſaeculi, Annales noſtros revolvere, ſi Regum

noſtrorum pietatem recenſere, ſi orationem, nomine *Sigismundi Auguſti* Regis Poloniae, ad *Pium quintum* Pontificem Maximum dictam, retexere liceat, ſat conſtabit & manifeſtum erit, Rempublicam & Reges noſtros, fide integros, pietate ſpectatos, zelo ſtrenuos, erga Sanctiſſimos Dei in Terris Vicarios, continuo, ab ipſo Chriſtianae in Polonia Religionis ortu, exſtitiſſe. Non tamen haec oſtentandi gratia, ſed filialis meriti & amoris ergo, atque quantum a Maioribus, haec pietas imis ſit noſtris infixa medullis, recenſere liberet, niſi & modeſta propriae praedicationis verecundia, & officioſa (ne longo ſermone morer) continentia prohiberet. Nolo igitur, ex Triumphantis Eccleſiae beato ſinu, Militantis coetus inclytos & glorioſos evocare Manes, unde plurima, pro ſignificanda animi noſtri in *Sanctiſſimam Sedem* devotione, argumenta ſumerem. Sed facile cogitatu, clarumque obtutu liquet & patet, effuſam cunctorum laetitiam exuberans gaudium, omnesque animi ſenſus & facultates, ſumma gratitudine cumulari, cum Te, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Legate Apoſtolice, Praeſul omni dignitate, virtute, & ſanctimonia probatiſſime, qui omnium Noſtrum amor diceris, Paternam Nobis, a *Sanctiſſimo* CLEMENTE *Decimo Tertio* communi uniuerſae Chriſtianitatis Patre, Benedictionem impertientem videmus & veneramur.

Inclina benevolam aurem! Intende divina quadam penetratione refulgentes oculos! Videbis procul dubio Celſiſſimum Principem Primatem Noſtrum, virtutes & pietatem Tuam, velut ſpeculo refractas, referentem; cum ſacro Magnorum Antiſtitum cœtu, ſuper ingenti mole eligendi futuri Regis, ſumme ſollicitum, ſtrenuum tamen, nec fatiſcentem, immo per collatam Sanctiſſimi Pontificis Benedictionem, magno ſpiritu & ſpe optima erectum. Videbis Illuſtrem Senatum, auguſta magnanimitate & amabili ſuavitate compoſitum, pio ac prudenti Officio erga Patriam ſollicite intentum; adeo, ut plurimos hic magna gravitate CATONES, & prodigos ſanguinis atque animae pro Bono publico AEMILIOS, velut in media Roma, perſpicere queas. Videbis in Equeſtri Ordine GRACCHOS nobi-

nobiliſſimos, immo devotos pro ſalute Imperii CVR-TIOS; omnem autem, omnis conditionis, & aetatis Populum, inſita (ut ſupra dixi) a Maioribus, Regumque noſtrorum laudatiſſimis exemplis, pietate, erga *Sanctiſſimam Apoſtolicam Sedem* obſequentiſſimum, & perpetui cultus ac Religionis tenaciſſimum.

Iam haec a Celſiſſimo Primate Regni Noſtri, emerito immortalitatem ore dicta abunde, audiviſti. A me nunc, inornata licet Minerva dicente, audire patiaris! nihil noſtris mentibus, & cordibus, intimius ac profundius infixum eſſe, quam ut poſt acerbam, ex obitu Pientiſſimi & Optimi Regum, *Sereniſſimi* AVGVSTI III, (ſicut ſperamus iam aſtra tenentis) orbitatem, futurum Regem noſtrum, utroque Polono Parente, glorioſe ortum, in Orthodoxa Fide genitum, & religioſe educatum, ſummisque virtutibus praeditum, ac tantae moli, aetate atque indole parem, eligere poſſimus.

Quo in voto, & opere noſtro, dum gratioſiſſimam a *Beatiſſimo Patre* Benedictionem, ſumma cum reverentia, & ineffabili gratiarum actione obtinemus, ingenti ſpe erigimur, faxint *Superi!* proſpere id & commode univerſae Chriſtianitati, Vicinis noſtris, & *Polonae* inprimis *Reipublicae*, eventurum. Nunc Nobis nihil ſupereſt, niſi Deum ter Optimum Maximum ardentibus precari votis, ut ſicut Diadema Regium, beneficio *Sanctiſſimae Sedis*, Principibus Noſtris delatum eſt, ita quoque *Beatiſſimus Pater*, Sereniſſimum futurum Regem Noſtrum, dilectum Filium ſuum, & Rempublicam Noſtram, in ſancta Fide illaeſam, immotamque cunctis caſibus, Paternis ſuis Benedictionibus fovens & erigens, *Orbi Chriſtiano*, ad maiorem Supremi Numinis gloriam, & ad tuendam, & ampliandam Eccleſiam Dei, quam diutiſſime interſit & imperet.

His dictis & actis, Legatus Apoſtolicus, iisdem comitantibus Epiſcopis atque Nobilibus, a quibus adductus fuerat, in aedes ſuas receſſit. Vbi ſuaviſſimus atque optimus

mus Praeſul, ſingulo cuique, pro teſtata ſibi tam propenſa voluntate, eximiaque pietate, blandiſſimis verbis gratias egit, Maximique & Sanctiſſimi Pontificis nomine, Apoſtolicam benedictionem largitus eſt.

CV.

Sagax diſertusque Senex, *Hermannus Carolus* Comes *Kaiſerlingius*, CATHARINAE II, Auguſtae Ruſſorum, magnus Legatus, gravi ac perniciali morbo domi detinetur. Eius nomine, primarius Imperatoriae Legationis Secretarius, ad congregatos Regni Ordines, magnifico ornatu acceſſit. Scriptam, ab Imperatrice, ad Senatum epiſtolam, una cum exemplo orationis, quam Legatus ipſe, ad Vtrumque Ordinem habiturus erat, Principi, Regni Primati, tradidit. Aliam autem ad Nobilitatem epiſtolam, Mareſchalco Nunciorum dedit. Priorem recitabat Magnus Regni Secretarius. Quae ita ſe habet:

Divina favente Clementia, Nos CATHARINA *Secunda*, Imperatrix & Autocratrix totius Ruſſiae, Moſcoviae, Kioviae, Vlodimiriae, Novogardiae, Czarina Caſani, Czarina Aſtrachani, Czarina Sibiriae, Domina Pleſcoviae, & Magna Dux Smolenſci, Dux Eſthoniae, Livoniae & Careliae; Tueriae, Iugoriae, Permiae, Wiatkae, Bulgariae, & aliorum Domina; Magna Dux Novogardiae inferioris Terrae, Tzernigoviae, Reſaniae, Roſtoviae, Iaroslaviae, Beloſeriae, Vdoriae, Obdoriae, Condiniae, totiusque Septemtrio-

trionalis Plagae Dominatrix, & Domina Iverienſis Terrae; Cartalinenſium & Gruſinenſium Czarorum, Cabardinenſis Terrae, Czercaſinenſium ac Montanorum Ducum, aliarumque multarum Terrarum, Haereditaria Domina, & Dominatrix. Celſiſſimo Principi, VLADISLAO LVBIENSKI, Archiepiſcopo Gneſnenſi, Regni Poloniae Magnique Ducatus Lituaniae Primati, & Supremo Principi: Eiusdemque Regni, atque Magni Ducatus Lituaniae Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis, Illuſtribus ac Magnificis, Dominis Senatoribus, & Miniſtris Status, Salutem amicam & vicinam. Quamquam Imperium omnium Ruſſiarum, per longiſſimam iam annorum ſeriem, tum amicitiae, tum mutuae utilitatis vinculis, cum Sereniſſima Veſtra Republica arctiſſime connexum fuerit, nulla tamen hactenus opportunior obvenit occaſio, ſinceritatem benevolentiae, erga Vos, eiusdem Vobis demonſtrandi, praeter eam, quam arduum, quod apud Vos iam agitur, & omnium animos in ſe vertit, negotium Nobis impraeſentiarum ſuppeditat. Electione novi Regis, & diademate digni Succeſſoris, qui Patrioticis Veſtris Conſiliis adiutus, Sereniſſimae Reipublicae ſalutem non tueri tantum, ſed augere queat, propter proximam Imperii Noſtri vicinitatem, cordatumque, quo tenemur, deſiderium, inviolabili concordia cum Republica parmanendi, Nos imprimis tangit. Haec itaque cauſa eſt, cur neceſſarium iudicamus, non ſolum hiſce litteris, quantam tanti negotii partem ſumamus, certiores Vos reddere; ſed novis etiam mandatis inſtruere, quemadmodum hoc ipſo inſtruimus, ſervato eodem charactere, Extraordinarium & Plenipotentiarium Noſtrum Oratorem, Conſiliarium actualem Intimum, Ordinumque Sancti Andreae, Sancti Alexandri Nevacenſis, & Aquilae Albae Equitem, Dilectum, Fidelem, & Generoſum *Hermannum Carolum* Comitem *Kayſerling*, cuius ardor laudabilis, in augenda inter Nos concordia, Vobismet ipſis, multorum annorum experientia, iam abunde cognitus eſt; eo fine, ut Sereniſſimae Reipublicae, in comitiis Electionis, conveniente aſſecuratione amicitiae & benevolentiae Noſtrae, tum erga illam in genere, tum ſpe-

ciatim erga Celſiſſimum Primatem, ſingulaque Illuſtris Senatus membra, immutabiliter ſervandae, ſolemniori modo repetat, iſtamque ſimul Vobis omnibus re ipſa probet, meliori iudicio Veſtro, tanquam inſignioribus Reipublicae partibus, qui officiis atque meritis Veſtris, ſingularem apud Concives Veſtros auctoritatem & fidem Vobis comparaſtis; id commendans, ut omnem operam navetis, quo Nobilitas ad tantam ſibimet ipſi glorioſam concordiam adducatur, ut liberis ſuis ſuffagiis talis Piaſtus ad ſolium Regium evehatur, qui cum caeteris Principi congruentibus animi dotibus, tam neceſſaria Legum & Conſtitutionum Patriae ſcientia, zelo cognito pro libertatibus & praerogativis Concivium ſuorum, infracta animi firmitate in promovenda utilitate communi, aetate longum Regnum praenunciante, ac moribus denique a ſuperbia & inquietudine longiſſime remotis, qui Reipublicae Vicinis ſollicitudinem nullam creare poſſint, ſit praeditus. Quae merita omnia & ſingula, in Perſona Perilluſtris STANISLAI PONIATOWSKI, Dapiferi Magni Ducatus Lituaniae, unita occurrunt. Hinc Eum, tanquam ad Thronum dignum, habilem, & utrique Genti utilem, iterum iterumque commendamus. Nos a prudentia Veſtra expectamus, fore, ut Vos Conſilium hoece Noſtrum, ex ſincera optimaque intentione procedens, eo quoque animi candore accipiatis, quali Nos propter propriam Veſtram utilitatem, iſtud amice Vobis damus. De caetero Vos rogantes, ut tam in inſigni hoc negotio, quam in omnibus, quae ſupra memoratus Orator Noſter Extraordinarius & Plenipotentiarius, Noſtro Nomine, Vobis proponet, pleniſſimam fidem ei adhibeatis. Quod ſupereſt, Celſiſſimo Primati, Dominisque Senatoribus, & Status Miniſtris, omnia proſpera, perpetuosque Conſiliorum ſuorum, eorumque maxime, quae in Electione novi Regis, a cuius ſapientia, propria Veſtra poſteritatisque Veſtrae gloria pendet, verſantur, ſucceſſus optamus, atque Tutelae Divinae Vos commendamus. Datum Petropoli, die XXXI Iulii, Anno Salutis 1764, & Regni Noſtri tertio.

CATHARINA.

Princeps Alexander Galitzin.

Altera

Altera epiſtola, a Comitiorum Secretario lecta. Contexta iis verbis:

Divina favente Clementia, Nos CATHARINA *Secunda*, Imperatrix & Autocratrix totius Ruſſiae, Moſcoviae, Kioviae, Vlodimiriae, Novogardiae, Czarina Caſani, Czarina Aſtrachani, Czarina Sibiriae, Domina Pleſcoviae, & Magna Dux Smolenſci, Dux Eſthoniae, Livoniae & Careliae; Tueriae, Iugoriae, Permiae, Wiatke, Bulgariae, & aliorum Domina; Magna Dux Novogardiae inferioris Terrae, Tzernigoviae, Reſaniae, Roſtoviae, Iaroslaviae, Beloſeriae, Vdoriae, Obdoriae, Condiniae, totiusque Septemtrionalis Plagae Dominatrix, & Domina Iverienſis Terrae; Cartalinenſium & Gruſinenſium Czarorum, Cabardinenſis Terrae, Czercaſinenſium ac Montanorum Ducum, aliarumque multarum Terrarum, Haereditaria Domina, & Dominatrix. Illuſtribus, Magnificis, Generoſis Dominis, Mareſchalco, totique Ordini Equeſtri Sereniſſimae Reipublicae Poloniae, & Magni Ducatus Lituaniae, Salutem amicam & vicinam. Amicitia mutuaque utilitas, quae a multis iam annis, Imperium omnium Ruſſiarum, cum Sereniſſima Veſtra Republica coniungit, iam praecipue Nos movet, ut benevolentiam Noſtram, Vobis omnibus teſtificemur; cum de negotio maximi momenti, de Electione videlicet Novi Regis apud Vos agi coeperit, a quo tum ſalus Patriae Veſtrae, tum uniuscuiusque Verum incolumitas, maxima ex parte pendent. Hanc igitur ob cauſam neceſſarium eſſe iudicavimus, non ſolum quantum tantae rei partem ſumamus, hiſce litteris certiores Vos reddere, ſed etiam Extraordinarium & Plenipotentiarium Noſtrum Oratorem, Conſiliarium actualem Intimum, Ordinumque Sancti *Andreae*, Sancti *Alexandri* Nevacenſis, & Aquilae Albae Equitem, Dilectum, Fidelem, & Generoſum *Hermannum Carolum* Comitem *Keyſerling*, cuius ardor laudabilis, in augenda inter Nos concordia, Vobismet ipſis, multorum annorum experientia, iam abunde cognitus eſt, ſpecialibus ad totum Illuſtrem Ordinem Equeſtrem litteris fidei, mandatisque, eodem ipſi relicto charactere, eoque fine inſtituere, ut toti Reipublicae, tum prae-

ſertim Ordini Equeſtri, in quo decus atque robur Eius maximum ſitum eſt, perennis amicitiae ac propenſionis Noſtrae, erga Illum, aſſecurationes repetat, ſimulque Nomine Noſtro Vos roget, ut omnem curam cogitationemque Veſtram, in veram Patriae utilitatem conferatis, omneque vitae Veſtrae aevum glorioſum reddatis, unanimi concordique, ab omni parte, Electione talis, ex Piaſtorum numero Regis, qui cum caeteris Principi decoris animi dotibus, tam neceſſaria Legum atque Conſtitutionum Patriae ſcientia, zelo cognito pro libertatibus ac praerogativis Concivium ſuorum, infracta animi firmitate in promovenda communi utilitate, aetate longum Regnum praenunciante, ac moribus denique a ſuperbia & inquietudine longiſſime remotis, qui Reipublicae Vicinis ſollicitudinem nullam creare poſſint, ſit praeditus. Quae merita omnia & ſingula, in Perſona Perilluſtris STANISLAI PONIATOWSKI, Dapiferi Magni Ducatus Lituaniae, unita occurrunt. Hinc Eum, tanquam ad Thronum dignum, habilem, & utrique Genti utilem, iterum iterumque commendamus. Nosque a prudentia Veſtra expectamus, fore, ut Vos Conſilium hocce Noſtrum, ex ſincera optimaque intentione procedens, eo animi candore accipiatis, quo Nos propter propriam Veſtram utilitatem, iſtud amice Vobis damus. De caetero Vos rogantes, ut tam in inſigni hoc negotio, quam in omnibus, quae ſupra memoratus Orator Noſter Extraordinarius & Plenipotentiarius, Nomine Noſtro, Vobis proponet, pleniſſimam fidem ei adhibeatis. Quod ſupereſt, toti Illuſtri Ordini Equeſtri, perpetuam felicitatem, & immutabilem pretioſiſſimarum Eius libertatum atque praerogativarum, ad quarum defenſionem omni occaſione parati erimus, conſervationem optamus, Ipſumque Tutelae Divinae commendamus. Datum Petropoli, die XXX Iulii, Anno Salutis 1764, & Regni Noſtri tertio.

CATHARINA.

Princeps Alexander Galitzin.

Legati

Legati quoque oratio, a Secretario Comitiorum, eum in modum pronunciata:

CELSISSIME ET REVERENDISSIME PRIMAS, PRIMEQVE PRINCEPS;

CELSISSIMI, REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI, DOMINI SENATORES;

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME ORDINIS EQVESTRIS MARESCHALCE, NEC NON ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI TERRARVM NVNTII, ATQVE VNIVERSE INCLYTE ORDO EQVESTRIS REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIAE.

DOMINI COLENDISSIMI.

Mors Regum plerumque mare malorum. Eminent inter haec, fata Interregnorum, quae nonniſi memoriam quaſſatae Reipublicae relinquunt. Quot Interregna, tot calamitates publicae. Latet neminem res haec. Poſſibile enim non eſt, ut *Sereniſſimam Rempublicam* ea, quae ſaepius experta eſt, non ſenſiſſe putemus. Monumenta veteris aeque ac noſtri aevi de his ſat uberrime memorant.

Si ea, quae vacante Throno, Inclytiſſimam Gentem Polonam tantis malis oneraverunt, cum conſilio & cura perſpicere placet, cauſa non eſt, cur ea ex invidia & aemulatione Civium ſola, quae nonnunquam contingere ſolent, tantummodo eruamus, quin potius fateamur, ſcaturiginem & fontem harum calamitatum publicarum, ab ambitu Principum exterorum, qui nimio deſiderio Regii Diadematis Poloni tenebantur, profluxiſſe. Vnde conſtat tantos motus inteſtinos, tantam foedam bellorum Civilium luem, tantasque deſolationes Patriae exarſiſſe, & plures Palatinatus terrasque,

con-

continuata Populi electoris diſcordia, ad Incitas fere redactas eſſe.

Quodſi igitur & prudentiae, & conſilii eſt, ex praeteritorum eventibus, praeſentium providere rationibus, non potuiſtis, *Viri Sapientiſſimi*, ſalubriori uti conſilio, quam iis obicem ponere, quae Civium animos maxime dividunt, & ad partes alliciunt. Cura Veſtrae ſagacitatis, cui nil facile excidit, factum eſt, *Celſiſſimi*, *Illuſtriſſimi*, *Reverendiſſimi*, ac *Magnifici Domini*, ut lege publica cautum ſit, ne aditus ad honores Regios Extraneo iam iam pateat. Id dum egiſtis, de re & utilitate publica egiſtis. Etenim, facta diminutione de extraneis Coronae Competitoribus, fieri non poteſt, quin etiam multitudo eorum diminuta ſit, qui, tempore Electionis Regum, omnia turbant miſcentque.

Expetit animus conſilia tuta, quae *Sereniſſimam Rempublicam*, in conſtituendo Rege Piaſto, ante omnia ante oculos habuiſſe, ubique pateſcit. Quid enim tutius eſſe poteſt, quam eum in faſtigio Reipublicae collocare, qui ab ipſa Gente originem & Sanguinem trahit, et ſic innato erga Patriam amore tenetur?

Ars regnandi Poloniae non niſi in Polonia diſcitur. Quis vero ei adipiſcendae magis idoneus, quam qui libertatibus, iuribus, Legibusque Patriae, ab ineunte aetate, ſe ſe imbuit, iisque cedere didicit? Quemadmodum Lex ſine Rege, ſic Rex ſine Lege, quae ipſum fugit, eſſe nequit. Vtrumque utile, utrumque neceſſarium.

Crevit res Polonorum per glorioſa & illuſtria facta Nobilium. Eorum igitur merita uti incremento Reipublicae, ſic dignitatibus publicis, quas iam veneramur, prima initia dediſſe nulli ſubeſt dubio. Ex Eorum lumbis prodierunt Miniſtri Belli & Pacis, Senatores, imo & Reges. Non fecit eos atrium plenum fumoſis imaginibus.

Nemo in noſtram gloriam vixit, & quod ante nos fuit, noſtrum non eſt. Animus facit Nobilem, Miniſtros, Magnates & Regem, cui ex quacunque ratione, ſupra naturam ſurgere licet.

Qui

Qui in aequalitate vivunt, aequali iure & libertate, ut fruantur, neceſſe eſt. Alias, qui inter ſe ſunt aequales, non eſſent aequales. Quam ob cauſam non mirum, *Sereniſſimam Rempublicam* iam iam in eo eſſe, ut liberis ſuffragiis e medio Civium ſuorum novus eligatur Rex. Vetuſtas eiusmodi perhibet exempla. Nihil igitur novi, nihil inſoliti.

Et quis impudens, ſine opprobrio totius inclytae Gentis Polonae, affirmabit, non dari ingenia domeſtica, artis regnandi capacia? Et quis rerum patriarum adeo ignarus, ut iſtorum Virorum Magnorum & Praeclarorum, quos Polonia genuit, memoriam non teneat, quorum nomina & geſta, & domi, & apud Exteros, adhuc plurimum vigent? Nec noſtrae aetati eiusmodi deſunt Viri, in quibus praeclarae ingenii dotes, & ſic ſpes Rempublicam bene gerendi, elucent.

Placuit SVAE IMPERATORIAE MAIESTATI Totius Ruſſiae, quae in eligendo Rege Poloniarum, non niſi Reipublicae & Vicinorum rem ſalvam eſſe cupit, inter plures praeſtantiſſimos Viros, quibus Polonia abundat, Perilluſtrem STANISLAVM PONIATOWSKI, Dapiferum Magni Ducatus Lituaniae, ut Candidatum vacantis Sedis Regiae proponere, & Eum *Sereniſſimae Reipublicae* iterum iterumque de meliore nota commendare.

Quodvis ingenium magnum praebet multa veſtigia ſui. Non potuit igitur non innoteſcere eius excellentia animi, rectitudo, & amor Patriae ſuae, per idem tempus, quo munus Legati, defuncti Regis gl. mem. Petropoli agebat.

De Patre Polono Heroe, & de Matre Iagellonicae Gentis, natus. Gloria Parentum adhuc claret, & in filio reviviſcit, quem optimae ſolertiſſimaeque educationis exemplar eſſe, nemo inficiabitur.

De eius Religione & Pietate licebit, ex Parentum Religione & Pietate, queis eruditum habemus, iudicare. Iuſtum & aequum ſe omnibus, & in omnibus negotiis praeſtitit: quippe Eum neminem laeſiſſe, & ſuum

ſuum cuique tribuiſſe, in confeſſo eſt. Erit igitur aliquando Rex pius, iuſtus & aequus.

Si deſideratur, ut Rex ſit laborum tolerans, compoſito cultoque animo, acceſſu facili, cum ad ſeria ventum, omnibus par negotiis, ingenio, iudicio, & opere, & linguam populi callens, ne infido indigeat interprete, Eum his donis naturae, virtutibusque Regiis, nemini ſecundum fore, ſpero.

Opus Inclytiſſimae Genti Poloniae Magnique Ducatus Lituaniae Rege, non tam qui multum afferat, quam qui nihil auferat deterioretque: qui nullis colligationibus, foederibus, & negotiis Exterorum diſtentus: qui pacem colat, commercia inſtauret, & diſciplinam: nemini obnoxius, niſi Legibus: qui iuſtus diſtributor beneficiorum, pariſque bene meritorum: nec opertis oculis donet: qui Totus Reipublicae, & in quem nulla ſuſpicio Vicinorum cadat.

Quae talenta cum in perſona Perilluſtris STANISLAI PONIATOWSKI, Dapiferi Magni Ducatus Lituaniae, preſſe unita cernimus; ſatis cauſae eſt, quod IMPERATORIA MAIESTAS Totius Ruſſiae, pro Eo amice & inſtanter intercedat. Conſulit *Domina Mea Clementiſſima*, quod utilitati *Sereniſſimae Reipublicae* aeque, ac colendae Vicinitati optime convenit.

Spes non vana, ſed firmiſſima, qua SVA IMPERATORIA MAIESTAS Totius Ruſſiae, *Domina Mea Clementiſſima* nititur, Celſiſſimum Primatem, Illuſtriſſimos Proceres Regni aeque, ac Inclytiſſimum Ordinem Equeſtrem Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae, STANISLAVM PONIATOWSKI, maxime ſibi commendatum habituros, ad Regium Solium promoturos, & liberrimis ſuffragiis in Regem electuros eſſe. Facile quippe intelligitur, hanc commendationem utilitati, & uſui eſſe Reipublicae.

Certare officiis, e re communi Vicinorum eſt. Devinciunt ſibi invicem animos. Remedium certum, quo vicina amicitia magis magisque coaleſcat.

Magna-

Magnanimitas, & mens generoſa IMPERATRICIS Totius Ruſſiae *Dominae Meae Clementiſſimae*, ſat ſuperque Orbi innotuit. Moris ei eſt, recepta officia cumulate perſolvere. Plura de his diſſerere poſſem. At, quid opus eſt verbis, ubi teſtimonia rerum adſunt?

Declarationum, quae ex parte SVAE IMPERATORIAE MAIESTATIS Totius Ruſſiae, in tuendis iuribus, immunitatibus, & poſſeſſionibus Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae, hucusque in publicum proierunt, certa fides. Nihilo tamen minus novo erit incitamento, *Dominae Meae Clementiſſimae*, ſi Rex eligitur, quem *Ipſa*, pro communi utriusque Gentis bono, proponit & amice commendat.

Faxit DEVS T. O. M. ut imminens Regis Electio ſit felix, fauſta, proſpera & unanimis!

Beneficium digno ubi des, omnes obliges.
PVBLIVS SIRIVS.

A Principe Primate nil eſt reſponſum. Nunciorum autem Mareſchalcum, adſtante adhuc Ruſſicae Legationis Secretario, huiuscemodi verba locutum, accepimus:

Inter proſpera rerum momenta, quae a Diis immortalibus erogari queunt, illam potiſſimam felicitatem eſſe duxerim, in qua ſacrum Numen amicitiae, & per reciproca humanitatis officia, & per foederata ad tuendam & ampliandam tranquillitatem auxilia, inconcuſſa inter *Vicinas Gentes* benevolentia & religione colitur. Illuſtre huius felicitatis Noſtrae argumentum, praebet Nobis, *Sereniſſima* ſemperque *Auguſta Imperatrix Ruſſiae*, cuius ingenita pietas, ſumma prudentia, heroica magnanimitas, qua nulla pars mundi vacat, tum & aliae innumerae virtutes, atque

ſupereminentia animae & ſexus dona, ideo ſimul cenſentur eſſe cumulata, ut pacando Orbi Terrarum, ut felicitati ſaeculorum, ut decori & gloriae gentium, ceu quoddam tutelare Numen, praeſidii loco, datum a Superis videatur. Cum itaque, in hoc inclyto conſeſſu *Reipublicae*, ex Dictis Illuſtriſſimi Comitis *Keyſerling*, Oratoris Extraordinarii ac Plenipotentiarii *Sacrae Imperialis Maieſtatis*, Viri omni laudum genere praeſtantiſſimi intelligamus, maximam voluptatem animi *Sereniſſimae Imperatricis* fore, ſi pro Legibus & inſtitutis Noſtris, pro gloria & ſumma *Reipublicae Noſtrae* utilitate, conſonis ſuffragiis, commendatum a Se Nobis eligamus Regem, ac perinde, ex fauſtiſſimo tot ac tantarum in Praeclariſſimum Canditatum, omnium virtutum & qualitatum concurſu, perquam optime proſperitati & integritati Noſtrae conſulamus. Proinde nihil Nobis magis optandum atque orandum ſupereſt, quam ut ille *Supremus* rerum humanarum *Arbiter*, per quem Reges regnant, intima & flagrantia vota Noſtra, benigna aure excipere non dedignetur. Cernis profecto perſpicaciſſima prudentia Tua, Magne Orator, illum pro Salute publica utriusque Status ardorem animorum. Vides Celſiſſimum Principem, Primatem Regni Noſtri, velut in numeroſo & operis ſollicito apum examine, conſilio & ſuavitate gubernandi praecellentem; Lectiſſimumque Senatum Noſtrum, Herculeis lacertis huic Atlanti ſuccurrentem. Facile inde exiſtimare velis, Ordinem Equeſtrem, cuius nomine ego verba facio, atque univerſam Gentem Noſtram, pro tam auſpicata digniſſimi Candidati commendatione, pro tam ſalutari conſilio, & publicae tranquillitatis Noſtrae manutentione, infinitas ac ineffabiles gratiarum reddere actiones. Ergo, pro diutiſſima ac prope immortali *Sereniſſimae Imperatricis Ruſſiae* incolumitate, pro feliciſſimo, ac omni ex parte beato *Eius* Regimine, ſolemnia mihi concedas rite ac religioſe nuncupare vota.

CVI.

CVI.

Regis Boruſſiae magnus Legatus, Princeps *Carolus Schoenaich*, morbo retentus iſchiaco, Secretarium Legationis, in Ordinum conſeſſum miſit. Perlatis, ab eo, Regis ad Senatum, & ad Nobilitatem, litteris, adiuncta etiam fuit oratio, quam magnus ille Legatus, dicendam Ordinibus coram, ſibi paraverat. Lectae ſunt litterae ſumma omnium attentione. Rex Senatoribus ſic ſcripſit:

CELSISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI, VLADISLAO LVBIENSKI, ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIAE PRIMATI, NEC NON REVERENDISSIMIS ET ILLVSTRISSIMIS, MAGNIFICIS ET GENEROSIS, SENATORIBVS, DIGNITARIIS ET OFFICIALIBVS, SERENISSIMAE REIPVBLICAE POLONAE, AMICIS NOSTRIS SINCERE DILECTIS.

FRIDERICVS, DEI GRATIA, Rex Boruſſiae, Marggravius Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius & Princeps Elector, Supremus Sileſiae Dux, Princeps Supremus Arauſionenſis; Novi Caſtri & Valengiae, nec non Comitatus Glacenſis, Geldriae, Magdeburgi, Cliviae, Iuliaci, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, nec non Croſnae Dux; Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindae, Camini, Vandalii, Sverini, Raceburgi, Oſt-Friſiae & Murſii, Comes Hohenzollerae, Ruppini, Marcae, Ravensbergi, Hohen-

Hohenſteini, Tecklenburgi, Sverini, Lingae, Burae & Leerdami, Dominus Ravenſteinii, Roſtochii, Stargardae, Lauenburgi, Butoviae, Arlayae & Bredae &c. &c. Celſiſſimo & Reverendiſſimo Principi, VLADISLAO LVBIENSKI, Archi-Epiſcopo Gneſnenſi, Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae Primati, nec non Reverendiſſimis & Illuſtriſſimis, Magnificis & Generoſis, Senatoribus, Dignitariis & Officialibus, Sereniſſimae Reipublicae Polonae, Salutem Noſtram Amicam. In primis Regni Noſtri ſtudiis ſemper fuit, ut amicitiam, quae Nobis cum Republica Veſtra intercedit, excoleremus & conſervaremus arctiſſimam. Sollicitudo haec Noſtra non parum augetur hoc tempore, quo Reſpublica Veſtra, Rege orbata, Succeſſori eligendo intenta eſt. Vota facimus quam ardentiſſima, ut bonus Vobis contingat Princeps, omnemque quae in Nobis eſt, cum Amicis & Confoederatis Noſtris, novabimus operam, ut Electio haec aeque pacata & felix, Perſonae Illuſtriſſimi Comitis PONIATOWSKI, Magni Ducatus Lituaniae Stolnik eveniat, & ut omnia, quae ſecuritatem & tranquillitatem Patriae Veſtrae turbare poſſent, amoveantur & e medio tollantur. Vt haec Noſtro Nomine curet, & ſinceram amicamque animi Noſtri intentionem Vobis exponat, ablegavimus ad Rempublicam Veſtram, in Comitiis Electionis congregatam, Oratorem Noſtrum Extraordinarium, Illuſtriſſimum, Fidelem, & ſincere Nobis Dilectum *Carolum* Principem de *Schoenaich*, Ordinis Noſtri Aquilae Nigrae Equitem. Et hinc rogamus Celſitudinem Veſtram, nec non Reverendiſſimos & Illuſtriſſimos Senatores, & omnes Reipublicae Ordines, velint huic Oratori Noſtro Extraordinario, plenam in omnibus habere fidem. Quod ſupereſt, Celſitudini Veſtrae, & Univerſae Reipublicae, fauſta quaevis ex animo apprecamur. Dabantur Berolini, Die 20 Auguſti 1764.

Veſtrae Celſitudinis Sereniſſimaeque
Reipublicae

Benevolus Amicus
FRIDERICVS REX.
Finckenſtein E. F. de Hertzberg.

Eius-

Eiuſdem modi litteras, ad Nobilitatem dedit. Videlicet:

ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS, ET GENEROSIS NVNCIIS, ET TOTI ORDINI EQVESTRI, REGNI POLONIAE, ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

FRIDERICVS, DEI GRATIA, Rex Boruſſiae, Marggravius Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Archi-Camerarius & Princeps-Elector, Supremus Sileſiae Dux, Princeps Supremus Arauſionenſis; Novi Caſtri & Valengiae, nec non Comitatus Glacenſis, Geldriae, Magdeburgi, Cliviae, Iuliaci, Montium, Stetini, Pomeraniae, Caſſubiorum, Vandalorum & Megapolis, nec non Croſnae Dux; Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindae, Camini, Vandalii, Sverini, Raceburgi, Oſt-Friſiae & Murſii, Comes Hohenzollerae, Ruppini, Marcae, Bavensbergi, Hohenſteinii, Tecklenburgi, Sverini, Lingae, Burae & Leerdami, Dominus Ravenſteinii, Roſtochii, Stargardae, Lauenburgi, Butoviae, Arlayae & Bredae &c. &c.

Illuſtribus, Magnificis, & Generoſis Nunciis, & toti Ordini Equeſtri, Regni Poloniae, & Magni Ducatus Lituaniae, Salutem Noſtram Amicam & Benevolam. In primis Regni Noſtri ſtudiis ſemper fuit, ut amicitiam, quae Nobis cum Republica Veſtra intercedit, excoleremus & conſervaremus arctiſſimam. Sollicitudo haec Noſtra non parum augetur hoc tempore, quo Reſpublica Veſtra, Rege orbata, Succeſſori eligendo intenta eſt. Vota facimus quam ardentiſſima, ut bonus Vobis contingat Princeps, omnemque quae in Nobis eſt, cum Amicis & Confoederatis Noſtris, navabimus operam, ut Electio haec aeque pacata & felix, Perſonae Illuſtriſſimi Comitis PONIATOWSKI, Magni Ducatus Lituaniae Stolnik eveniat, et ut omnia, quae ſecuritatem & tranquillitatem Patriae Veſtrae turbare poſſent, amoveantur & e medio tollantur. Vt

 haec

haec Noſtro Nomine curet, & ſinceram amicamque animi noſtri intentionem Vobis exponat, ablegavimus ad Rempublicam Veſtram, in Comitiis Electionis congregatam, Oratorem Noſtrum Extraordinarium, Illuſtriſſimum, Fidelem, & ſincere Nobis Dilectum *Carolum* Principem de *Schoenaich*, Ordinis Noſtri Aquilae Nigrae Equitem. Et hine rogamus Illuſtres, Magnificos, & Generoſos Nuncios, & totum Ordinem Equeſtrem Reipublicae Polonae, velint huic Oratori Noſtro Extraordinario, plenam in omnibus habere fidem. Quod ſupereſt, Vobis, & Vniverſae Reipublicae, fauſta quaevis ex animo apprecamur. Dabantur Berolini, Die 20 Auguſti. 1764.

Benevolus Veſter Amicus
FRIDERICVS REX.
Finckenſtein.

Recitata eſt Legati oratio, his totidem ferme verbis:

CELSISSIME ET REVERENDISSIME PRIMAS, PRIMEQVE PRINCEPS;
CELSISSIMI, REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI, DOMINI SENATORES;
ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME ORDINIS EQVESTRIS MARESCHALCE, NEC NON ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI TERRARVM NVNTII, ATQVE VNIVERSE INCLYTE ORDO EQVESTRIS REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIAE.

DOMINI COLENDISSIMI.

Nihil omnino *Sereniſſimae Reipublicae Polonae* accidere poteſt, in cuius partes non eat ſincere Potentiſſimus BORVSSIAE REX, Dominus meus Clementiſſimus.

Praeſens

Praeſens imprimis Interregnum, tale temporis momentum eſt, quod amicas excitat provocatque curas Regis vicini & amici. Ne ulla in re *Maieſtas Sua* officiis, quae duo hi tituli *Eidem* imponunt, me Oratorem ſuum Extraordinarium, ad *Rempublicam Veſtram*, tam in Convocationis, quam in praeſentibus *Electionis* Comitiis congregatam, ablegavit, & Litteris Credentialibus munivit, quas praeſentes, *Celſiſſimae* PRIMAS, Tibi exhibeo.

Iure meritoque laetor, quod opportuna haec mihi data ſit occaſio, in hoc *Illuſtri* conſeſſu congregatae totius *Reipublicae*, praecipuis meis fungendi mandatis, & veram ſinceramque mentem, *Sacrae Regiae Maieſtatis* BORVSSICAE, erga *Sereniſſimam Rempublicam Polonam*, publice hic declarandi.

Foedera aeterna, amicitia tot ſaeculorum, vicinitas tot Regionum, rationes plane eaedem, haec ſunt vincula illa ſacra, quae *Regiam Domum* BORVSSO-BRANDENBVRGICAM, cum *Sereniſſima Poloniae Republica* coniungunt, & in aeternum coniungere debent.

Recte & perpetuo horum memor, *Sereniſſimus* REX meus, in primo ſemper loco poſuit, ponitque amicitiam *Regni Poloniae*, & inter primas Regni ſui ſollicitudines, collocat ſalutem, incolumitatem, felicitatemque *Regni Veſtri*.

Sincere hinc doluit *Maieſtas Sua* mortem Regis, virtutibus bene multis conſpicui, quem haud ita pridem perdidit *Reſpublica Veſtra*.

Ardentiſſima iam nunc facit vota, ut dignus Succeſſor, & bonus Vobis Princeps contingat.

Optat cum veris *Reipublicae Veſtrae* amicis, ut REX a *Vobis* eligatur, paterno & materno ſanguine, ex *Gente Veſtra* oriundus, quem natalium ſplendor, aetas laboris capax, vitae & morum integritas, prudentia in conſiliis, dexteritas, in rebus gerendis, amor

patriae, libertatis, & pacis, & reliquae virtutes, quae bonum Regem conſtituunt, commendent.

Commoda aeque ac decora *Gentis Veſtrae* exigere videntur, ut tandem aliquando ad veterem redeatur morem eligendi Regem, qui nonniſi *Poloniam* pro *Patria* habeat, qui *Veſtris* rationibus non immiſceat alienas, & qui gloriam *Iagellonidum* & *Sobieſciorum* reſuſcitet.

Non deſunt *Vobis Piaſti*, & digni immortali hoc nomine Succeſſores.

Eminet inter eos, Perilluſtris STANISLAVS PONIATOWSKI Dapifer Magni Ducatus Lituaniae, in quo omnes, ſupra enumeratae virtutes coaleſcere videntur.

Hunc *Regia Sua Maieſtas*, *Vobis*, prae caeteris commendat; perſuaſum habens, quod non facile meliorem eligere poteritis Regem; & promittens ſibi ſimul, quod conſilium hoc non in malam partem, ſed ut ab amica & ſincera, erga *Vos*, mente profectum, accipietis.

Sperat REX, a prudentia, & ab amore *Veſtro Patriae* & libertatis, quae tantam *Genti Veſtrae* conciliaverunt famam, quod hac in occaſione *Vobis* non deeritis, & quod in praeſenti *Electionis* negotio, ſalus *Patriae*, & bonum publicum plus valebunt, quam aemulatio, privatae irae, & inteſtinae diſſenſiones.

Haec ſunt, quae iuſſu *Sacrae Regiae Maieſtatis* BORVSSICAE, *Vobis*, *Patres Poloniae Conſcripti*, exponere debui.

Gratulator mihi, & inter feliciſſimos vitae meae hodiernum numerabo diem, quod mihi contigit, Interpretem & Miniſtrum eſſe talium Regiorum Mandatorum, quae nonniſi grata *Vobis* eſſe poſſunt, & me, meaque *Vobis* commendo.

Solus

Solus reſpondit Nunciorum Mareſchalcus, Secretario Boruſſicae Legationis praeſente atque audiente:

Si magnorum Heroum praeclare facta, & ſapienter dicta, etiam a poſteris, inſita animis hominum probitate, coluntur; multo magis praeſentia *Sereniſſimi Regis Boruſſiae*, in Rempublicam Noſtram, foederatae amicitiae argumenta, ſumma omnium mentes perfundunt voluptate. Enimvero magni pretii momentique ducimus, propenſo erga Nos gloriari pectore tanti Regis, cuius fato, prudentia maior; cuius magnitudini, & imperio, illa Euro mobilior infidaque Dea iugiter obſecuta; cuius Magnum Nomen perennis gloria immortalitati dicavit. Et quamvis oratio mea, nec laudibus tam inclyti Herois, nec Noſtris, erga *Sereniſſimam* illius *Maieſtatem*, explanandis officiis, nec Procerum Noſtrorum, & Equeſtris Ordinis enarrandis in Patriam conatibus, probe ſufficiat; tamen id, quod mihi defuerit, Tua, Illuſtris Orator, ſumma qua polles, in perſcrutandis animis mortalium, prudentia abunde rependet. Intimius enim dictis meis perſpicis, quanta obſervantia Reſpublica Noſtra, erga *Sereniſſimum Regem Boruſſiae* teneatur; quantas pro tam ſalutari, Praeclariſſimi genere, & cunctis virtutibus, ut nulla deſideranda ſuperſit, Cumulatiſſimi Candidati commendatione, effundat gratiarum actiones. Vides etiam Celſiſſimum Principem, Primatem Regni Noſtri, illum divinum Atlantem, tanto ſaeculorum ponderi intentum, magnoque ſpiritu & humeris parem. Vides Lectiſſimum Senatum, illum fortiſſimum Herculem, aut potius iuxta Mythologos, Prudentiam & Conſtantiam, Atlanteae Magnanimitati ſuccurrentem. Vides denique Equeſtrem Ordinem praeſtantiſſimum, eidem fulciendo glorioſo operi enixe incumbentem. Vnde tam ex peculiari *Sereniſſimi Regis Boruſſiae*, in Rempublicam Noſtram, benevolentia, quam etiam ex ſollicitis univerſae Gentis Noſtrae ardoribus, haud obſcure colligere poteris, incolumem beatamque fore No-

ſtram Rempublicam, ſummamque felicitati Noſtrae, brevi Nos adepturos. Cumque haec eadem optatiſſima proſperitas nil non commune in ſe habeat, inque Vicinitatem aeque & Noſtram Rempublicam redundet, nihil Nobis ſupereſt, quam ſummis a *Deo*, Ter Optimo & Maximo precari ſuſpiriis, ut quantocius largiſſima Nobis conferenda, perpetua munera ſtatuat.

CVII.

Curoniae Ducis Legatus, *Otto Erneſtus Medem*, hexaphoro ſuo vectus, ante Supremi Lituaniae Mareſchalci tentorium deſcendit. Inque illud ſe contulit. Vnde miſſi tres a Nobilitate Nuncii, in Senatorium aedificium, eum deduxere. Ante coronam Senatoriam, Mareſchalcum Equeſtris Ordinis obvium habuit. Introeuntem ipſum Supremus Lituaniae Mareſchalcus, absque baculo, dignitatis ſuae indice, excepit. Sedente Senatu reverentiſſime ſalutato, ſingulari veneratione, ad Principem, Regni Primatem, acceſſit. Cui Ducis ſui, ad Senatores, litteras exhibuit. Alteras, ad Nobilitatis Nuncios, ipſorum Mareſchalco tulit. Cui latere ſiniſtro, in humiliore ſella, aſſidere iuſſus. Dux iis, quae ſequuntur, litteris Senatum coluit:

CELSIS-

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO PRIMATI, PRIMO REGNI POLONIAE, ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE PRINCIPI

CELSISSIMIS, REVERENDISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS ATQVE EXCELLENTISSIMIS DOMINIS, DOMINIS SENATORIBVS, ET MINISTRIS STATVS, REGNI POLONIAE, ET MAGNI DVCATVS LITVANIAE.

DOMINIS AC AMICIS PLVRIMVM HONORANDIS.

Celſiſſime ac *Reverendiſſime Primas*, *Prime Regni Poloniae & Magni Ducatus Lituaniae Princeps.*

Celſiſſimi, *Reverendiſſimi*, *Illuſtriſſimi* atque *Excellentiſſimi Domini*, *Domini Senatores*, *& Miniſtri Status*, *Regni Poloniae*, *& Magni Ducatus Lituaniae.*

Domini ac *Amici plurimum Honorandi.*

Quos iam ad Convocationis delegaveram Comitia, Generoſum *Ottonem Erneſtum de Medem*, Camerarium ac Equitem Ordinis Sanctae Annae, atque Praenobilem ac praeclare doctum *Chriſtophorum Antonium Tottien*, Conſiliarium meum Aulicum, Legatos meos ad praeſentia Electionis, & futura Coronationis Comitia, ut de novo inſtruere, ita etiam de novo Benevolentiae Celſitudinis Veſtrae, & Reverendiſſimarum atque Illuſtriſſimarum Excellentiarum Veſtrarum, commendare ne-

neceſſarium duxi. Omni itaque, qua par eſt, obſervantia rogo *Celſitudinem Veſtram*, & *Reverendiſſimas* atque *Illuſtriſſimas Excellentias Veſtras*, velint Illos, & negotia Illis commiſſa, *Sibi* commendatiſſima habere, plenam Illis fidem tribuere, & omnibus, quae meo nomine pertractabunt, benevolas praebere aures. Fiducia in amicitiam aeque ac benevolentiam *Celſitudinis Veſtrae*, & *Reverendiſſimarum* atque *Illuſtriſſimarum Excellentiarum Veſtrarum*, a me poſita, nullum mihi relinquit dubium, quin *Eaedem* precibus iſtis meis annuere ſint dignaturae. Obligatiſſimum me exinde fore conteſtor, & omni, quo par eſt, honoris cultu ad extremum usque vitae halitum permaneo

Reverendiſſimae Celſitudinis Veſtrae,

Reverendiſſimarum atque *Illuſtriſſimarum*

Celſitudinum ac *Excellentiarum*

Veſtrarum

Mitaviae
Die XX. Auguſti
Anno MDCCLXIV.

Addictiſſimus ac ad omnia Officia
paratiſſimus Servitor.

ERNESTVS IOANNES.

Dux Curlandiae.

Nobilitati obſervantiam teſtatus eſt hiſce verbis:

ILLVSTRIS-

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO, DOMINO MARESCHALCO, NEC NON ILLVSTRISSIMIS DOMINIS, DOMINIS NVNCIIS, AD PRAESENTIA ELECTIONIS COMITIA CONGREGATIS.

DOMINIS AC AMICIS OBSERVANDISSIMIS.

Illuſtriſſime atque *Excellentiſſime Domine, Domine Mareſchalce, nec non Illuſtriſſimi* atque *Excellentiſſimi Domini, Domini Nuncii,* ad praeſentia Electionis Comitia Congregati.

Domini ac *Amici Obſervandiſſimi.*

Cum ad praeſentia Electionis, ac futura Coronationis Comitia, feliciſſime celebranda, Legatos meos, Generoſum *Ottonem Erneſtum de Medem*, Camerarium ac Equitem Sanctae Annae Ordinis, & Praenobilem atque Praeclare doctum *Chriſtophorum Antonium Tottien*, Conſiliarium meum Aulicum, quos iam ad Convocationis Comitia delegaveram, noviſſime inſtruere neceſſarium duxerim, *Illuſtriſſimas Excellentias Veſtras* hiſce officioſiſſime rogatas volo, ut praedictis Legatis meis plenariam fidem habere, & benevolas praebere aures dignentur. Hocce, ab *Illuſtriſſimis Excellentiis Veſtris*, in me, meamque Domum Ducalem, collatum amicitiae atque benevolentiae documentum, officiis ſtudiisque meis promptiſſimis paratiſſimisque demereri nunquam deero, & cum ſincerrimo omnimodae proſperitatis voto aeque, ac perfectiſſima conſideratione permaneo.

Illuſtriſſimarum Excellentiarum Veſtrarum

Mitaviae,
Die XX. Auguſti
Anno MDCCLXIV.

Addictiſſimus & ad Officia
paratiſſimus Amicus.

ERNESTVS IOANNES
Dux Curlandiae.

Poſt

Poſt lectas eas litteras, Ducis Legatus, facta ipſi, a Supremo Lituaniae Mareſchalco, dicendi poteſtate, ita exorſus eſt:

CELSISSIME ET REVERENDISSIME PRIMAS, PRIMEQVE PRINCEPS REGNI POLONIAE, MAGNIQVE DVCATVS LITVANIAE.

CELSISSIMI, REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI DOMINI SENATORES, ET MINISTRI STATVS.

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME ORDINIS EQVESTRIS MARESCHALCE, NEC NON ILLLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI PALATINATVVM, TERRARVM, ET DISTRICTVVM NVNCII, ATQVE VNIVERSE INCLYTE ORDO EQVESTRIS REGNI POLONIAE MAGNIQVE DVCATVS LITVANIAE.

DOMINI COLENDISSIMI.

Omnibus a natura inſitum eſt incitamentum, quo quisque ſui ipſius feliciorem reddere cupit ſtatum. Media felicitatem quaerendi prout diverſa, ſic illa eminentiora ſunt ac praeſtantiſſima, quibus communis plurium ſalus ſtabilitur. Quid igitur mirum, his, qui eo collaborant, prae reliquis palmam relictam eſſe, iam & oratorum Principem edixiſſe, quod homines ad Deos nulla re propius accedant, quam ſalutem Hominibus dando. Poſt triſtem illam, quam *Sereniſſima Reſpublica* experta eſt ſortem, congregati eſtis, *Celſiſſimi*, *Illuſtriſſimi*, *Reverendiſſimi*, ac *Magnifici Domini*, Saluti totius *inclytae Polonae Gentis* proſpicere, ac gloriae eiusdem ab antiquiſſimis tem-

temporibus radicatae Tutorem conſtituere. Omnium in eximia ſapientia Veſtra collocata eſt ſpes, omnes ab illa communem expetunt felicitatem, & expectant. Et quidni optima quaeque ac ſaluberrima ſperare liceret? Iam gloriae aeque ac commodo *Sereniſſimae Reipublicae*, conſultatiſſimo Conſilio, *Celſiſſimi*, *Illuſtriſſimi*, *Reverendiſſimi*, ac *Magnifici Domini*, medium inter *Vos* conſtituiſtis illum, qui generum *liberrimae Gentis* felicitatum expertiſſimus, publicae proſperitatis ſit Promotor. Iam eum, quem neceſſe eſt diligere, qualis qualis ſit, talem providemus; quem libenter diligemas, & quem non amare, nonniſi oſori felicitatis ac deliciarum generis humani poſſibile. *Celſiſſimus Curlandiae* ac *Semigalliae Dux*, *ERNESTVS IOANNES*, *Dominus meus Clementiſſimus*, iuſſit me referre ad *Sereniſſimam Rempublicam*, cum officioſiſſima ſalutatione, ardentiſſima vota, quae pro felici Conſultationum publicarum, & praeſentium *Electionis Comitiorum* exitu, fundit. Nec infortunia perpeſſa, nec ardua, quae alias intervenerunt, momenta impedire potuerunt, quin ſemper *Dux meus* communem, cum *Sereniſſima Republica*, ſalutem habere totus fuerit occupatus. Iam ex voto ipſi ſucceſſit. Iuſtitia ac ſervata Pacta, aeternam *Sereniſſimae Reipublicae* gloriam, *Duci* ſalutem conciliarunt. Benefactorum *Celſitudo ſua* ſempiternam ſervabit memoriam, & in devinctiſſimi animi teſſeram, omnem dabit operam, ne ullum unquam, in ſe, Principis fiduciarii requiſitum deſiderari videatur. Pro debitis ſic animatus *Dux meus* certo confidit, *Sereniſſimam Rempublicam*, benevolentiam ſuam, erga illum continuaturam, cauſisque ac iuribus eiusdem praeſidio eſſe non dedignaturam. Quod, repetita fidelium Vaſalli Principis obſequiorum delatione, deſideratiſſime petit.

Celſiſſime & Reverendiſſime Primas, Primeque Princeps Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae; *Celſiſſimi*, *Reverendiſſimi*, *Illuſtriſſimi*, *Excellentiſſimi Domini Senatores*, & *Miniſtri Status*; *Illuſtriſſime & Excellentiſſime Ordinis Equeſtris Mareſchalce*, nec non *Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi* Palati-

latinatuum, Terrarum, & Diſtrictuum *Nuncii*, atque *Vniverſe Inclyte Ordo Equeſtris* Regni Poloniae, Magnique Ducatus Lituaniae. *Domini Colendiſſimi!* Inſtruxit me quoque Generoſus Ordo Equeſtris Ducatuum Curlandiae & Semigalliae, *Sereniſſimae Reipublicae*, & ipſius nomine fidelia ſua obſequia exponere. Nihil ipſi tam graviter in votis eſt, quam ut conſilia *Sereniſſimae Reipublicae*, ad ſalutarem dirigantur finem, & is geniali iſta die eligatur, quem publica ſalus deſiderat, quemque Regiae virtutes ſceptro deſtinarunt. Gratiſſimo non minus animo veneratur *Sereniſſimae Reipublicae*, pro iuſtitia Pactisque ſervandis, facilitatem: Qua & *Ducem noſtrum* circa Ducatus ſuos, Ordinem Equeſtrem vero circa omnia eiusdem iura ac Privilegia conſervavit. A Maioribus noſtris relictum, ſervatam ſemper a *Sereniſſima Republica* fidem, debita pietate ac fidelitate proſequi. Eandem & Poſteris noſtris integerrime obſervandam relinquimus. Non enim concedet *Sereniſſima Reſpublica*, ut futurorum nos territet triſtis quaedam cogitatio. Aeterna Privilegiorum noſtrorum, Libertatum, ac Regiminis formae, ſancita eſt auctoritas. Illi ne quid ullo unquam tempore derogetur, id eſt, quod a *Gente inclyta*, aureae ſuae libertatis zeloſiſſima, & ſperat, & omni veneratione, & obſervantia exorat, Ordo Equeſtris.

Ad haec, Princeps Regni Primas:

Tam Illuſtriſſimi Veſtri Ducis Curoniae & Semigalliae, quam Generoſae Clariſſimaeque Nobilitatis eorundem Ducatuum, per Te, Digniſſime Legate, transmiſſa ad Campum hunc proſperae Electionis Noſtrae vota, perquam grato animo *Reipublicae Senatus* complectitur. Dubitandi locum Veſter Princeps non habet, Regem Noſtrum futurum, divinitus Nobis Vobisque deſtinatum, & Veſtri Ampliſſimi Ducis, & Veſtra, Fortiſſimi Viri, Iura, Ordinationes, Leges, ac Privilegia, ſarta, tecta, ac integra ſancte conſervaturum. Ad quod, & *Ordines Reipublicae* optima in res rationesque Veſtras voluntate propenſiſſimi, omni meliori modo ſemper perlibenterque contribuent.

Tum

Tum Nunciorum Mareſchalcus:

Nihil, *inquit*, praeſtantius, nihilque iucundius eſſe arbitror, illa animi fideique voluntate, quae, ex mutui amoris, & officioſae gratitudinis promanat fonte. Luculentum eiusmodi teſtimonium exhibet Nobis *Illuſtriſſimus* ERNESTVS IOANNES, Dux Curoniae & Semigalliae, *Sereniſſimae Reipublicae* Noſtrae Fiduciarius Princeps, ſumma prudentia, integerrima iuſtitia, inclyta magnanimitate, ac omnigena virtute ornatiſſimus: ac una cum *Eodem Illuſtriſſimo Duce*, univerſa Curonum & Semigallorum Provincia, heroice indolis ac Martii ſpiritus, in plurimis omni aevo praeſtantiſſimis viris, foecundiſſima. Cum itaque, Nobiliſſimi Oratores, palam videatis Celſiſſimum Principem, Primatem Regni Noſtri, ex hoc ſupremo Interregiae Auctoritatis faſtigio, immenſa ſollicitudine, ſumma prudentia, pientiſſimo zelo, & immortali amoris teneritudine, *Rempublicam* Noſtram proſpere & glorioſe moderantem; cum videatis Praeclariſſimum Senatum, profundiſſimo conſilio, & vigilantiſſima atque heroica magnanimitate, Bono publico impenſum; cum denique clare cernatis Lectiſſimum Ordinem Equeſtrem, fragrantiſſimis votis, & maximis conatibus, pro ſalute Patriae devotum; cum praeterea, ad participationem laboris & gloriae Noſtrae, Veſtris ſpectatiſſimis concurratis Suffragiis, & eodem Regio ſanguine, cui in SIGISMVNDO AVGVSTO fidem obtuliſtis, e magna *Vitelliorum Familia* genitum, cuius nec corda decorem, nec laudem vox ulla capit, futurum Regem Noſtrum eligendum & venerandum veniatis: proinde grato pectore, hoc communis *Reipublicae Noſtrae* boni intentum ac ſtudioſum excipimus officium, ac in benigniſſimo *Sinu Dei Ter Optimi Maximi*, felicitatis Noſtrae Auctoris, & in longiſſima ſaecula Servatoris, ardentia vota, firmas ſpes, & ineffabiles plauſus Noſtros collocamus.

CVIII.

Heros ille noſter, STANISLAVS PONIATOVIVS, ſummi Senatoris & bellicioſiſſimi Imperatoris, defuncti Cracovienſis Caſtellani filius, magnis & vere regiis virtutibus ornatiſſimus, e Lituaniae Dapifero, Rex Poloniae, ac Magnus Dux Lituaniae, creatus eſt. Heri ſuffragia, a Principe *Lubienscio*, Gneſnenſi Archipraeſule, totiuſque Regni Poloniae Primate, univerſis Senatoribus atque Nobilibus, modo incredibili conſentientibus, excepta. Renunciatio hodie, ab eodem Principe, Primate Regni, in medio Comitii, ſolemni more peracta, atque ad ſingulas eius portas, a Supremo Lituaniae Mareſchalco repetita, ne uno quidem obloquente. *Ambroſiano* hymno, in aperto *Electionis* campo, inter tormentorum ſcloporumque exploſiones cantato, certatim omnes ad declaratum Regem, in Cracovienſi ſuburbio, in palatio paterno commorantem, confluxere. Vladislavienſis Praeſul, *Antonius Caſimirus Oſtrowscius*, imperium ei, Senatus nomine, effuſiſſime gratulatus eſt. Idem officium Plociae Epiſcopus, *Hieronymus Szeptycius*, ac Sandomirienſis Palatinus, *Ioannes Wielopolscius*, diſerte praeſtitere. Nomine Equeſtris Ordinis, *Alexander Borzencius*, Praefectus Dolſanenſis, *Ioannes*que *Horain*, Vilnenſis Suc-

Succamerarius, verba ad Regem fecere luculentis oratiunculis. Rex ipſe, quam Senatoribus, tam Equitibus, blande ac facunde reſpondit. Regni deinde Primas, Princeps *Vladislaus Lubienscius*, Nobilitatisque Mareſchalcus, *Ioſephus Soſnowscius*, gratulabundi advenere. Quibus a Regia Maieſtate graviter magnificeque reſponſum eſt. Anteeunte demum Primate, Rex equo vectus generoſiſſimo, innumeroque Senatorum atque Nobilium comitatu cinctus, per denſiſſima & laetiſſima occurrentium atque acclamantium agmina, urbem ingreſſus eſt. Ante Aedem Divo IOANNI BAPTISTAE ſacram deſcendit. Intrantem, Luceoriae Antiſtes, *Antonius Wollowicius*, Regiae huiusce Eccleſiae Collegiatae Decanus, nomine totius Canonicorum collegii, patrio ſermone ſalutavit. *Turscius*, generalis Vicarius atque Officialis Varſavienſis, Regiam Maieſtatem Latine hiſce verbis eſt allocutus:

„Iterum Nobis redeunt Tecum Piaſtea ſaecula, Rex Sere-
„niſſime, dum Te univerſae Poloniae vota Regem ſuum,
„é millibus Vnum declararunt. Orbata hereditariis titulis,
„decora ſua, ſub exteris mereri Principibus tam diu debuit
„Gens libera, donec Te Patricio Rege, felicitatem ſuam
„reſtitutam ſibi gauderet hodie & gratularetur Polonia.
„Eveheris igitur ſupra omnes, tot ſaeculis exoptatus No-
„bis Princeps, & veluti ad haereditatem Tuam attolleris;
„ut magnitudinem Poloniae, libertatemque Gentis Tuae, &
„quidquid ex avitis honoribus deceſſerat Sarmatiae, id,
„per Te, Rex Regum DEVS Optimus Maximus, iterum
„Nobis reſarcire videatur. Ominari igitur dehinc licebit

„ invidiae, quod quidquid amplitudinis noſtrae, quantumque gloriae & libertatis Piaſtea Rota in ſublime provectum fuit, id omne per Te ſervandum Tuo praeſidio, & tutela Tua augendum, non falſo augurio polliceamur. Talem profecto Polonia ſibi Regem quaeſierat, talem divino afflata ſpiritu Te proclamavit, quem ſupra caeteros omnes, Vnum inſignes Tuae dotes, in ampliſſimo hoc Regno Poloniae extulerunt. Accipe igitur, in hoc felici ingreſſu Eccleſiae, pro Te, vota. Accipe Cleri Regiae Collegiatae Varſavienſis haec prima Regi ſuo deferentis officia. Cleri inquam Tui, qui pro felicibus Tuis auſpiciis, pro reddito Poloniae Patricio Principe, pro Te collato Nobis caelitus Rege, incruenta DEO Maximo, Regi Regum, litabit ſacrificia; ut Te Nobis, libertati noſtrae, Fidei quoque, & ſacris noſtris, diu incolumem, ſemperque invictum ſervet Regem STANISLAVM. Huiusce animi noſtri & voluntatis interpretem, in antiqua benevolentia, nunc protectione regali conſerva, quem devinctum & fidelem Maieſtati Tuae habebis ſemper Oratorem.„

Rex benigno admodum vultu „ Ego vero, inquit, concordibus Gentis utriusque votis, in regale ſolium evectus, primi officii duxi, in hoc ſancto loco, DEO Ter Optimo ac Maximo grates perſolvere. Cuius propitio numini, ut me precibus omnibus ſacrificiis commendetis, Venerabile Capitulum veſtrum impenſe obteſtor atque obſecro.„ Hisque dictis, Rex maxima Procerum Nobiliumque corona ſeptus, ante praecipuam aram, provolutus genibus, debita gratiarum actione Deum veneratus eſt. Hymnumque Sancti *Ambroſii*, Poſnanienſis Epiſcopus, *Theodorus* Dux *Czartoryſcius*, pontificiis inſignibus conſpicuus, canere coepit. Poſt quem Supremus Lituaniae Mareſchalcus, *Ignatius Oginscius*, alta voce ter edixit, Electum iam Sereniſſimum Regem, STANISLAVM AVGVSTVM, ab omnibus,

pro

pro vero & legitimo Principe ac Domino, habendum eſſe. Cui totidem vicibus, omnium ordinum atque aetatum homines, Vivat! acclamavere; tormentorum ac ſcloporum tonitruis, extra templum reſonantibus. Interque publica ea laetitiae hilaritatisque ſpecimina, Rex, a Primate Regni, per confertiſſimas Nobilitate porticus, in arcem deductus eſt, ubi cuncti Senatores ac Miniſtri, Nobilesque primores, Regiam Maieſtatem oſculo manus coluere.

CIX.

Fidiſſima ac deditiſſima Regibus ſuis, Provincia Societatis Ieſu Maſovitica, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, STANISLAO AVGVSTO, REGI POLONIARVM, MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, KIIOVIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNIECHOVIAE, ETC. ETC. ETC. FAVENTE CAELO, PLAVDENTE REPVBLICA, ELECTO AC RENVNTIATO, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, huiusmodi carminibus gratulata eſt:

I.

Sunt, quibus ad ſolium ſatis eſt Regalis origo,
Sunt, quibus orba oculis ſors diadema dedit,
Sunt, queis per populi clades Patriaeque ruinas
Purpureum ſtravit mucro cruentus iter.
Aſt regnare parum eſt, ſi non regnare mereris,
Remque parum eſt caeca ſorte vel enſe geri.

Saepe ſuos doluit Fortunam ludere ludos,
Decorant Patrium pignora ſaepe thronum.
Saepe profanata cidarim impoſuiſſe Gradivum
Legimus, atque pari diripuiſſe manu.
Mars procul, & fallax procul hinc Fortuna recede,
Deſpiciunt iſtos tempora noſtra deos.
Non fato diadema petis, REX magne, Polonum,
Fatum in virtutem nil ſibi iuris habet.
Nec tua civili maduerunt ſceptra cruore,
Quae Pace, & Populo ſponte ferente, tenes.
Si tamen hunc Populum vincis Regnoque potiris,
Et ſunt haec meriti digna tropaea tui,
Felix! qui tantum Gentis mereare favorem,
Vt, quam Mars nequeat vincere, vincat Amor.

II.

Qu'entens-je? quels accens terribles!
Quoi? de Mars les foudres horribles
Par l'ordre des Deſtins ont-ils changé d'emploi?
Mêlés à leur fracas mille cris d'allégreſſe.
Répandent ſur nos bords le plaiſir & l'effroi.
Un brillant ſpectacle intéreſſe;
L'heureuſe Liberté qu'accompagne la Loi,
Dans un cartouche de Lumière
Préſente à ſes ſujets, montre à l'Europe entière
Le nom chéri d'un nouveau ROI.

Du Thrône ce n'eſt point l'héritier néceſſaire
Qu'on adore en tremblant & qu'apeine on connaît,
Un Tyran faible, un Roi qui naît,
Yvre, dès le berceau, d'un encens mercenaire;
Un maître ſans vigueur, au vice aſſujéti,
Longtems avant ſa mort ſouvent anéanti.
Liberté, tu fais mieux: une famille immenſe
Se raſſemble à ta voix, délibere, balance
Le nombre des talens & le poids des vertus:
On élit ſon égal, on eſpère un Titus.

Liberté, de tes droits tu conſacres l'uſage;
Viens, & d'un oeil ſerein contemples ton ouvrage:

Le

Le merite & la dignité
Sont réunis par ton ſuffrage:
Dans STANISLAS tout nous préſage
Le bienfaiteur des Arts & de l'Humanité:
Du Ciel il reçut en partage
Ce caractere de bonté
Qui cache le Heros, qui dérobe le Sage
Sous le calme enchanteur de la ſimplicité.

Je le vois qui s'avance Une démarche unie
Ajoute à la candeur qui brille dans ſes traits;
Tous les enfans du Goût, tous ceux de l'Harmonie
Pour célébrer un Prince épris de leurs attraits,
Elèvent leurs concerts au ton de ſon Génie;
Ils ont lû dans ſes yeux l'eſpoir de leurs progrès.
Superbe & charmante Couronne,
Que le coeur pénétré connaît bien tout ton prix!
Quel agrément te ſuit! quel éclat t'environne!
Règner ſur un peuple d'amis!

Voilà les ſentimens où l'excès eſt permis:
Cependant au milieu de l'yvreſſe publique,
Tandis qu'avec transport courant de toutes parts,
Le Peuple ſur ſon Chef épuiſe ſes regards;
Dans ſon âme l'effort d'une vertu ſtoïque
D'un moment ſi flatteur modère le plaiſir;
La Majeſté d'un Roi lui parait naturelle;
Et l'on dirait que ſa grandeur nouvelle
Ne lui coûta pas un deſir.

Ah! Prince, de nos coeurs devenés donc le maître;
Le ſceptre de vos mains ne pouvait s'écarter;
Le Père le donnait, le fils dût le porter:
En protégeant les Rois il vous apprit à l'être;
En le ſuivant de près, allès plus loin que lui.
Quand il déterminait le vol de la Victoire,
Il ne reſervait que la gloire,
La Couronne était pour autrui.
Mais de vous même unique & ſuffiſant appui,
Augmentés l'une, illuſtrés l'autre:
Un Héros plaît bien mieux lorsqu'il eſt couronné;
Son Héroisme annonce un Règne fortuné;
Et ce Règne ſera le vôtre.

III.

Już też zaiaśniał dla nas ow dźień pożądany,
Gdy Oyczyzna minąwſzy wſzyſtkie inne Pany,
Tego za Oyca ſobie, y Pana obrała,
Ktorego iako Syna nie dawno kochała.
Ktożby ſię mogł ſpodźiewać, by w wolnym Narodźie
Tak wielka ſtać ſię miała rzecz w tak piękney zgodźie?
Nie dawno z troſkliwośći wſzyſcyśmy truchleli,
Ile razy na przyście dnia tego wſpomnieli,
Mniemaiąc że Mars krwawą Chorągiew rozwinie,
A kray cały w okropney pogrzebie ruinie;
Ze wielu pod Cyprysſem złoży ſwoie ſkronie,
Pierwey, niż ieden śiądźie na ſkrwawionym Tronie.
Ogień w domach, miecz w polu, na rolach mogiły
Jako zwykłe dnia tego ſkutki nas trwożyły.
Uſzliśmy tych klęſk wſzyſtkich; troſkliwość uſtała,
A radość niezwyczayna do ſerc zawitała,
Ze tak ſpokoynym torem Przedwieczne wyroki
Do Tronu twe o Krolu kierowały kroki.
Dobry to znak! dawne ſię nam wieki wracaią,
Y dalſzych pomyślnośći nadźieię wſkrzeſzaią.
Znać że nas z ſwey opieki nieba nie ſpuśćiły,
Gdy w te czaſy za Pana nam Cię pozwoliły.
Rozumu dźiwna byſtrość, roſtropna odwaga,
Sprawiedliwość łaſkawa, przyiemna powaga
Y inne wielkie twego umyſłu ozdoby
Wſzyſtkich ſerca do twoiey zwabiły Oſoby.
Dawno bowiem Krolewſkie w ſobie cnoty miałeś,
Y pierwey Krolem byłeś, niżeli zoſtałeś.
Tak ieſt Krolu! to zdanie z ſerc naſzych pochodźi,
Pochlebſtwo z tak przezornym Panem ſię nie zgodźi,
Samaby nawet tobie zazdrość to przyznała,
Gdyby to, co ma w ſercu, uſty wyznać chćiała.
BOGU nayprzod winniśmy nieśmiertelne dźięki
Za tak drogi dar, ktory mamy z Jego ręki:
Winniśmy też nie mało y Oycu Twoiemu,
Bohatyrom u świata naywiękſzym rownemu;
Ktorego ſławy poty naymniey nie ubędźie,
Poki Polſka, Szwecya, Turczyn, Ruś trwać będźie.
Winniśmy mowić wiele, że w Tobie wrodzoną
Spoſobność do dźieł wielkich wydoſkonaloną

Przez

Przez wielkie ſwe przykłady, piękne wychowanie
Zoſtawił w tak chwalebnym; iak widziemy ſtanie.
W oczach nam teraz ta chęć iego dawna ſława,
Gdy na ten Tron chciał wſadzić PIASTA STANISŁAWA.
Swiadkiem tego świat cały, świadkiem Jego blizny,
Jak wiele w tym pracował dla dobra Oyczyzny.
BOG wiernym iego żądzom poſzczęścił łaſkawie,
Gdy Piaſta na Tron wſadził w Tobie STANISŁAWIE.
Przywroćże nam, Monarcho wielki, ow czas złoty,
Kiedy w Polſzcze kwitnęła y ſława y cnoty.
Kochay twoich Poddanych, ktorzy Cię kochaią,
Ktorzy życie y zdrowie Tobie poświęcaią.
Miey też wzgląd y na Muzy dotąd opuſzczone,
Ktore ſię pod Krolewſką twą garną obronę.
My zaś uſilnie będziem Krolow Pana błagać,
By Twym wielkim zamyſłom raczył dopomagać.

CX.

Rex optimus, omnibusque exoptatiſſimus, ingenti praecedentium atque comitantium Procerum numero, maximoque Nobilitatis accurſu, in Divi IOANNIS BAPTISTAE Baſilicam deſcendit. Kiovienſis Epiſcopus, *Ioſephus Zaluscius*, pontificii muneris pietatisque laude haud minus, quam ingenii & doctrinae ornamentis fulgens, ſolemnem Miſſam celebravit. Cantata Epiſtola, Rex, ante aram venerabundus procumbens, in conſpectu omnium Ordinum, in pacta conventa iuravit. Praeivit ſacramentum Princeps *Vladislaus Lubiensćius*, Gneſnenſis Archipraeſul, & Regni Primas. Isque mox, nomine Senatorii Ordinis, praeclara oratione, Regi gratula-

tulatus eſt. Nobilitatisque laetitiam, ipſius Mareſchalcus, *Ioſephus Soſnowscius*, exquiſitis ac ſplendidis verbis teſtatus. Porro Princeps Primas, Nobilitatis Mareſchalco ſimul, *Electionis* Diploma Regi tradidit. Eo accepto, Rex utrisque, ſublimi & gravi, plenoque maieſtatis reſpondit ſermone, qui circumſtantes omnes mirum in modum permovit, compluribusque lacrymas elicuit. Revertenti ad ſedem Regiae Maieſtati, ab univerſa concione, Vivat, Vivat, Vivat, eſt acclamatum. Sacrum deinde continuatum. Quo peracto, Supremus Lituaniae Mareſchalcus, *Ignatius Oginscius*, alta voce, totius Reipublicae Ordinibus ſignificavit, Sereniſſimum Regem, Clementiſſimum Dominum Noſtrum, iusiurandum in pacta conventa praeſtitiſſe. Cui iterum tota concio, Vivat, Vivat, Vivat, acclamavit. Cuncti Proceres atque Nobiles Regem, e templo, in arcem comitati ſunt. Vnde magna pompa itum eſt ad Principem Regni Primatem. Qui Regi ac Senatui abundantiſſimum epulum praebuit.

CXI.

Stanislaus Konarscius, ille ſapiens vir, lyricum carmen, De Sapiente Rege, emiſit. Regi ipſi, tali inſcriptione, vovit dedicavitque:

STANIS-

STANISLAO. AVGVSTO.

SERENISSIMO. ET. POTENTISSIMO.

POLONIAE. REGI.

MAGNO. DVCI. LITHVANIAE. ETC.

MAGNI. HEROIS.

PRIMIQVE. REGNI. SENATORIS.

CASTELLANI. CRACOVIENSIS.

CLARISSIMI. COPIARVM. DVCIS.

VETVSTISSIMA. CIOŁEK. PROSAPIA. ORIVNDI.

STANISLAI. PONIATOVII.

PRAESTANTISSIMO. FILIO.

PER. MATREM PRINCIPEM. CONSTANTIAM.

DE. DVCIBVS. CZARTORISCIIS.

E. JAGELLONVM. SACRA. STIRPE. PROFECTO:

RELIGIONE. PIETATE. OMNIS. ERVDITIO-
NIS. LAVDE. IVSTITIA. CLEMENTIA.
COMITATE. BENEFICENTIA. PRVDENTIA.
CONSILIO. FORTITVDINE. ANIMI.

ORIS. MAIESTATE. SVAVISSIMAQVE. FACVNDIA.

O R N A T I S S I M O.

ET. AD. REGNANDVM. NATO.

A VICINIS. AMICISQVE. REIPVBLICAE.
MAXIMIS. PRINCIPIBVS. AESTIMATISSIMO.
ET. MAGNI. HABITO.
GENTIS. LIBERAE. BENEVOLENTIAM. ITA.
PROMERITO.
VT. VNANIMIBVS. TOTIVS. NATIONIS.
SVFFRAGIIS.
SINE. EXEMPLO. CONCORDISSIME.
IN. REGEM. ELIGERETVR.
SAPIENTIA. VTI. SVA. PROPRIA. DOTE.
OMNIBVS. QVI. THRONVM. POLONVM.
AMBIRE. POTVERINT.
OMNIBVSQVE. CIVIBVS. PRAECELLENTI.
SCIENTIARVM. ET. ARTIVM. DEO. TVTELARI.
VERO. AMORI. DELICIISQVE. POPVLI.
QVEM. (QVOD. DE. TITIO. DICTVM.) SI. VIDEAS.
SI. AVDIAS. SILEX. ES. SI. NON. AMES.
BREVIBVS:

REGI. SAPIENTI.

CARMEN. LYRICVM. OFFICIA. REGIS.
COMPLEXVM.

STANISLAVS. KONARSKI. E. SCHOLIS. PIIS.

Fidelis amantiſſimusquè ſui Regis Cliens, Subditus.

In ſuae ac Congregationis Schol. Piarum.

MAIESTATI. DEBITAE. VENERATIONIS. PIGNVS.
ANNO. M. DCC. LX. IV.
D. D. D.

Lectorem

Lectorem ita allocutus:

Ineunte fere Interregno, cum de Ornamento Gentis, STANISLAO PONIATOVIO, ad Regnum Candidato, primi tum inter Nos ſermones eſſent, Ode haec de Sapiente Rege, amicis decantata fuit. Nemo erat, qui picturam ſimulacrumque videret, qui non mox Archetypon, unde haec tracta ſint, facile agnoſceret. Imago Sapientis Regis, mirum in modum, cum nulloque mortalium melius, quam cum hoc ſuo Exemplari, tamque illuſtri Canditato, convenire viſa eſt. Illum effingi, illius lineamenta duci, eius eſſe effigiem, omnes illico iudicavere. Nihil illi propius, nihil ſimilius. Ille eſt! quis dubitet? vox una omnium fuit.

Quae tum de futuro Rege dicebamus, jam nunc in praeſente, neminem fallunt. Summo Reipublicae bono conceſſus eſt a D.O.M. Rex Sapiens. Haec ſola notio, omne id quod Principes ſummos & glorioſiſſimos facit, complectitur & definit. Erit Rex pius, iuſtus, clemens, officii diligens, beneficus, Populi Pater, magnanimus, fortis, utraque fortuna invictus, dum erit Sapiens. Iam cum tanta ſit, de Regis STANISLAI AVGVSTI Sapientia, tamque bene fundata vniverſorum opinio, Illi honorificentiſſima, nobis utiliſſima aeque ac iucundiſſima; aut ille undequaque proderit, ut nobis certiſſima ſpes eſt, Reipublicae, aut iam Reges vel optimi, non erunt unquam bono humani generis. Deſperandum eſſet de ſalute & fortuna publica, ſi hoc Principe divinitus Nobis dato, de ea quis dubitare auſit. Tempore eget; quae enim longa depravarit & corruperit aetas, refici corrigique repente nequeunt. Concordia Civium eget; nam Civitati, ſecum ipſi diſcordi, nulla ſalus, DEVSque Ipſe ruinam occaſumque minatur. Voluntate & ope noſtri omnium eget; quis enim cum invitis nolentibusque quidquam proficiat? Quamquam magna Ejus mens, id quoque non ignoret: *opus eſſe benefacere vel invitae multitudini.* Ille laborioſiſſimae, ut a teneris aſſuevit, vitae rationi non parcet, neque Illi Sapientia Coeleſtis, nec ars ulla imperandi regendi deerit. Haec ſunt, de Eo, Gentis liberae, haec Vicinorum Magnorumque Principum, & Nationum praeclara Iudicia! Haec, de Eo, & vati auguria Muſae divinitus inſpirarunt.

Si Carmen, quam huius generis Carmina eſſe ſoleant, quamque princeps eorum Octavii Auguſti Poeta exemplum dederit, inſolenter longius eſt, meae quidem intemperantiae culpa eſt, ſed cauſa, magnitudo materiae. Inexhauſta res eſt officium Principis. Multa mihi in mentem venerunt, at nondum omnia. Eſto & ſenile vitium: aut Oloris, infinite usque ad funus cantantis, imitatio. Fortaſſe varietas rerum, faſtidium tollet, & ad dandam inſvetae in id generis Cantu longitudini veniam, animum legentis deliniet. Scio Regem Muſis eſſe amiciſſimum. Illae autem curas & cogitationes Regias importune non rumpent, expectabunt prae foribus, ſi quid otii Regi forte ſupererit. En

En integrum carmen:

AD FVTVRVM POLONIAE REGEM:

Ex illo Salomonis;

Da mibi, Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam; quae mecum ſit, &c.

DE SAPIENTE REGE:

ODE.

Si, quod profanis eſt vetitum, licet
Audire vates: Sarmatiae novúm
Regem daturus, ſic Deos eſt,
Sic Superum Pater allocutus,

Me teſte: Se quod rite colentibus,
Bonisque, Reges det Populis bonos,
Probos, pios, fortes, tenaces
Iuſtitiae; Sapientiamque

Locet beati pone latus Throni;
Quae dictet aptas, ſeligat optimas,
Et pacis & belli, ſecundis
Temporibus dubiisque, Leges.

Haec, ſceptra ſacra verſat ubi manu,
Sancto Senatus Concilio, Patres
Conſcribit auguſtos; ad omne,
(E Populo meliore quovis

Lecto) recenſet munus idoneos;
Addit bonis calcaria, praemiis
Cietque tardantem mereri
Vtilium celebrata late

Merces

Merces laborum. Perdita ſpes malis.
Fortuna Cives deſerit improbos.
Virtutis almae cuncta parent
Imperio. Patrios honores,

Non illa Avorum, ſed meritis iubet
Gnavam iuventam quaerere propriis.
Greges adulantum, paratas
Vaenum animas facilesque vendi,

Sublimis arcet limine Regiae,
Faſces & omnes flagitio eripit.
Intaminatis ipſa praeeſt
Iudiciis, nec in innocentem

Ius dat potenti. Si facilis tamen,
Si prompta culpae parcere ſupplici:
At crimen exerta protervum
Terret & inſequitur ſecuri.

Hinc triſte ſeptis qualis olentibus
Lupus, canum qui territus agmine,
Arrexit horrentes capillos,
Perpetuaque fuga relictis

Erupit oris: ſic miſerabile,
Sic omni inaudax & pavidum loco,
Foroque, compitisque pulſum
Ac domibus, ſcelus exul errat.

Serris nec aurum vecteque triplici
Eget, nec Argi centum oculis thorus
Pudicus: effrenes ſat auſus
Poena vigil cohibet, nefasque.

Reſtricis haec eſt vis Sapientiae.
Illius ars eſt, noſſe, quid indoles,
Genti quid innatus repoſcat
Laudis amor, quid opum cupido.

Non uſitatis inde modis agit,
Vrgetque motu perpete, floreant
Artes ut omnes: hicque acuto
Ingenio, vel ad usque priſcis

Res

Res irrepertas detegat, aut novam
Lucem repertis addat; at hic manu,
Quam mente, plus celer, ſtupendi
Res operis pretiique magni

Effingat; (emturo illicium potens.)
Deſiderati ſic opifex lucri
Sit certus, ac iſto perennes
Fonte meent remeentque nummi.

Primus regentis ſed labor, ut parens,
Foecunda frugum, rura Ceres colat:
Tiphysque quaeſitas in omni
Littore, velivolisque clauſas

Merces carinis, invehat urbibus.
Gaudetque, privatam ſi opulentiam
Induſtriae debet, ſuasque
Quisque opera ſtudioſiore

Res ſemper urget navus & impiger;
Re ſingulorum, creſcere publicam,
Cum norit, & commune magnum
Cenſibus exiguis parari.

Nec negligit, quas celat humus ſinu
Gazas avaro: viſcera montium
Ferro ſecat, nigris & infert
Damna Pluti Triviaeque Regnis,

Venas ut addat divitiis novas.
Tranquilla tutas ſed teneant opes
Vt Regna; tutela potenti, &
Viribus hic opus eſt, & armis.

Haec Rex, futuri proſpiciens, parat.
Ne, conſilii expers, quid trepidis agat
In rebus; incenſa ſequatur
Dardanidem Aeneadasque Troia;

Recensve miles, ne rudis agminum
Flammaeque, Martis turbet opus grave.
Conſtat, repentinis deeſſe
Et ſubitis animum, modumque,

In imparatos ſi celeri pede
Hoſtis vel impar ingruit. Otia
Rex neſcit. Eventura prudens
Providet, & meditatur alta

In pace bellum: vel fecialibus
Paci ſuorum foederibus cavet;
Vectes ut aeternos aheni
Det foribus, referet nec unquam

Templum Bifrontis. Laetus, amabilem
Suo quietem ſi Populo, eximit
Externa nec vis, Civium nec
Iurgia peſtiferaeque rixae.

Sed grata, ſomno ſi placido levat
Feſſos aratro cum Dominis boves,
Nutantis annoſaeque quercus
Vmbra, ſoporiferaeque ripae.

In publicorum tunc operum novas
Molitiones, pronus & integer
Incumbit, ac Divos ſuperbis
Indigetes habitare templis

Iubet. Tener vel tunc inopum Pater,
Infert aſylis pauperiem piis.
Doctas iuventuti Palaeſtras,
Et mutilis ſenioque fractis,

(Attrita quorum caſſide tempora)
Tunc Martiales aedificat Domos.
Tunc impedituras, feroci
Hoſti aditum per aperta Regni,

Communit Arces; barbarus unde Dux
Nolit trecentis fulminibus quati.
Tunc pontium moles, ſimulque
Clauſtra vagis ſinuoſa rivis

Ponit. Viarum, dulcius Appia,
Saxoque ſtratum planat iter. Fora,
Nec arte dimenſas plateas,
Innovat, & meliore donat

Forma.

Forma. Vetuſtae moenia Regiae
Corinthiis, aut Ioniis modis,
Exornat; ac in plebis uſum
Deliciasque profuſus, hortos

Ludis aquoſis inſtruit. In bonum
Commune, ſemper ſplendidus. Omnium
Proviſor, aſt illiberalis,
Et ſibimet niſi parcus ipſi.

Nil Regiae deeſt magnificentiae;
Aſt, hac in ipſa, nil nimium. Pari
Metitur ac aequa bilance,
Qui veniunt abeuntque cenſus;

Modumque cantus ſervat, ut exitus
Venas opum ne praeſuperet, neque
Pars maior abſumatur aulae
Soricibus. Nihil eſſe novit

Egente pejus Principe. Proprii
Proin videri vult patrimonii
Attentus argutusque cuſtos.
Sollicitus magis anxiusque,

Non rem tributis augeat ut ſuam,
Sed ut paterna demat onus manu,
Solventis è parvo coloni,
Et tenuem ſibi vix agello

Praebente vitam. Quippe bonus Parens,
(Vt eſt Parens, Rex officii memor,)
Ceu liberos, & dulcis inſtar
Prolis, amat Populum, ſuosque

Cives: & unam reſpicit ut Domum,
Quacunque ſpectat Regnum habitabile.
Partitus, aequo iure natis,
Lance pari ſua dona, nec plus

Feliciori, de Patria Viro
Sed plus merenti: vel probitas diu
Quem rara ſecrevit latentem,
Et tacitum, medioque vulgi

Exemit,

Eximit, aptum grandibus, & rei
Natum gerendae. Novit enim ſuos
Princeps: huic horas diurnas
Dat ſtudio vigileſque noctes:

Seſeque totum ſedulus, uſui, &
Vnum ſaluti devovet omnium.
Naſcantur e quo fonte, gnarus,
Regia jura; dataſque nuſquam

Fuiſſe gentes Regibus; at datos
Fuiſſe Reges gentibus: haud ſua
Seſeque libertate fruſtra
Trux hominum genus exuiſſe,

Non ut Tyrannos, (ſunt miſerae quibus
Turbae gementum grataque ſervitus)
Sed ut pios iuſtosque Patres
Deligeret, memoresque, ſeſe

Certis teneri Legibus. His niſi
Subeſſe Reges ſe quoque ſentiant,
Non temperatam vim, tumultus
Seditioque nocens ſequetur.

Odere ſemper, qui metuunt. Metu
Cuſtode tutum nil bene. Vidimus,
Si non amor fulcit fidesque,
Saepe thronos titubare celſos.

Hoc non timebit Rex ſapiens. Cui,
Potens in omnes ius animos, dabit
Caeleſtis ac callens regendi
Ars homines. Cui ſunt benigna,

Quae rite, puris & manibus, colit,
Supplexque placat, Numina. Regios
Mores & exemplum ſequente,
Ac ſtudiis imitante magnis

Turba, ſui veſtigia Principis.
Sic una mens eſt cum Populo Duci;
Vt vera ſectentur, Deoque
Digna; ſuperſtitioſa temnant,

Norintque, Patrem Romuleum Sacris
Praeeſſe, ſummo ſub Ioue; qui male
Obliviosos impiosque
Cuſpide ſaepe mouet tremenda;

Quid poſſit, & quid iuris, in infimum
Telluris Orbem, Regnaque maxima,
Sibi reſervarit; Coronas
Ad lubitum arbitriumque mutans.

Iam maior, aut quae fauſtior accidit
Felicibus ſors Imperiis? ubi
Cantare non faſtidioſis
Regibus haec, cupidisque veri,

Fas eſt. In Aulis ſtat male veritas.
At Rex, Magiſtro diſcipulus Iove,
Qui regnat, huic primas in omni
Conſilio dat, & aure prona

Audit monentem. Sic male noxio
Errore liber, fraudibus, & dolo eſt.
Sic hoſtis eſt nulli, protervum
Quem Patriae niſi norit hoſtem.

Sic Patriae quo quisquis amicior,
Is certus idem Regis Hephaeſtion.
Sic cara Maieſtas ſupernis
Disque placet, Populis & imis

Aeque. Polonis addite regibus
Regem, faventes o Superi! optimum,
Quem noſtris, aut hucusque qualem
Vaticinae cecinere Muſae.

Sic Pax beatas alma feret dies.
Sic proſperorum, Civibus, omnium
Spes, omnis & fortuna creſcet:
Perque libros, per & ora ſaeclis

Narrata ſeris, gloria Nominis,
Et laus, & ingens Imperii decus
Clareſcet, audietque toto
Gentibus Oceano revulſis.

CXII.

CXII.

Rex, liberali Muſae, ſtudiisque humanitatis, maxime propitius illuſtre nobilium iuvenum collegium, cui prudentiſſimi atque eruditiſſimi Presbyteri Scholarum Piarum praeſunt, penitus luſtravit. Venerandus ſenex, *Konarſcius*, Regiam Maieſtatem huiuſcemodi oratione accepit:

Coetus noſter exiguus, dum MAIESTATEM TVAM, REX AVGVSTE, intra horum anguſtias parietum, cum ſummae, quam mens capere poteſt, venerationis ſenſu, parique animorum alacritate ſalutat, faſtis in perenne monumentum inſcribet ſuis, & locum hunc, luce REGIAE Praeſentiae colluſtratum, qui nobis deinceps ſacer, & diem hunc, qui poſteris noſtris memorabilis erit. Oſtendis clare, PRINCIPVM humaniſſime, cum maximis rebus pro ratione temporis conſulueris, etiam ad minima quaevis & humilia REGIAS TVAS curas extendi. Civitatem univerſam animo tenes, nec primos ſolum, ſed & poſtremos TVI Sceptri praeſidio tutos felicesque vis eſſe. Iſtud ſcilicet DEI eſt, (cuius item in hoc Regno vices obeundae TIBI ſunt) magnis perinde ac parvis proſpicere, tantoque Providentiam Eius magis eſſe admirabilem oportet.

Gratulamur Nobis itaque & incredibili geſtimus laetitia, talem Nobis divinitus conceſſum eſſe Principem, cuius diligentia omnes Reipublicae partes complectatur, quique hanc etiam ſibi minime contemnendam, putet, quae circa educationem Iuventutis verſatur. Male enim vero, cum ſibi, tum Reipublicae conſulunt ii Principes, apud quos Iuvenum educandorum ratio, res eſt ultima, nec digna quidem de qua regie cogitent, cui aliquam impendant operam. Fundamentum tamen, ſalus, ac origo omnis in Republica boni, eſt recta ac diligens Adoleſcentum Inſtitutio.

Quam iam bene, hac de re, ſperandum nobis eſt, ſub ſapientiſſimo omnique virtutis ac doctrinae genere exculto Rege? eodemque in ea diſciplina educato, quam vel maximos orbis Principes in inſtituendis ſuis Liberis imitari deceret, & quae illi praecipue viam etiam certam & facilem ad Thronum aperuerit. Niſi enim, REX AVGVSTE, proſpicientibus eminus, quid tecum eventurum eſſet, fatis, niſi

inquam ita educatus eſſes, REX non eſſes. Senſit id & ille peritiſſimus Heroum cognitor Iudexque, REX Boruſſus, qui praeclariſſima inter, de TE, iudicia, id TIBI laudis tribuiſſe, Legatoque Noſtro dixiſſe fertur: Scire ſe, Magni Viri Heroisque illius PONIATOVII, & Principis CZARTORYSCIAE, Feminae lectiſſimae & aeſtimatiſſimae, TE eſſe Prolem, adeoque praeſtantiſſimos clariſſimosque Parentes TVOS, eam TIBI educationem dediſſe, quae TE Solio parem Regio formaſſet, dignumque & idoneum ad regendam, in qua natus es, Gentem liberam effeciſſet. Ita nullum malus beneficium Patriae praeſtare poſſunt, omnes boni Parentes, quam eum liberos ſuos, quanta poſſunt diligentia, in quam optimos formare Reipublicae Viros, vel a teneris ſtudent. Ad quod ut eos regaliter iuves, nedum iis optimo vis eſſe exemplo, ſed & Scholam equeſtrem ope TVA & Reipub. eisdem fundandam paterne polliceris, quae, ſi quid aliud, Nomen TVVM immortale gratiſſimumque poſteris reddet.

Quid iam, in TE, Potentiſſime ac Optime AVGVSTE Noſter, haec animi praecipue TVI cultura effecit? id videlicet, quod ſummum, quod primum, quod unum in maximis deſideratur Principibus, ea TE nimirum imbuit ornavitque ſapientia, quae omnes regnandi artes circumſcribit, quae ſatis eſt ad felicem beatamque reddendam Rempublicam, qua TV tanta, iuxta omnium qui TE norint hominum, de TE honorificentiſſimam opinionem, es praeditus, ut ea ſapientiſſimis quibusvis, & antiquis, & TECVM hodie Sceptra gerentibus Principibus, TE comparare, libenter ac cum ingenti Nationis Noſtrae gloria ſoleamus. Itaque qui reliquis Civibus ſapientia praecellis, iisdem ut imperes, meruiſti: ne illam priſcis quibusdam felicibusque populis invideamus gloriam, eos, ſapientiſſimos duntaxat optimosque omnium Civium, ſemper ad Sceptra quaeſiſſe.

Iam quidquid inde boni, ornamenti, ac gloriae, ut certo ſperamus, in hanc redundabit Rempublicam, id omne, poſt Deum O. M. nos, gratique noſtri poſteri, in acceptis referemus ac perpetuo tribuemus, nedum praeſtantiſſimo univerſae Nationis a Celſiſſimo Primate prudentiſſime ac laborioſiſſime gubernatae delectui, verum etiam ac imprimis Celſiſſimis Avunculis TVIS, cara illa ſacraque nobis IAGELLONVM ſtirpe profectis, Cancellario Supremo M. D. Lit. Palatino Ruſſiae, Antiſtitique Poſnaniae, qui pro reſtituendo veteri ſplendore Imperii, famaque Poloni Nominis, tam provide, tam ſapienter fortiterque rem omnem conduxerunt,

runt, ut iam omnia ad fortunatum tranquillumque deduxerint exitum.

Quod itaque honorificentiſſimum, ac immortale decus ſit, tam antiquiſſimae Nobiliſſimaeque Familiae PONIATOWSCIORVM, ad ſummum auguſtumque evectae faſtigium, quam Cariſſimis TIBI perinde ac Patriae, digniſſimisque Fratribus TVAE Maieſtatis; Supremo Praefecto Palatii Regii, Viro in Republica ſummos inter aeſtimatiſſimo; alteri Clariſſimo, in exercitu Auſtriaco Generali Duci, qui ſibi gloriam parem maximis Ducibus, ſcientia rei militaris, ſanguine & innumeris vulneribus peperit; ac optimo doctiſſimoque Sacerdoti, Fratrum minimo, cuius virtuti & doctrinae ſingulari, ad primos in Eccleſia & Reipubl. honores, & Magiſtratus, certa patet via: Cariſſimis denique, ac omni ſexus laude merito ornandis, Sororibus TVIS: omnibusque claro Sanguine iunctis.

Quod vero cumprimis felix fauſtumque ſit ampliſſimo toti Senatui, fortiſſimo Equeſtri Ordini, Exercitibus Tribunalibus, Vrbibus & cuncto Populo; quod auſpicatiſſimum ſit Religioni & Patriae: quod imo fortunatum ſit univerſae Reipublicae Chriſtianae, tanta ſapientia pollentem, bono humani generis, ornamentoque Regum, ſuffragiis liberae Gentis, nos nactos eſſe Principem. Haec proinde teſſera longe lateque per Provincias, a Cive ad Civem, a noſtratibus ad exteros, divulgetur & permeet: Sapientem habemus Regem!

Iam cum genuinus ſit ſapientiae fructus, quod nempe illa, iuxta divina oracula, ſit pulchrae dilectionis mater; amaris certe, amarique TE ac diligi, Ipſe ſentis, REX STANISLAE AVGVSTE! qui nuper flagrantiſſimum ac incredibilem quendam in TE Civium univerſorum amorem contemplando, continere TE non potueris, quin in haec erumperes verba: neminem, dicebas, e Regum vel maximorum filiis, dum Thronos conſcendunt paternos, eam aut noſſe, aut poſſe ſentire dulcedinem, iucunditatem, voluptatemque animi, quam TV ſentires, dum quod neceſſario illis ſors naſcendi, TIBI libere, omnium caritas & benevolentia Civium, eorumdemque mirabilis illa, nec unquam uſitata, nemine excepto, concordia, Imperium obtulit. Ita cogitando certe non deciperis. Quis enim ſapientem non depoſcat, non amet, non deſideret Principem? qui de ſua, quam optime norit, Republica tam praeclare cogitat, qui illam, tot annis conſilio deſtitutam, e funeſto Anarchiae ſtatu liberandam ſuſcipit, quis inquam tali Principi non optime velit?

Et haec ipſa lectiſſima ac nobiliſſima Iuventus, quae ſe TVAE MAIESTATI hilaris & laeta praeſentat, id ipſum iam, quod TE nempe vehementer amet, frontibus, oculis vultuque praeſefert, & TIBI palam facit. Nos continuo eidem inſpirandae non deſumus, quid DEO, quid REGI, quid Patriae debeat. Praecepta autem, Leges, mandataque MAIESTATIS TVAE, dum TIBI aliquando vacaverit, praeſtolamur, quibus quam optimam rationem educandae Iuventutis, divina TVA Nobis praeſcribet, praecipietque prudentia.

Nunc iam Scholae Piae utriusque Provinciae, feliciter Sceptro TVO ſubiectae, de MAIESTATE TVA, & Patria optime mereri cupientes, a glorioſiſſimis Parentibus TVIS, ut MAIESTAS TVA meminiſſe dignabitur, ſemper protectae, clementiae, tutelae, & REGIAE defenſioni TVAE, ſeſe, ſuaque iura & Privilegia, a Regibus & Republica iisdem conceſſa, humillime maioremque in modum commendant.

Benignus ambilisque Rex, ad reſpondendum, inquit, tibi Latine, opus eſſet mihi elegantia ſtyli tui. Me quidem commendatiſſimum poſteritati fore ſpero, ſi me illi exhibuero, in imagine adeo boni civis, ut tu es. Converſus deinde ad Iuventutem ſtudioſam, a *Stanislao Muiszechio*, ſplendidae nobilitatis, magnaeque indolis iuvene, in hunc modum ſalutatur:

Concors & unanimis REGIAE MAIESTATIS TVAE Electio, nos quoque, quibus Patrum exempla, norma debent eſſe vivendi, vehementer permovet, & in cogitationem inducit laetiſſimam. Quidni enim, ab hac mirabili animorum conſenſione, ſaluberrima omnia Reipublicae ſunt expectanda? Quid boni non ſperandum, ab eo Principe, quem incredibilis Civium amor, & ſpes eorundem maxima, in Regali ſolio collocavit? Haec certe ingens totius Populi benevolentia, inuſitatae quam, TIBI, REGIAE TVAE MAIESTATIS conciliarunt virtutes, non minus promptum ſuum obſequium, quam feliciſſimum TVVM praeſagit imperium. Quid vero praecipue, admirandae ſuffragiorum totius gentis liberae, in TE eligendo REGE, unitati conduxit? Multis ſcilicet undique malis, quae & nos, pro modulo aetatis noſtrae ſatis percepimus, afflicta Respublica vidit

dit palam, aut intereundum ſibi, aut in nullo alio, niſi in REGIA MAIESTATE TVA, cuius beneficio ab interitu vindicaretur, & redderetur florentiſſima, omnes ſpes ſuas ponendas eſſe. Tanta eſt, eritque ſemper omnium fiducia; in TVA, REX AVGVSTE, regnandi ſapientia; in TVO erga Patriam vehementi amore, in laborioſiſſima vitae TVAE ratione, & diligentia. Quae omnia nobis, de TE, praedicari toties perlibenter audivimus, ac magna demum animorum voluptate experti ſumus, nunc primum Poloniae iſtud divinitus obtigiſſe, quod olim affirmabat antiquitas: Eam Rempublicam fore beatiſſimam, in qua aut Philoſophi regnarent, aut Reges philoſopharentur. Coniicimus iam probe, quid & nos a teneris tractare oporteat, ad demerendum olim nobis Sapientiſſimi Regis gratiam. Nunc DEVM OPTIMVM MAXIMVM ardentiſſime precamur, ut REGEM, omni virtutum ac doctrinarum genere praeſtantiſſimum, ad Religionis, ad Patriae, Noſtrumque commune Bonum, totiusque Polonicae Nationis Gloriam, ſi non immortalem, tamen quam maxime velit eſſe diuturnum. Hoc enim voto, & univerſa Reſpublica, in qua, in bonos Cives, inque bonos REGIAE MAIESTATIS TVAE Subditos efformamur, laete florebit ac conſervabitur: & nos, ſub Noſtro AVGVSTO, TRAIANO, TITO, M. AVRELIO, vivere minime poenitebit.

Rex egregium adoleſcentulum arcte complexus, pluriesque oſculatus eſt, interſertis iis ferme verbis; Domine, applica te ad bonas litteras, ut coepiſti. Sic, & familiae tuae; & patriae eris decori. Reliquosque omnes, ad doctrinae virtutisque ſtudium, blandiſſime cohortatus.

CXIII.

Electo optimo & ſapientiſſimo Poloniae Rege, STANISLAO AVGVSTO, prudentiae virtutisque exemplar, *Hermannus Carolus Kaiſerlingius*, Ruſſorum Imperatricis, CATHARINAE II, magnus Legatus, deceſſit. Fuit ille Polonicae Genti mirifice deditus, ipſique Regi, ac ſummis in Republica viris

ris coniunctiſſimus, omnium conſiliorum ſocietate. Qua ex cauſſa, tanquam immaturam, mortem eius, in ſinu noſtro deflemus. *Zzembecius*, Regiae Varſavienſis Eccleſiae Collegiatae Archidiaconus, idemque Metropolitanus Gneſnenſis, & Cathedralis Cracovienſis Canonicus, divinis atque humanis litteris eruditiſſimus, doctisque viris & ſtudioſis valde benignus, poſt *Stanislai Miaskowscii* obitum, Plocenſem Cathedralem Praepoſituram, iunctumque ei Sielunenſem Ducatum, adivit. Gneſnenſis Metropolitani Scholaſtici dignitas, poſt *Moſtowscii* exceſſum, obvenit *Antonio Sierakowscio*, humanitatis ac litterarum ſtudiis probe ornato. Vacuus ibi Canonicatus, Poſnanienſis Cathedralis Eccleſiae Cuſtodi, *Okencio*, comto & ſuavi, eidemque ſincero & officioſo viro, obtigit. *Godziemirscius*, religioſus & modeſtus, eruditusque vir, in demortui *Cieciszewscii* locum, Varſavienſis Canonicus eſt ſuffectus. *Olechowscius*, pontificii iuris ſcientia, ſacrarumque & ingenuarum diſciplinarum doctrina, vitae quoque innocentia, & gravitate morum, Principi atque Antiſtiti Cracovienſi commendatiſſimus, ab eo Kielcenſis Canonicus, & Praepoſitus Slawcovienſis creatus eſt. Curiaeque ſuae Epiſcopalis Notarius conſtitutus. *Portalupi*, vir ſumme doctus ac ſapiens, denuo praeficitur celeberrimo Collegio Nobilium Theatino, in quo Rex, STANISLAVS AVGVSTVS, Pater Reipublicae, ineunte aetate, optimarum omnium artium, ſtudia, inſigni cum laude tractavit.

EXCERPTVM
POLONICAE
LITTERATVRAE
HVIVS ATQVE SVPERIORIS
AETATIS.

AVCTORE

IO. DAN. ANDR. IANOZKI

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG. SCARBIMIR. BIBLIOTHECAE ZALVSCIANAE PRAEFECTO.

VOL. III.

VRATISLAVIAE

APVD GVIL. THEOPH. KORNIVM

A. R. S. MDCCLXVI.

SPLENDIDISSIMAE NOBILITATIS,

AC SVMMAE VIRTVTIS, ERVDITIONISQVE

ADOLESCENTI,

MICHAELI

DE DVCIBVS SOLTICIS,

CRACOVIENSIS ECCLES. CATHEDRALIS

PRIMICERIO,

INSIGNISQVE COLLEGIATAE SANDOMIRIENSIS

DECANO,

IN VRBE VRBIVM, ROMA,

NVNC COMMORANTI,

IOANNES DANIEL ANDREAS

IANOSCIVS,

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG.
SCARBIMIRIEN.

FELICITATEM ET S. P. D.

Pergratum omnino, perque iucundum TIBI, ILLVSTRISSIME PRIMICERIE, fore ratus ſum, ſi hocce POLONICAE LITTERATVRAE volumen ad TE mitterem: quod delineatam, a me, REGIS optimi, Muſisque coniunctiſſimi et amiciſſimi imaginem exhibet: magnamque copiam earum ſcriptionum recenſet, quibus nobiliſſimi e noſtra Gente homines, ingeniique facinoribus celeberrimi, SACRAE IPSIVS MAIESTATI ſuſceptum imperium gratulati ſunt. TIBI enim maximi, atque a DEO nobis dati, PRINCIPIS gloria, immenſam quandam et infinitam voluptatem adferat, oportet atque neceſſe eſt, cum regias vere ac divinas EIVS virtutes dotesque penitus cognitas perſpectasque habeas, tantique ab EODEM, ob ſummam Familiae TVAE vetuſtatem et claritudinem, Regiasque propinquitates et affinitates, ob egregium

 quoque

quoque formae decus, ingentiaque animi atque ingenii bona, ſtudiorumque ornamenta, exiſtimatus ſis, ut TIBI *palam ſingularem benevolentiam ſuam, et clementiam, blandis admodum honorificisque verbis declaraverit, ac reportandorum, in Regni Gazam, Regalium Inſignium provinciam ultro detulerit. Id, quantum* TVAM *indolem, ad altiora quaeque tendentem, magis atque magis inflammat atque incendit: tantum erigit recreatque Parentem* TVVM, *Sandomiriae Caſtellanum, graviſſimum, Regique ac Reipublicae probatiſſimum Senatorem. Incredibilique laetitia afficit magnum illum Patruum, in cuius ſinu, caeleſtiſſimis pietatis, doctrinae, ſapientiaeque praeceptis innutritus es, Cracovienſium Praeſulem, Severiaeque Ducem, pontificiis ſenatoriisque virtutibus eminentiſſimum: cuius imprimis conſilio atque opera,* POLONORVM *ille TITVS, AVGVSTVS III, Princeps pius, ſanctus, ſapiens, clemens, manſuetus, iuſtus, gravis, liberalis, magnanimus atque magnificus, Rempubli-*

publicam Polonam bene ac feliciter moderatus eſt: cuius etiam arbitrio fideique, STANISLAVS AVGVSTVS, Regum providentiſſimus atque ſapientiſſimus, adeptis ſtatim publicae ſalutis gubernaculis, vetuſtiſſimi atque auguſtiſſimi, divinae religionis, humanaeque eruditionis Seminarii, CRACOVIENSIS VNIVERSITATIS *Viſitationem permiſit. Praeterea, mirum in modum, proborum omnium, qui Patriae atque Litteris bene cupiunt, ſpem ſolatur. Nam a STANISLAO AVGVSTO,* PRINCIPE *doctiſſimo, et ſapientiſſimo, et iuſtiſſimo, clariſſimis* TVIS *natalibus, virtutibusque, et ſtudiis, ampliſſima, in Eccleſia atque Republica, munera praemiaque expectanda arbitrantur. Efficiat DEVS, ut* TIBI *proſperrima omnia, id eſt, digna magno nomine, animoque* TVO, *contingant: eaque religioni orthodoxae incrementum adferant, et Polonicae Gentis gloriam augeant, bonarumque artium atque diſciplinarum progreſſus promoveant. Vale, flos*

Polo-

Polonae Nobilitatis, et maximam, quam apud nos obtinuiſti, pietatis, ſcientiae, prudentiae, temperantiae, conſtantiae, modeſtiae, innocentiae, aliarumque eximiarum virtutum opinionem, in Romana Vrbe, illa Eccleſiae rectrice, Orbisque eruditrice, ſupera! Varſaviae, e publica Bibliotheca ZALVSCIANA, XII. *Kal. Febr. Anni a* CHRISTO *nato* MDCCLXVI.

EXCER-

EXCERPTVM

POLONICAE LITTERATVRAE.

VOL. III.

CXIV.

Rex noſter ille, STANISLAVS AVGVSTVS, formae veneratione, ingeniique virtutibus, inter maximos huius, atque ſuperioris omnis aetatis Reges, effulget. Namque eſt toto corpore pulcher, ac maxime decens. Iuſta ei ſtatura. Color candidus, in genis grato rubore ſuffuſus. Naſus aquilinus. Nigri capilli. Nigrique & grandes oculi, qui intuentium omnium animos ei devinciunt. Magna, in omni eius geſtu, gravitas atque maieſtas. Animo, ſuper humanam naturam, evectus. Voluptatum contemtor. Gloriae tantummodo avidus. Publicaeque ſalutis cupidus. Legum omnium patriarum, ac domeſticorum inſtitutorum, aſſiduo uſu exercitus. Exterarum etiam rerum ſcientiſſimus. Cogitatione celer. Ac

ſcriptione velox. Facundia, Magno illo Alexandro, Macedonum Rege, Iulioque Caeſare, primo Romanorum Imperatore, potentior. Sermone vernaculo comtiſſimus. Ac nobili quaque exotica lingua tam apte concinneque loquens, ut Gallus & Italus, itemque Anglus & Germanus, Rutenusque civem ſuum haud difficulter agnoſcant. Latinis litteris doctiſſime eruditus. Liberaliumque omnium diſciplinarum ſtudiis tam abunde inſtructus, ut bonae omnes artes, ipſo uno complexae, eſſe videantur. Liberum omne otium, iucundae eorum concedens conſuetudini & familiaritati, qui praeclari facinoris, aut doctrinae virtutisque famam adepti ſunt. Ingentia iis munera, exquiſitosque honores impertiens. Militiae gnariſſimus. Ac bellicoſorum virorum amantiſſimus. Cibi potusque modicus. Vini parciſſimus. Laboris natura patiens. Et, ubi res vigiliam exigat, ſane exſomnis. Summe providus, nec minus cautus in agendis rebus, quam ſtrenuus, & fortis. Inque periculis imperterritus. Invidiam nequaquam ulciſcens. Comiter eos appellans, qui laeſere. Iisque benigne faciens. Iuſtitiae tenaciſſimus. Vitae integer & caſtus. Veritatis adeo diligens, ut ne ioco quidem mentiatur. Orthodoxae religionis obſervantiſſimus. Eccleſiaſtico Ordini benevolen-

lentiſſimus. Nobilitati omnium deditiſſimus. Eique tuendae, atque ornandae, omnem impendens curam ſuam. Populi etiam deſideriis, & ſingularum imprimis civitatum precibus, ultro occurrens. Summisque & infimis audiendis, ac iuvandis adeo obvius, ut demerendae univerſae Genti ſuae, genitum eum omnes exiſtimemus.

CXV.

Splendidiſſimum Eccleſiae atque Reipublicae, omnisque doctrinae, & litteraturae lumen, Princeps *Caietanus Ignatius Solticus*, Cracoviae Pontifex, Severiaeque Dux, advenit. Summi amoris benevolentiaeque indiciis, a Rege, eſt exceptus. Moxque ad epulas invitatus. Et ad intima, Regni de rebus, conſilia adhibitus. Principi *Repnino*, animi prompto, ſagacique viro, a *Ruſſorum Auguſta*, magnae penes Regem noſtrum Legationis officium oblatum. *Kraſicius*, Premiſlienſis Eccleſiae Cathedralis Praepoſitus, Vanchocenſisque Abbatiae Coadiutor, forma & ætate florentiſſimus, ingeniique amoenitate, & doctrinae elegantia, & morum ſuavitate, Regi valde acceptus, maior Eleemoſynarius a Sua Maieſtate eſt creatus. *Ghigiotti*, comis admodum & prudens vir, idemque perdoctus & facundus, ac mira facili-

tate gratus, a conſiliis Eccleſiaſticis, ſcribendisque ad S. Apoſtolicam Sedem epiſtolis, aſſumptus. *Lachowscius*, ſummorum hominum, ſapientiumque omnium concurſu, divinos ſermones coram Rege dicit.

CXVI.

Nobiliſſimo poetae, *Ioſepho Katenbringio*, Societatis Ieſu Sacerdoti, hunc NVNCIVM, IN ELYSIOS, POST VNANIMEM ET FELICEM, STANISLAI AVGVSTI, IN REGEM POLONIAE, ET MAGNVM DVCEM LITVANIAE, ELECTIONEM, EXPEDITVM ANNO MDCCLXIV. DIE VII. SEPTEMBRIS debemus:

Protinus at latis qua campus diditur arvis,
Varſaviam Volamque inter, concordia Gentis
Vota STANISLAVM Regem dixere; propinquo
Fama ſedens clivo, tam nobilis arbitra ſcenae,
Quin, ait, alipedes Genii! (nam plurima ſemper
Pone Deam ſtrepitat rumorum turba,) repente
Hinc, feſtinato per inania nubila curſu,
Fertis in Elyſios tam ſuavia nuncia campos?

Iuſſit: & e Geniis ſubito pernicior unus,
Iam ſtreperum cornu, tremulas ſuccinctus & alas,
Carpit iter, notisque viis, magnoque volatu,
Per liquidum tranans Iovis aethera, campis
Conſtitit Elyſiis. Locus eſt, ceu florida Tempe,
Multus ubi, denſos lauri de germine lucos,
Prataque, & herboſos thalamos, diſcriminat amnis.

Heic

Heic Magni Manes, queis iam fortuna peracta eſt,
Depoſitis mundi rebus, curisque, quietem
Captantes placidam, communi ſede morantur.

Forte IAGELLONVM ſceptris bene nata Polonis
Quondam Progenies, quos inter laurea Magni
Vmbra PONIATOVII, vernantem labilis alvei
Sederat ad ripam. Multus, ſuper omine Regni,
Et carae Patriae fatis, viduaque corona,
Illis ſermo fuit; nec enim cum corpore Manes
Deponunt omnem terrae natalis amorem.
Hunc extinctorum Regum, Patrumque Senatum,
Vt vidit Famae Genius: nova nuncia! clamat,
Nuncia de patriis ad Vos laetiſſima terris!

Conticuere omnes, avidas cum vultibus aures
Arrecti, patriis quid laeti ferret ab oris?
Veſter, ait, Lechiae nimium dilecta Propago
Magna IAGELLONVM, materno e ſanguine cretus,
Et patria clarus Pronepos virtute, Tuusque,
Magne PONIATOVI, Natus iam Lechica geſtat
Sceptra STANISLAVS! Vix haec complevit; at illi
Inſolitam, placidis oculis, & fronte ſerena,
Prodere laetitiam, tum reſpectare viciſſim,
Mox ſibi, mox patriae, mox claro ſanguine iunctis
Gratari, &, tanto de Nato, plaudere Patri.

Sed carus Genitor, cujus nova nuncia mentem
Perſtrinxere magis, poſt parva ſilentia, tales
Effudit gaudens imo de pectore voces:
Ergo erat in fatis, & provida numina Regni
Sic voluere, meus viduos ut Principe faſces
Prenſaret Natus, ſolioque ſederet avito?
Scilicet, haud temere mihi, mens praeſaga futuri,
Saepius hoc tacitis viſa eſt praedicere ſignis.
Illius in vultu, pulchra gravitate ſevero,
Intentos quoties oculos, fixosque tenerem,
(Non quales Genitor, ſed quales Cenſor habebat,)
Neſcio, tum in Puero quid maius Patre videbam.
Illi ego, non fatear, ſimili iungebar amore,

Ac aliis natis ; ſed ſolus, praeter amorem,
Torſit ab invito reverentia ſigna Parente.
Num, dixi, fortuna potens meditatur in iſto
Magni aliquid Nato? vel eum fortaſſe regendis
Olim Sarmatici Regni deſignat habenis?
Sic illum ſunt viſa mihi portendere magnum
Sermo, frons, virtus, inceſſus, & omnia, Regem.
Accidit, & fauſtum tenuerunt omina finem.

Sed, quod ſcire libet, iam quaeſo, Nuncie, fidis
Pande ſonis: non arma armis, non enſibus enſes
Conſerti? non rixa furens, & iurgia dira,
Libera Volani temerarunt iugera campi?
Aut actae populi, ſtudia in contraria, mentes?
Non bella, alternasque neces, ſunt viſa minari?
Quales, nam memini, motus, ſaevisque procellas
Cladibus infames diſcordia ſueta ciebat,
Et quorum pars magna fui? Nil, Nuncius inquit,
Nil horum. Sed erat facies placidiſſima campi,
Qualem nec prior aſpexit, nec poſtera forſan
Viſura eſt aetas. Veluti cum grata Favoni
Aura, per immenſos huc illuc mobilis agros,
Et capita alta cedri, & parvi colla liguſtri
Leniter inclinat; ſic inclinata licebat,
Et Procerum, & populi totius cernere in Vnum
Corda STANISLAVM. Votis communibus adde,
Aura quod e celebris Pruſſi, Ruſſique potentis
Climate, pervolitans flatu aſpirabat amico.
Tanti eſt, ingenuae communem Gentis amorem,
Vicinique throni certos meruiſſe favores.
Nuncius haec. Placido rurſum PONIATOVIVS ore:
Noſco, ait, & clari priſca virtute Catonis,
Cui ſimilem ingenio, regnandique arte, miniſtrum
Non Regna Europae, nedum mea Lechia vidit,
Hic labor, hoc opus eſt. Illius principe cura,
Conſilio, cupidoque boni communis amore,
Pax ſtetit Indigenis, toti concordia Regno,
Et Noſtro Nato unanimi data voce corona.

Iam licet, emenſos repetas bone Nuncie calles,
Et quae de patriis portaſti gaudia terris,

In

In patriam e noſtris fer mutua gaudia campis.
Dic: non usque adeo Lethaeo flumine merſos
Eſſe IAGELLONES, ut non ſua ſenſibus imis
Gaudia percipiant; orbi ſupereſſe Polono
Sanguinis heredem, qui ſceptra capeſſat avita,
Extinctisque novum lumen Maioribus addat.

At Regi, Natoque meo, quem pulchra corona
Ambiit, haec referes a caro vota Parente:
Regat, & auguſtum miro quod cepit amore
Sarmatiae ſceptrum, ſimili conſervet amore;
Exornet Patriam meritis, & laudibus artes,
Et frontem palmis, & pacis munere Cives;
Et Patrem, tanto quem iam ſuperavit honore,
Longaevis ſuperet carus quoque Filius annis;
Donec par ſummis effectus Regibus, olim
Et lauro, & Martis palmis, & pacis oliva
Inclytus, at ſerus, noſtras concedat in oras:
Sic PATREM NATO, *ſic* REGES *velle* NEPOTI.

CXVII.

Georgius Ciapinscius, Presbyter Scholarum Piarum, ſtudiis Pieriis ornatiſſimus, AD SERENISSIMVM STANISLAVM AVGVSTVM, POLONIARVM REGEM ORTHODOXVM, NOMINE PROVINCIAE LITVANAE, hoc CARMEN LYRICVM ſcripſit:

AVGVSTA Regum Progenies, ubi
Ad ſceptra certam ſternere ſemitam
Solet, coronarumque in ipſis
Iam dominos facit eſſe cunis;

Hereditatem purpureae quoque
Recens lacertis aſſerit editis
Togae, thronique praepotentem
Conſtituit vacui Dynaſten

 Hunc,

Hunc, qui iocoſae pendet ab ubere
Nutricis, & qui nec titubantibus
Haerere plantis, propter aevi
Reptilis impedimenta, poſſit;

Inaugurari quando ibi quempiam
Novum ad coronam contigit, & nova
Regnum occupare dignitate,
Ac populos cohibere fidos,

Non ampla valde gaudia civium
Replere certum eſt ſubdubitantia
Corda, & pavorem comminantem,
Spem poſita inter & inquietem.

Felixne (dicunt nam populi) accidit
Monarcha nobis, pace, vel horrido
Bello, vel ignavae parentis
Eſt vitio vitioſus ille?

Natura tales ipſa ciet ſonos,
Non aequa cunctis munera dividens:
Quos parturit proinde Reges,
Sollicitos iubet eſſe cives

Omnes, ob illos: ſpargit & hinc neque
Meris eorum pectora gaudiis,
Solatiis miſcens moleſtam
Spem, dubio ſociam timori.

At qui cruenta corripuit manu
Sceptrum, minaci crudus acinace,
Caedendo cervices rebellis
Vi nimia populi ſubactas,

Et caede multa, & ſanguine civium,
Injurioſae more tyrannidis,
Fuſo per urbes, & patentes,
Irriguo velut amne, campos,

Stravit

Stravit rubeſcens ad ſolium grave
Iter ſibimet, morteque plurima
Non glorioſus ad coronam
Triſtem ovat applicuiſſe frontem:

Non ulla veri ſemina gaudii
Faſtidioſis mentibus imprimit,
Imo timore, taedioque,
Atque odio populos fatigat

Vatiniano; dum ſibi praefici,
Quem noluerunt, imperio vident
Alto coacti; nec moleſtum
Ferre iugum, nec amarulenta

Cervice norunt excutere impotes;
Frenosque debent indociles pati,
Quos libero malignus ori
Impoſuit valide tyrannus.

Iam vero votis ſic ubi liberis,
Iunctisque ad unum vocibus omnium,
Monarcha genti deſtinatur,
Ac legitur placitus volenti,

O! pulchra quanto gaudia flumine
(Velut repando Nereus alveo,
Per prata, per colles apricos,
Et nemora, & ſata laeta currens,)

Gentes inundant, & populos ibi?
Quis corda ſenſus laetitiae obruit?
Solatiorum publicorum
Materies, ſeges atque quanta,

Et rura, & urbes, templaque clauſtraque,
Et caſtra Marti dedita permeat,
Movendo privatis decoram
Dis Laribus, domibusque litem?

Perſpecta quippe eſt tum popularibus
Virtus, & alte pectore Regio
Seſe recondens indoles, &
Apta bono Patriae gerendo

Mens deſtinati. Tum bene conſcia
Congratulatur Publica Res ſibi,
Legiſſe ſe notum Monarcham
Conſilio, atque animoſitate.

Tum copioſa & concipit omina,
Ac orbitatem depoſiti throni,
Solatur electi favore, &
Augurio meliore, Regis.

Talis; ſuperni munere Numinis,
Sors verſat orbem proſpera Lechicum,
Talisque, blandiente coelo,
Sarmatiam bene rara noſtram

Fortuna, pulchris legibus eximens,
A caeterarum iure dynaſtico
Provinciarum, Gentiumque,
Conſtituit dominam abſolutam

Regum eligendorum, ad ſua commoda,
Et ne quid almae debeat omnium
Mortalium, facit, parenti: aſt
Provideat ſibi Principem ipſa.

Natura nempe hic iuris habet nihil,
Peculiari lege coercita.
Amor ſed arcte concatenans,
Vnanimi bona corda nexu,

Solus triumphat: millia civium
Permulta, ad unum ſuaviter efficax
Trahendo, porrigendoque uni
Corda, manus, animosque victos.

O! qua-

O! qualem oportet, quamque probabilem,
Omnique virtutum genere inclytum,
Hunc eſſe, qui ſolus placere
Tam numero queat agminali!

AVGVSTE! Regum fama Poloniae,
Thronique magnus Sarmatici nitor,
Roburque gentis, & ſuarum
Grande decus columenque rerum!

Hucusque cantu noſtra Aganippeo
Tractare quidquid Muſa fidelior
Tentavit, & throno ſub ipſo,
Lesbiaco reſonare plectro,

Reſpexit ad TE. T*eque ſibi unicum,*
Suisque metris, propoſuit ſcopum,
AVGVSTE STANISLAE! laudes
Vltro TVAS *recitare pergens;*

Lucina ſceptrum non cui debitum,
Aut Gradivus tradidit improbus,
Sed civium libens voluntas,
Pulchra fides, amor atque conſtans.

At quae eminentem carmina gloriam
Aequare poſſunt? quae lyra Regiam
Apollinaris celſitatem
Sufficiat celebrare digne?

Minus ſed iſtud. Namque Dieſpiter
Subinde parvae murmure tibiae
Cantatur, & gaudet ſonari
Exigua ſua ſceptra chorda.

Nec vero, PRINCEPS *magnanimiſſime,*
Tuis canendis laudibus impiger
Apollo, longe quaeret illas:
Aut geneſim eximiam movendo;

Aut acta Maiorum, radiantia
In orbe noſtro, qua Litalis patet,
Et qua Lechaeus porrigit ſe
Tot populos cohibendo limes;

Quantum, ſeverae lege modeſtiae,
In pace, quantum Marte perhorrido, &
Vtraque tempeſtate, quantum
Conſilio valuere certo.

TV, TV IPSE, *noſtrae materiem chely*
Praebes peramplam, miraque nupera
Electio TVI, *ad Polonum,*
Nemine praepediente, Regnum.

O! quantus iſte eſt teſtis, idoneae
Virtutis ad magnum ſolium TVAE,
Concors voluntas gentium tot,
Diſparium quoque nationum!

Quae TE, *tot inter praecipuos viros,*
Virtute claros, & meritis graves,
Elegit ad thronum, deditque
Non alii ſua ſceptra dextrae.

Deſcende in illos, Calliope, precor!
Varſavienſis quos aperit tibi
Tractus, virentes candidosque,
Et ſtudioſa tuere, campos.

Videsne? quanti hinc curribus, hinc equis,
Provinciarum a partibus omnium,
Huc congregentur, ordinatis
Atque locent ſua caſtra metis,

Cives Polono clymate diſſiti?
Quos ſive vaſtus Viſtula dividit,
Boryſthenes, Chronusque; ſive
Cum Pripeto, Bereſina, & Iſtro,

Huc

Huc huc citato conveniunt pede:
Huc ſpes ovantes, votaque conferunt
Lectura felicem, ac beatum
Sarmatico populo Monarcham.

Sunt, qui ſacratum verticem in Infula
Monſtrant honora, puniceo latus
Toga recincti, queisve pulchra
Purpureo chlamys ardet oſtro;

Sunt, quos profanis coetibus eximit
Aut clava terrens, ſcipio eburneus,
Aut clavis auro fabrefacta
Ex ſolido, reliquusque cultus;

Omnes decori ſic dibaphis, uti
Virtute praegrandi, & ſapientia.
Collectus ex utraque terrae
Parte hilaris numerus Polonae.

Omnes vetuſto ſtemmate fulgidi;
Omnes praealto ſanguine nobiles;
Donare Lechaeum parati
Emeritae diadema fronti.

Hinc acer Heros Littavicus venit,
Diviſus alti gurgite Viliae;
Hinc Samogitta, ludibundo
Contiguus fluvio Dubiſſae;

Tum Roxolani clymatis incolae
Adſunt frequentes, rubra quibus ſuum,
Aut nigra dat nomen, vel alba
Raſſia; diſſimili colore;

Videre erat tunc caſtra Podoliae
Spectanda late; Volhynienſium, &
Junctas Maſovitis catervas
Caſſubiûm, atque Poleſiorum

Examen

Examen ingens nobilium; Pruſſos
Deſiderantes; Podlachiae quoque,
Curlandiaeque cum Livonum
Lectam acie cupida cohortem.

Quis Rex? quis aureo ſplendidior throno
Sedebit? & quis ſceptrigera manu
Ius dicet amplum, Sarmatasque
Imperio reget aequus alto,

Spectare. Sed nec difficiles moras
Fortuna luſit. Nam ſimul omnium
Vox una TE *ſolum ſonabat,*
TE *Lechico ſolio expetebat*

Dignum inter omnes. Ivit ad aethera
Clamor virorum vociferantium;
AVGVSTE STANISLAE vive! &
Sauromatas bone Rex guberna!

Dixere cuncti. Ac protinus igneа
Tormenta, voces concomitantia,
Dedere iucundum fragorem,
Laetifico ſtrepitu, & boatu.

Tum, inſtructa pennis fama volucribus,
Congratulantem diſſecat aera,
Illabiturque ſat remotis
Gentibus, urbibus, atque terris,

Tubis canendo Regem adamantinis,
Partes in omnes, ſol habitabiles
Qua luſtrat oras luminoſus,
Sarmatico poſitas ſub axe.

Repleta tellus integra gaudiis
Ovat ſonoris, templaque TE DEVM,
Omnes per urbes, uniformi
Voce ſonant, repetuntque: vive

REX

REX Magne! Caelo miſſus ab aureo,
Piaſtea Lechis ſaecula & innova,
Felicitatem priſtinamque
Redde, novo venerande ſceptro.

Reduc Iagellûm tempora Sarmatis,
Bello ut timendus, pace ita amabilis.
Europa TE *laudet, bonus* TE
Civis amet, paveat ſed hoſtis.

Haec vota Vulgi vocibus addita
Cunctis oberrant dulcia compitis;
Haec rura, campos, civitates,
Moenia, & oppida, & arva, complent:

Monarcha terris omnibus imperans,
Monarcha caelos concutiens, DEVS!
Throno Polono inauguratum,
Soſpitem & incolumem Monarcham,

Diu foveto; nos TVA, *laudibus*
Non deſituris, ſceptra potentia
Cantabimus; TV *illius auge*
Imperium, decus, atque robur.

REX interim TV, *Varſavienſibus*
Felix honoruſque arcibus advenis,
Sublimis inſigni caballo,
Innumeraque phalange cinctus

Adgratulantum ex quolibet ordine
Aut Senatorum, aut bene civium
Precantium TIBI, *ſuaeque;*
Te Domino, Patriae, atque Patre.

Diploma Regni ſuſcipis, & novis
Reples eorum pectora gaudiis;
Et dum Sacramentum profaris,
Corda novo facis illigari.

Collecta

Collecta nexu. Perpetuet Deus
Clarum Polonorum imperium TIBI,
Faxitque TE TVI *beatum*
Delicium populi frequentis.

Sed terror idem, ac intolerabile
Sis fulmen atris hoſtibus. Et TVA
Arma, inſolentes cum Geloni,
Tum Odryſii metuant tyranni.

Haec una vox auditur ab omnibus,
Qui TE *ad coronam Lechiacam vocant,*
TIBIque *plaudunt occupanti*
Sarmaticum ſolium, fideles.

Ergo parato iam diademati
Caput decorum porrige. Nec diu
Luctare fidis ambigentum
Nobilium Procerumque votis.

Imo illa amanti pectoris excipe
Sinu, TVORVM *maxima civium*
Spes, gaudiumque, queis ſuis TE
Ferre humeris volupe eſt ad aram,

De qua coronam, Praeſulea a manu,
Sumes honoram; dextra ſed aureo
Sceptro renidebit; ſiniſtra
Dives erit dominante pomo;

Latus recinget crudus acinaces.
Defenſor aequi, terror at hoſtium,
Sumesque laetus glorioſis
Purpureos humeris amictus.

Spectatus & ſic conſpicuo throno
Sedebis; hinc inde opperientibus
Mandata cunctis, & cupita
Magnanimi proba iuſſa Regis.

Tum

Tum praepotenti de ſolio bonus
Congratulantes cerne Scholas Pias,
TvAque laetos celſitate,
Quamquam humiles foveas clientes.

Exilis haec pars de TIBI *ſubbitis,*
In Litterarum pulvere condita,
Olim TVOS *avens triumphos*
Et meritas celebrare palmas,

Maiore niſu; percupiens quoque
Cantare laudes iuſtitiae, ſacro
Throno fidelis; nuncupansque
Pro imperio ſua vota fauſto,

Regi Regentum: ſit TVA *proſpera*
Fortuna, & aetas, da facilem manum,
Vultuque clementi, tuere haec
Parva piae monimenta Muſae.

CXVIII.

Rex, eo ipſo die, quo veterum Poloniae Regum diademate, ſolemni more redimitus eſt, fulgentiſſima Regiae nobilitatis decora, *Michaelem Poniatovium*, Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicum, *Adamum*que Ducem *Czartoryſcium*, generalem Podoliae Praefectum, Aquilae Albae Equites creavit. Eodemque honore Principem *Nicolaum Repninum*, Ruſſorum *Auguſtae* magnum Legatum, inſignivit. Provincia Maſoviae Societatis Ieſu, foecunda ingeniorum parens, elegantiorisque omnis doctrinae altrix, ita inaugurato Regi gratulata eſt:

EGREDIMINI, ET VIDETE REGEM SALOMONEM, IN DIADEMATE, QVO CORONAVIT EVM MATER SVA. CANTIC. III.

MATER ECCLESIA.

Nate! meos inter fortunatiſſime natos!
Nate! Tuae gentis gloria! matris honos!
Quem virtus teneris puerum formavit ab annis,
Atque ſinu fovit. Relligionis amor;
Cui leges ſervare meas, mea iura tueri,
Lex erat, & nullo lex violata die:
Accipe iam felix, Tibi quae decreverat olim
Perque meas Caelum dat modo ſceptra manus.
His ego fulta parens, & Nati numine tuta,
Non metuam Stygias in mea damna minas.
Delebo pravos mores, ſcelus omne latebit,
Solaque regnabit, cum probitate, fides.
Templa colet populus, precibusque altaria circum
Ad pia Caeleſtem vota rogabit opem.
Sic erit; & qui, a me accepto diademate fulges,
Ipſe corona Tuae, Nate, Parentis eris.

MATER PATRIA.

O Toi qu' on adora ſur les rives du Tibre,
Où tu ne reçois plus que de ſtériles voeux,
Ame des grands proiets, Reine d'un peuple libre,
Puiſſante Déité qui remplis de tes feux
Les héros bienfaiſans & les coeurs généreux,
Mère des Rois, ſublime & touchante Patrie,
Dont jadis l' image attendrie
Mêloit envain ſes pleurs aux flots du Rubicon;
De ce jour fortuné viens ordonner la fête;
Par un heureux concert réunis ſur ta tête
L' Olivier de la Paix aux fleurs de l' Helicon;
Pour les Arts & pour toi c' eſt un jour de conquête.

Parois

Parois telle en ces lieux, que tu fus autrefois
Dans les murs ſuperbes de Rome,
Lorſque pour le maintien des Loix
De nobles citoiens, miniſtres de ton choix,
Juges ſans paſſions, proclamoient un grand Homme.
Tu reverras ici ce que tu vis alors,
Le Mérite atteignant ſa haute deſtinée,
La Vertu ſans apprêt, ſous de ſimples dehors,
Illuſtrant les honneurs, dont elle eſt couronnée.
Car ces pompeux travaux, cet appareil flatteur;
Ces ſons harmonieux, ce ſpectacle enchanteur
Que le Sage apprécie, & que la foule admire;
Ce Triomphe d'un jour n'eſt point ce qui t'attire;
Il ſert à tes deſſeins, l'Amour en fut l'auteur:
Tout éclat qui ſe borne à plaire,
Ne ſeroit devant toi qu'un éclat impoſteur;
La Patrie a des ſens que n'a point le Vulgaire.

Tu pénétres jusqu'à l'Autel;
C'eſt là que ton œil maternel
Cherche un plus digne objet, le trouve, & s'y repoſe:
Un Pontife ſacré remplace l'Eternel;
Aux piés de cet Ambroiſe un autre Théodoſe,
Maître de ſa grandeur, humblement la dépoſe,
Il en fait à ſon Dieu l'hommage ſolemnel;
Mais ſon Dieu la lui rend, & d'un rayon du Ciel
L'embellit & la légitime;
Le ſceau majeſtueux qu'à ſon front il imprime,
Aſſure au nouveau Prince un éclat immortel.

Eſt-ce vous, STANISLAS, vous, déja les délices
Du peuple qu'à vos ſoins les Deſtins ont commis?
Vous, qui n'aurés jamais d'ennemis que les vices;
Quoi? vous Règnés à peine, & les cœurs ſont ſoumis!
Sur ce charmant début, ſur ces tendres prémices;
Que vos droits ſont bien affermis!
Pour un Roi qui commence ô le brillant augure
Lors qu'il voit par l'Amour ſon pouvoir applaudi!
De cet Aſtre naiſſant quel ſera le midi,
Puisque ſon aurore eſt ſi pure!

Mais que vois-je, ô Patrie? & pourquoi ſur tes pas
Se ſont attroupés ces Génies
Dont les Ordres divers, dont les voix réunies
Invoquent à grands cris le nom de STANISLAS?
La ſage Politique & la droite Prudence,
La Paix, la Vérité, la Joie, & l'Abondance,
L'Equité qui du foible écoute les ſoupirs,
Tous ces Arts qu'inventa le beſoin réciproque,
Ceux qui ſont nés des doux loiſirs,
Ont adopté ſon Règne, ils en ont fait l'époque,
Où naîtront les beaux jours, les Talens, les Plaiſirs.
„Couronnons, ont-ils dit, celui qui nous Couronne;
„Mais choiſiſſons ces fleurs que la Vertu moiſſonne,
„Et qui bravent des Tems l'injurieux couroux;
„Il ſçait tous nos ſecrêts, n'en ſoions point jaloux,
„Et pour l'azyle qu'il nous donne,
„Par un retour ſincere à ſon grand cœur bien doux,
„Aſſignons lui ſa place au Temple de Memoire;
„S'il plante nos lauriers, nous cultivons ſa gloire;
„Si par lui nous vivons, il doit vivre par nous.

Connoiſſés vous enfin, Prince. De vôtre vie,
Suivés le fil entier, repaſſés l'heureux cours;
Et plein de gratitude admirés la Patrie,
De ſes bienfaits ſur vous raſſemblant le concours.
Son zèle prévoiant fit couler dans vos veines
Le ſang de Jagellon anté ſur la valeur;
De cet illuſtre ſang l'héroique chaleur
Developpa bientôt, par ſes ſoins & ſes peines,
Le germe naturel des vertus ſouveraines,
L'Enfant par ſes ſuccès annonça le grand Roi.
Ce qui nourit l'eſprit, l'étend, ou le redreſſe,
Force, vivacité, juſteſſe,
Connoiſſance, amour de la Loi;
Le Goût, le ſentiment, ces ſources de ſageſſe,
Elle fit ſon plus cher emploi
D'en abreuver vôtre jeuneſſe.
L'Hiſtoire, par ſon ordre, ouvrit devant vos yeux
Les faſtes des Héros, le regître des âges;
La Poeſie en foule étala ſes images,

L'Elo-

L' Eloquence ſes tours, ſon charme impérieux,
L' Antiquité ſes mœurs, ſa langue, ſes uſages;
Elle mit dans vos mains la Lyre & le Compas,
Parcourut avec vous les différens climats,
Obſerva la Nature, imita ſes ouvrages;
Et pour combler ſes dons; Arbitre des ſuffrages,
C' eſt par elle à vos vœux que le ſceptre eſt offert.
Que d' Hommes dans un Roi! ſon aſcendant ſuprême
Domine ſur les Rois ainſi que ſur nous même:
La foibleſſe ſe cache au grand jour qui la perd;
Le mérite éprouvé ſe montre à découvert;
Montrés vous, STANISLAS, & l' univers vous aime.

Et Toi, Mère attentive, achève ton Heros;
S' il fuyoit tes conſeils, il ceſſeroit de l' être;
Modère ſon travail, veille ſur ſon repos;
Il eſt encore ton Fils, quoi qu' il ſoit nôtre Maître.

MATER FAMILIA.

KOSCIOŁ, OYCZYZNA, te to Matki obie
Znioſſzy dziś wſzyſtko ku Króla ozdobie,
Berło, Koronę, y miecz; gdy od ſiebie
Każda, AUGUSCIE, przybiera tym Ciebie,
W tym, z Domow pierwſza, a trzecia z tych Matek
Twa FAMILIA rzeknie na oſtatek;
Znieſionych ozdob niechże podział będzie,
Obaczym czyie w pierwſzym będą rzędzie;
Wy miecz daiecie, wy Berło, Koronę,
Ja Głowę z ręką, bez tych cóż ſą one?
Rękę waleczną macie w Nim do miecza,
Męſtwo Oycowſkie w tym Was ubeſpiecza.
Sławney Krwi CIOŁKOW Bohatyra Plemię
Zaſſoni Kościoł, wſławi Polſką ziemię
Spływaiąc Xiążąt Krew Weń Jagiełłowa,
Ręczy w tąż, że w nim do Korony Głowa.
Wziął mądrość z Wuiow Domu Jagiellona
Uzna na Tronie Swiat w nim Salomona;
Tak was zaſzczyci Oyczyzno, Kościele,
Miecz w ręku JEGO, Korona na Czele.

Słyſzy to SŁAWA y wzbiwſzy ſię piory,
Leci aż na ſam wierzch Krępackiey gory
Tak głoſząc: ozdob dość znioſły, wiem y ia;
KOSCIOŁ, OYCZYZNA: nie mniey FAMILIA.

CXIX.

SENECA ille POLONICVS, *Stanislaus Konarſcius*, IN SOLENNI DIE INAVGVRATIONIS, SERENISSIMI ET POTENTISSIMI STANISLAI AVGVSTI, REGIS POLONIAE, MAGNI DVCIS LITHVANIAE ETC. hocce, CVM CORONA REGIA, LIBERTATIS COLLOQVIVM, in manus ſuorum civium emiſit;

Digna fide referam: vates nam talia, rapti
Extra ſe Phoebi munere, ſaepe vident.
Sacra coronati vidi conclavia Regis,
Et menſam, ſuper hac & diadema nitens.
Mox venerabilior mihi viſa eſt una Dearum:
(Maieſtate oris rebar adeſſe Deam)
Laura tecta caput. Chlamys aurea, & aurea veſtis.
Arcu armata humeros, enſeque cincta latus.
Ingens frontem adamas ornat; pretioſius illo
Vtraque nil, & nil India maius, habet.
Hunc circum, gemmis rutilans nitet undique nomen
LIBERTAS, noſtrae ſuave decus Patriae.
Regali primum Dea figit dulcia ſerto,
Ex omni teneris, baſia, parte labris.
Sublatamque manu ſic eſt affata CORONAM:
(Si memini, multum eſt, reddere verba Deae)
Saxonas ante duos, Boios (ait illa,) petiſti,
Pannonas, & Gallos, atque Palaemonios.
Venceslaus enim, Lodoix, Magnusque Jagello,
Atque Jagellonum ſtirpe cadente, Tibi
Valeſius, bellax Stephanus, tum Vaza, duoque
Otthonides, patriis plus placuere procis.

At

Aſt hodie quae ſunt mea gaudia! ſcilicet aptum,
Teque domi dignum, Te reperiſſe Caput!
Quid iuvit, dominos quaeſiſſe per extera regna,
Propria prae noſtro queis placet aula Throno?
Quos taedet natale ſolum liquiſſe, ſuosque;
Nos, a Seianis, qui voluere regi?
Ne tamen immemorem, minus aut me vivere gratam,
Forte peregrinis Regibus eſſe putes,
Incepi, crevique ſub his: oblivia nulla
Illorum rapient munera, nulla dies.
Aſt in perniciem me tanto a tempore labi,
Et patrias leges nonne ruiſſe vides?
Iuribus atque meis inimica LICENTIA, bellum
Quam mihi funeſtum, perpetuumque gerit?
Pulſa Themis! verſat patrios Audacia vecors
Faſces, ſusque ferox omnia deque movet.
Relligio, dirae accuſata ſuperſtitionis,
Temnitur. Impietas laeta, peana canit.
Perfidiae, caedes, perjuria inulta, rapinae,
Hoc e fonte fluunt, nulla torique fides.
Nil priſci moris: pietas, candorque, pudorque,
Exulat. Innocuos & pudet eſſe probos.
Plus ſed adhuc mihi quod dolet, eſt id, nomine ſemper
Dum LIBERTATIS, ſe tegit omne ſcelus.
Inſultat, dirosque ciet vicinia riſus:
Aſt ego muta, ſilens, nec, niſi tempta, gemo.
Nulla malis tantis medicina modusque ſalutis:
Nullus, qui moeſtae conſulat, aut det opem.
Nam ſine conſilio, ter denis iam prope luſtris,
Reges, me, & Cives deſeruere mei.
Prorſus ad hanc triſtem me ſceptra extranea ſortem,
Prorſus ad hunc miſerum me pepulere ſtatum.
Ah! adventitiis dominis an amabitur unquam
Libera gens? nequeunt meque meosque pati!
Legis inaſſueti iuſſis, ſua iuſſa, ſupremas
Leges, invitis civibus, eſſe volunt.
Ingentes fero iam Tibi, feliciſſima! grates,
Laetor &, ad PIASTI Te rediiſſe Caput;
In me, cui & ego, ac in libera colla meorum,
Protinus imperium ſceptraque trado libens.

Expertam, ſcio me, maiorem Illius amorem:
Quippe ſinu luſit, crevit & Ille, meo.
Illeque, me melius, mea vulnera novit. Ab Illo
Eſt ſperanda meis certa medela malis.
Accipe iam brevibus: ſpes omnes colloco, REGE
In SAPIENTE meas, ac in AMANTE mei.
Hic, (olim ut roſeo Thaumantias ore,) CORONA
Reddidit intentae talia verba Deae:
Cum iam Delicio populi, cum gentis Amori,
Me, (Iove ſupremo, Teque iubente,) dedi;
Quam Tua grata mihi fiducia! PRINCIPE quod ſpem
In SAPIENTE loces, ac in AMANTE Tui.
LIBERTAS inviſa malis eſt Regibus: illam
Non odêre, ipſi qui niſi digni odio.
LIBERTAS dilecta bonis eſt Regibus: ulli
Plus, quam qui eſt populi dignus amore ſui?
Macte animo! Princeps, cinxi cui tempora, verus
Nempe Tuus ſanguis, vera Tua eſt ſoboles:
Quique fuit Civis, Patriae qui Filius, Idem
E Cive, & Nato, Rex, Patriaeque Pater.
Ille Tuis certe cum ſit nutritus in ulnis,
Eque Tua recipit, Regia ſceptra, manu,
Diliget inſtar Te caraeque bonaeque Parentis,
Ac Tecum curas dividet imperii.
Et decus, & priſcum (nil ſaeva licentia terret,)
Reſtituet robur legibus Ille Tuis.
LIBERTAS pulchrae hic dedit oſcula mille CORONAE.
Recluſae ſubito ſed patuere fores.
Et Dea mox, & ſcena ſtatim diſparuit omnis:
Ac vates, haeſit ſolus & attonitus.
O fortunati nimium, iam plaudite Cives!
Propitii, lapſis, Dî meliora dabunt!
MAIESTATEM inter LIBERTATEMque, cohaeret
Tam bene! quod fauſtum, quod ſit utrique bonum!

CXX.

Idem ſapiens vir, & ſtudiis optimis perfecte eruditus, animoque & eloquio excellens,

letis, gnarus denique bene gubernandae Reipublicae, IN COLLEGIO NOBILIVM, SCHOLARVM PIARVM, maxima Senatorii Equeſtrisque Ordinis frequentia, DE INSCRIPTIONE REGII NVMISMATIS, SVSCEPTO SACRO DIADEMATE, SPARSI, huiuscemodi verbis diſſeruit:

Coronae regiae, Ampliſſimi Proceres! inſcriptionem adiectam legitis: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI. Res, ut id genus eſſe oportet, breviſſima, ſed reconditae ſapientiae plena. Ducere hinc poteſtis, tanquam e copioſiſſimo limpidiſſimoque fonte, nedum de Rege noſtro iudicia quaevis praeclariſſima, ſed & certa optimae de Republica ſpei praeſagia, omnisque felicitatis auguria.

Meminiſtis iam toties facientem verba Regem, quo non dignius unquam Maieſtas meminit ſeſe Romana locutam. Quo illo admirationis pleniſſimo omnium ſilentio, quam unanimi cunctorum mox Civium conſenſu, Illius omnis concio, ac Eius quaevis graviſſima ac luculentiſſima, ſub comitia Convocationis, (ne priora memorem,) fuit audita oratio? Quis ille motus & incredibilis ardor animorum ſecutus dicentem, poſt auſpicatiſſimam Electionem ſui, poſt Pacta iure iurando firmata, poſt Foederatae Reipublicae utriusque gentis ad Maieſtatem acceſſum? audiſtis recentius alloquentem Vos, Senatum & Populum, poſt diadema ſacro ritu ſuſceptum.

Haec omnia, & ipſa Provinciarum legatis tot data a Rege reſponſa, eiusmodi omnino ſunt, ut quidquid Graecorum Curiae aut Exedrae, vel Romanorum Roſtra pulchrius aut excellentius audierint, nobis quidem audiſſe videamur. Certe nullus Illi hodie in tota Republica, aut ſapientia, aut copia ornatuque dicendi comparandus eſt. In hac vero inſcriptione, ut opus, Laconicus eſt; ſed & omnium & veſtrae illam meditationi relinquit. Poſt Deum iam O. M. in cuius manu fatisque, & Principum, & Regnorum auſpicia fortesque

que ſunt, veſtrum opus eſt, Celſiſſime Primas Primeque Princeps, Ampliſſime Senatus, fortiſſime Equeſtris Ordo, cum fortunatiſſima Electio, tum ſolemnis haec inauguratio incomparabilis noſtri Principis. Quid itaque ſacra Eius mens, hoc Coronae ſuae Lemmate, quid paucis his aut intendat, aut complectatur verbis? precandos Vos mihi eſſe praeſenti Oratione duxi, ut ad enucleandum, ad perſcrutandum inveſtigandumque ſenſum, atque ad attingendum pulcherrimae huius inſcriptionis ſcopum, veſtros una mecum, absque taedio, imo cum benevola attentione, adiiciatis animos. Argumentum certe, pro ratione temporis, cum de Potentiſſimi Regis Coronati laudibus tacere nefas ſit, nullum aut praeſtantius, aut Reipublicae utilius arbitratus ſum, a me deligi potuiſſe.

I.

Fortunae voce imprimis, elegantiae carminisque duntaxat cauſa, inſcriptio haec uſa eſt. Veteribus fuit olim haec mens, ac ne veteribus quidem viris ſapientibus, ſed prono in fabulas ſuperſtitionesque vulgo, ut Deam, multis templis, ac celebriore reliquis trans Tiberim Romae delubro, fortunam coluerit. De ea ſic Cicero: *non enim ſolum ipſa fortuna caeca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa eſt.* Itaque vir ſapiens, & divinitatem caecam, & caecos illius exiſtimavit cultores. Clarius adhuc Satyricus, cum eam & divinis ſpoliavit honoribus, & caeleſtibus movit ſedibus: *nullum numen habes, nos te, nos facimus fortuna Deam, caeloque locamus.*

Fortunam autem quid aliud reapſe eſſe intelligimus? niſi ſubitum & inopinatum eventum, earum, quae accidunt, rerum. Quid aliud ſors, arguit Romanorum Philoſophorum facile princeps, quid fortuna? quid caſus? quid eventus? niſi cum ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere aut evenire, vel aliter cadere atque evenire potuerit. Omnem ergo caſum ac eventum fortunam dicimus: at enimvero omnem caſum eventumque non alii longe principio, quam fortunae attribuimus.

Nobis

Nobis enim id ſolis, quidquid fortuito accidit, caſus eſt, ut quibus cauſae, decreta, legesque, mundi Moderatoris Rectorisque Supremi, penitus ignotae ſunt: at contra nihil illi caſus eſt, qui univerſum hunc, humanumque in eo genus, ſumma ſapientia ac poteſtate moderatur, qui mente illa infinita, omnia eventura proſpexit, ac ipſemet definivit. Providentiae ergo eius ſunt conſilia, mirique effectus, qui nobis caſus videri, aut potius ita duntaxat appellari ſolent. Quod fortuna itaque apud priſcum ſuperſtitioſumque vulgus, hoc apud nos Providentia ſit oportet: ita quidem, ut ſi Poetis elegantius uti libet, quemadmodum Fati, Iovis, Palladis, ſic & veteri Fortunae vocabulo, hoc tamen nihil aliud deſignare, quam Rectricem mundi, ſapientiam, apud Chriſtianos Philoſophos poſſit. Numero itaque carminis ſublato, HANC IVSSIT FORTVNA MERERI, idem eſt, ac iſtud: Providentia divina hanc iuſſit mereri. Non ſortem itaque, aut caſum, ſed coronas ſceptraque dantem, & diſtribuentem Deum, iubere, Coronam mereri, erudita haec inſcriptio teſtatur docetque: exploſa temeritate eorum, quos Vates Iſaias deridet: qui ponunt fortunae menſam, & libant ſuper eam.

Sed quandoquidem, naturae ordine, merita praecedere debent ante praemia; quid iſtud eſt: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI? Coronam inquam mereri iuſſit, quam iam concordibus veſtris, liberae gentis, Rex ſit adeptus ſuffragiis? pro qua imperatur labor & curſus, iam haec merces in manu eſt? Prius profecto, Vobis, promerenda, quam ſuſcipienda Corona, videbitur.

Ad quaeſtionem hanc ut recte reſpondeam, duo mihi dicenda videntur; unum: Coronam, ſeu imperium, neminem ſatis poſſe mereri; alterum: parem imperio, quod ſatis eſt, animum, virtutesque regias, ad optime de Regno merendum, Principem noſtrum luculentiſſime attuliſſe. Haec cum dixero, Vos procul dubio in inſcriptionibus mentem mecum facile penetrabitis.

Ac cumprimis, quam ſapienter, iuſte, modeſteque dictum ſit: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI, conſiderate. Superbe enim nimis ſentiret, qui Regnum ſe promeruiſſe ſentiret. Capacem (ut Poetae dictum,) mentem Regni, indolem ad imperium factam, animum regendo imperandoque idoneum, eum habere oportet, cui populorum cura, & regimen cum ſceptro committitur. Non deſinet unquam, dum vivet, optime de Regno mereri, qui haec ſecum ad Thronum attulerit. Sed merita, ſed facta ingentia, ſed res geſtae cuiusvis ante regnum, aut ob ipſam temporis vitaeque rationem, non praecedunt, nec poſſunt praecedere; aut forte ſi & horum ſit aliquid, quantumcunque demum eſt, regno certe promerendo impar, ſemperque regiae dignitatis faſtigio longe inferius futurum eſt. Ad auſpicato itaque ac beate ordiendum regnum, virtus & animus par regendo quaeritur, non promerita exagerantur. Quis enim vel optimorum cum tempore Principum, qui maturrime Thronos conſcendunt Paternos, aut qui ineunte prima florentiſſimaque aetate, in ſpem longioris imperii in Reges eliguntur, quis inquam eorum Regnum meruit? aut vero qui antea illud mereri potuit? Dicamus imo & de iis, qui in provectiore aetate pervenerunt ad ſolium, quis illorum tantum meruit, ut ei nihil minus, quam Regale Solium debeatur? At ſi vel Patriam ab interitu vindicavit, quo promerito maius nullum, ſi autem hoc titulo Liberatoris & conſervatoris Patriae, eiusdem imperium ſibi omnino deberi contenderit, fiet eiusdem, e vindice & Liberatore, tyrannus.

Thronus igitur debetur nemini, niſi illi, quem Deus O. M. per quem Reges regnant, ſive forte naſcendi, ſive populorum delectu, Regem iuſſerit. Regnum, quocunque iure venerit, haud ſuo merito, ſed ſemper fortunae, ut eam definivimus, ſeu ſi dicere malumus, ſemper Providentiae, a bonis modeſtisque Principibus, & relatum, & in acceptis referendum eſt. Regnum, cum ſupra homines ſit, ac ſupra generis humani aequalitatem res poſita, fatendum eſt, Regni praemium & imperium nullum hominum ſatis poſſe mereri.

Praeſer-

Praeſertim, ſi, ut par aequumque eſt, ita apud nos ſtatuamus: quod vel maximi labores, conatus, ſudor, vulnera, ipſiusque vitae pericula, quae bonus Civis pro ſalute Patriae ſubiit, quaeque nos vocare ſolemus merita, dum penitius inſpexeritis, & in aequitatis lance examinaveritis, non tam ſunt merita, quam debita ſunt erga Patriam officia. Qua in re perlibenter aſſentior, Graecorum Imperatori, Timotheo, qui cum audiſſet unum ex Collegis, parta celebri victoria, dicentem: an putas, o Timothee, gratam nobis futuram Patriam? dic potius, Imperator reſpondit: an nos Patriae dignas queamus referre gratias? Senſit vir ſummus, nos gratificari Patriae oportere, non nobis gratam eſſe Patriam. Nam ſi, ut Hierocles inquit: Patria eſt, velut alter quidam Deus, & primus maximusque Parens; ut de Deo itaque, noſtrisque parentibus, nunquam ita bene mereri poſſumus, ut eos ad remunerandum iure ſummo obſtringamus, ita nec Patriam: maiora ſemper erunt, & Dei, & Parentum, & Patriae in nos munera, noſtris quibuscunque obſequiis. Quamobrem rerum vel optime geſtarum apud Patriam oſtentatio inutilis eſt, atque ex opinione Socratis, optime eius magiſtratus is geret, qui ad eos non cum meritorum iactantia, ſed cum animo bene de ea merendi accedit. Nos igitur, quidquid Patriae praeſtamus, id facimus, quod debemus: illa vero quidquid nobis boni praeſtiterit, omne id beneficii loco, non mercedis, cenſendum eſt. Quod ſi iam minora praemia, opes, honores, faſces non poſſunt deberi a Patria ſuis Civibus, quid Coronae? quid Regna? Liquet itaque, ſi omnia alia honorum ornamenta, multo magis Thronum Regium longe ſuperiorem eſſe omnibus vel maximis, etiam praeſtantiſſimorum hominum meritis.

Qui itaque vocantur ad Regna & Imperia, non eorum certe merita, qualiacunque demum ſint, a Patria coronantur aut rependuntur, ſed Coronam & ſceptrum, incitamentum iis eſſe ad optime de Regno merendum oportet. Si enim alii omnes honoris faſces excitare vehementer quemcunque bonum Civem debent, iis ut ſe dignum reddat; quantoque eminentior ſit, tanto ma-

gis

gis ad bene merendum de Patria, obligatum ſe eſſe ſentiat: iam multo magis honor Regius ſtimulo bonis Regibus eſſe debet, tota ut vita, omniumque contentione virium, de Patria Civibusque quam optime mereri ſtudeant. Et hoc ipſum eſt, quod Rex cogitavit, cum dixit: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI. Modeſte laudabiliterque fatetur, minime ſe velle Thronum ſuis meritis fuiſſe debitum, ſed potius, tanto numinum hominumque munere, ac ſuprema dignitate ſibi collata, ſe moneri, ut Coronam quam obtinuit, quamdiu regnaturus eſt, ſemper magis magisque promereri conetur. Mens ergo perelegantis huius inſcriptionis eſt, Coronam, quam iam ſibi manus divina impoſuerit, id ab eo exigere, eam ut mereri non ceſſet. Sapientiam ſingularem! modeſtiam ſummo iam loco magis etiam admirabilem!

II.

Aſſeruimus & nos itaque, mentem Regis ſequendo, nullam vim meritorum ex aequo ſatis eſſe, ad iure adipiſcendam Coronam; ſed ſimul innuimus, plurimum referre Reipublicae, ſi homines ſummi & quam maxime idonei ad imperia deligantur.

Si vero iam Rex noſter, promerendi deinceps quod gerit ſceptri, optimam voluntatem oſtendit, & ſtudia pollicetur, dicamus proinde & nos, quod alterum dicendum nobis ſupereſt, in quo omnes perlibenter conſentiunt, quodque nemo negaverit, nullum videlicet Illo deſiderari aptiorem, nullum Regno magis idoneum. Attulit ſecum ad ſolium omnia, quae ab optimis Regibus, anxii de felicitate ſua exoptare ſolent populi.

Religione, prae caeteris rebus, eorum imprimis aſficiuntur animi. Quid autem ſanctius ea inſtitutione fuit, quam annis multis ipſi ſpectavimus: cum Mater illa, ob pietatem omnemque virtutem, ſummum ſui ſexus ornamentum, ingenio autem, ſingulari doctrina & ſapientia, ſexu omnino maior, incredibili diligentia in id praeſertim incubuerit, ut omni ſuperſtitione remota, in verae religionis ſolidaeque pietatis ſenſu ſuos

liberos

liberos educaret: utque digne de Deo ſentirent, timorem eius diſcerent, mores innocentes combiberent, ad probitatem, & omne virtutis genus, a teneris formarentur; optimos quosvis lectiſſimosque, qui de religione vitaque recte inſtituenda ſapientiſſime pertractant, ſcriptores, & Evangelii praecones eisdem explicare, ac philoſophiam chriſtianam illis ipſamet tradere, annis compluribus, ſtatis quovis fere die horis, fuerit ſolita: exemplo ſcholis omnibus privatis publicisque ſaluberrime imitando. Ex qua ſancta illa conſuetudine, a iuvenili aetate contracta, videtis nunc quoque, qua reverentia ſacris noſtris vacare, quam praeclaro populis exemplo verbi Dei praedicationi adeſſe, qua morum diſciplina ac integritate, & iisdem praelucere, & licentiam hominum irreligioſorum damnare, Rex noſter, cum ſumma bonorum omnium voluptate, conſtanter obſervatur. Iam pace multorum, qui ſibi caeteris omnibus ſapientiores videntur, quippe vel a mentione, nedum a laude religionis abhorrent, pace inquam eorum, Pauli ſtylum ſequendo, dixerim: Talem nobis decebat eſſe, in Regno Catholico Regem, qui primum ac firmiſſimum felicitatis ſuae Regnique ſui fundamentum, in cultu divino collocaret.

Iam, ſecundum a religione locum, ſapientiae ſi dederimus, tantam in Rege noſtro eſſe, omnium eſt fixa & pervulgata opinio; ut ſi aliae gentes ſuos Principes, iuſtos, pios, fortes, invictos, felices, carosve appellent, nonnullae etiam ſuperbius, magnorum cognomine impoſito, exornare ſuos ambiant: nos praeſaga quadam mente nobis polliceri audemus, Regem noſtrum SAPIENTEM, & deinceps, & poſteris appellatum iri. Tanta ingenii magnitudo & vaſtitas, tam ingens rerum humanarum divinarumque ſcientia, tanta cum univerſae rerum naturae, tum cordis humani receſſuum, indolisque cognitio, tanta vel difficillimarum rerum intelligentia & perſpicacia, tanta linguarum compluriun bonarumque artium comprehenſio, tanta antiquitatis, viciniorum noſtrorumque temporum, Regnorum omnium & Rerumpubl. religionum, politices, principiorumque regendi ac populos felices reddendi

notitia,

notitia, tanta legendi, quidquid a ſummis erudiendo humano generi elaboratum eſt ingeniis, aſſiduitas, tanta inde lux prudentiae, ſoliditasque conſilii, tam facilis, elegans, copioſa, ac plane divina eloquentiae vis, verborumque flumen, ut in una quaque ſeparatim harum rerum excellentiores, pauci hominum illi comparari queant. Qua Principis noſtri univerſorum de eo exiſtimatione, quid illi honorificentius, quid Reipublicae ſalubrius? Conſecuta eſt illa, id quod Rebuspublicis divinus tantopere optarat Plato, ut quanto eorum Principes caeteris dignitate eminent, tanto reliquos ſapientia antecellant.

Qui iam pridem, qui propius penitiusque Regis animum cognoſcunt, ſancte teſtari ſolent, iuſtitiam ita Illi eſſe innatam, virum ut, proinde iam & Principem iuſtiorem illo, ac aequi amantiorem, non norint. Iudicium nempe illi ineſſe, ita in res penetrans, ita rectum, ut veri falſique, iuſti & iniuſti, quorum ſaepe confinia coëunt, diſcrimen ſit nulli facilius: ita vero eſſe animum illius compoſitum, ut omnia Regnumque amittere, quam ſcienter iniuſtitiam committere, aut inferre cuicunque iniuriam, paratior ſit. Quid hac virtute, in adminiſtratione Reipublicae, in tuendo, reddendoque ius cuivis ſuum, in diligenti ad Magiſtratus delectu, praviſque hominibus removendis, in bene meritis de Eccleſia & Patria viris exornandis promovendisque, in diſtribuendis praemiis, muniis, honoribus & opibus, in perſequendis, percellendis, diminuendisque criminibus, Regno poteſt eſſe optabilius?

Clementiam Eius, an non ſatis teſtantur & probant, haec mira & incredibilis affabilitas, & ſuavitas? quae iam omnes in admirationem amoremque eius rapuit. Quis eſt, cui ille artis captandi mentes ſcientiſſimus, tale quiddam non dixerit, flammae ut inſtar omnium animos corripere videatur. Quem ex iis, quos libertas ſentiendi ab eo non nihil ſepararat, non iam ſibi amiciſſimum, coniunctiſſimum, & benevolentiſſimum reddidit? Reges, praeter hunc, obſequentes, fideles, ſi vultis, & amantes ſervos numerant, amicos vix ac ne vix quidem norunt. Rex noſter

ſter bene novit, quid in amicitia voluptatis inſit. Aequali iure natus, ac pares inter hucusque verſatus, artem reperit, ne Maieſtas humanitati, humanitas Maieſtati quidquam deroget, ne quidpiam neutri decedat: ita comis eſt, ita facit, ut Cives vix animadvertant, penes parem olim, iam eſſe imperium. Ille docet, Reges, ſi velint, poſſe habere amicos. Tali Principe quid iucundius genti liberae? cuius teſſera propria illud Traiani eſt, talem me praeſto Imperatorem privatis qualem ipſe privatus optaveram.

Iam cum, ut Cicero inquit, magnifici apparatus, vitaeque cultus, cum elegantia & copia, delectent populum, eiusque gratia regium ſit, omnia cum ampla quadam & ſplendida oſtentatione agere; id enim quoque Principi venerationem apud ſuos exterosque conciliat: aſpectus iam praeſens Aulae Regiae, ſumptusque in omnia pro dignitate facti, ſane pollicentur, inde quoque ſplendorem Maieſtati minime unquam defuturum. At vero quod longe adhuc melius hac in re eſt, pronus ille aſſuefactusque ad benefaciendum cunctis animus, quot iam mirificis Regiae munificentiae ſpeciminibus, in Principe noſtro patuit? Pietas & miſeratio eius pectori cum natura infuſa. Inde neceſſitati plurimorum iam toties regie proviſum eſt: egeſtas, modo vivendi deſtitutorum, religioſe paſſim ſublevata: ne petentibus quidem, ad famam duntaxat indigentiae aut calamitatis domeſticae, liberaliter & ſponte proſpectum: miles Principis liberalitatem expertus: pulcherrimarum artium cultura inſigni largitate excitata! munera honorificentiſſime regaliterque diſtributa: nullus non beneficio notatus dies. Clara haec optimi, in omnes, Parentis munificentiſſimique Principis teſtimonia, toties iam cum voluptate ſpectavimus. Temporis anguſtias numerus beneficiorum excedit. Aerarium certe ille patrimoniumque Regium, in expendendo, ut publicum populique, non ſuum: in adminiſtrando augendoque, ut ſuum, non publicum reſpicit.

Sed quae, in expediendis iis, qui Principem ſive ſupplices, ſive pro varia rerum ratione adeunt, mira & ſtupenda celeritas? Vigilare pro ſtatione videtur, ut auſcul-

auſcultet. Certe ſi quid aliud, hoc illud eſt, quod in optimam de Republica ſpem cunctos erigit, laborioſiſſimae nempe vitae rationi, ita Regem eſſe aſſuetum, mos ut illi ſit fere in naturam mutatus. Labore defatigari non videtur, cum alii laſſentur etiam otio. Vires illi robutque a motu. Rara profecto & vix Europae laus cognita: diligentiſſimus officii Princeps. Recuſandum quidem non eſt, ſi cui, certe Principibus, intermiſcenda eſſe otia curis. Eget his intervallis, eorum, quae ſimul eſt Patriae, ſalus. Eius cauſa, ita iis Rex noſter utitur, ut praecipue in oblectamento Civium, ſuum ponat: quale Marcus Aurelius, in coetu conviviisque amicorum, quae, imperatorem tantiſper exutus, cohoneſtare ſolebat, ſaepius quaeſiit. Hoc convenit, hoc decet eos, qui nedum Reges, ſed ſimul Patres ſe eſſe meminerint: quique volunt oſtendere, absque Aſiaticis ſipariis, velis, vultusque involucris, Regum conſpectum longe venerabiliorem eſſe: praeſertim cum Maieſtas ſimul, & ſumma oris gratia, ſeſe invicem, & iuvant, & temperant. Hac ratione nihil temporis noſtro Principi deperditur, quod relaxando indulget animo: fructum uberem inde capit, melius noſci, plus adamari: praeter vegetiores ſpiritus, aptioremque mentem, ad mox ſubſecuturos labores; qui, Reipublicae plurimum intereſt, ne ſint nimii, ne continentes, ſed cum quiete alterni. At enim vero Moderatoribus orbis, ubi pulvinaria, menſae, ferarum indagines, concentus muſici, theatra, ludi & ludicra, maiorem vitae partem extrahunt, Regni curae quid reliquum ſupereſt? Miſer Principatus! miſera populi talibus fortuna Rectoribus! Deſide Principe, regulis & tyrannis plena omnia ſint oportet. Multi regunt, ubi unum piget regere. O infortunatam ſortem imperii! Metu huius infortunii liberat nos Principis noſtri diligentia. Tanti eſt, labori inſueſcere! qui nunquam illi in ſolio gravis nimium moleſtusque videbitur: cui, etiam poſt arduorum graviſſimorumque Reipublicae negotiorum quotidianum curriculum, poſtque Regias occupationes diurnas, meditari, legere, ſcribere, lucubrare de Republica, otium eſt.

Venit

Venit vero id, non ſolum ex ea, ut mox diximus, perquam laudabili aſſuetudine, non ſolum ex cognitione officii, verum ac imprimis etiam e binis his fontibus, e maximo nimirum amore gloriae, & e ſumma, qua flagrat ardetque, caritate in Patriam. Circa haec duo omnes eius cogitationes verſantur. Si verum eſt illud Taciti, optimos mortalium altiſſima cupere, conilcietis facile, a nullo mortalium altiorem ſcopum conatis ſuis fuiſſe propoſitum, quam Illi. Vt ſummi nempe optimique Reges, tam noſtrae, quam maximarum gentium, norma ei ſunt, ita eorum aut aequandae, aut ſuperandae gloriae, ingens eum tenet deſiderium. Divinis quidem eventura fluunt & pendent e fatis; his propitiis, magnumque Regis animum ſervare ac ſecundare volentibus, nos certe nec maioribus noſtris, nec externis populis, clariſſimos Principes locum invidendi habebimus. Princeps enim, qui tendit ad gloriae decus, cui nihil volupe niſi gloria, huius vi, huius ſtimulo, perpetuo urgetur ad maxima, ad ſumma, ad immortalia. Sapiens autem cum ſit, & famae ſcit praeferre gloriam, & qui ſint eius certi fines, & in quo vera collocanda ſit, probe callet. In ſalute itaque ac felicitate Regni procuranda, glorioſiſſimi Imperii & ſcopum, & memoriae ad poſteros perenne monumentum, ſtatuit.

Ad quam excellentem curam, non minus magni inter Principes nominis & claritudinis, quam amoris erga Patriam ſummi incitamento, vehementer permovetur Rex noſter. Se, magis neminem ornatum: ſe, neminem ſublimius, pares inter, evectum a Patria, dum recogitat: quid illi proinde prae omnibus debeat? quanto eidem amore eum gratificari oporteat? ſapienter metitur. Nihil itaque eſt, ad quod, pro ſalute bonoque eius communi tentandum, conandumque, magnus illi deſit animus. Et quid aliud ab eo privatim publiceque audimus, niſi eius praeclara cogitata, niſi conſilia, quae continuo feruntur ad opitulandum Patriae, tenduntque ad reſtituendum veterem Reipublicae ſplendorem?

Ea quidem tempeſtate vivere, iam fere nos taeduit, cui carmen iſtud utinam minime conveniret:

privatae cuivis tantus amor rei, ut vel pernicie ſuae & faſces & opes quaerere Patriae, proſit Civibus impiis. Nil illis Patriae, nil Reipublicae usquam nomine inanius: riderique poteſt, qui memoret, ſua pro Roma cupidos mori, Brutos, & Decios, & Fabium genus. Pompeii factum illud, qui cum e Sicilia, annonam fame laboranti urbi portando, ſolveret, cumque inſolita maris tempeſtate coorta, praeſentiſſimi metu naufragii a nautis terreretur, atque ut tantiſper in portu haereret, obſecraretur, reſpondit: ut navigemus, urget neceſſitas Patriae; ut vivamus, non urget; hocque dicto e littore ſolvit; factum hoc, inquam, Pompeii, non erat iam noſtris temporibus praeſtolandum. Obliti fere fuimus, natos eſſe nos in Republica: & Rempublicam nullam eſſe, ſine Patriae amore; qui ſi erga eam non ſit in Civibus liberis; ſi res privatae magis cordi ſunt, easque communibus praeferri libet commodis; tali quidem libertati praeſtabit honeſta ſervitus. Regis iam noſtri cogitationes omnes, ſtudia omnia quo collimant, niſi ut bonos Cives, niſi ut eos, quibus animus, non anima tantum ineſt, ad amandam, reficiendam, iuvandamque excitet, exſtimulet, imo & perurgeat Patriam?

Haec Eius, rara omnino, & ſumma, omnia animi ornamenta, haec quae de reſtituenda firmandaque Republica mente volvit conſilia, optime cognita ſunt, & remotis quibusvis, & amicis, foederatisque Reipublicae Principibus: quare tanta eum proſecuti ſunt exiſtimatione ac benevolentia, ut eorum & ampliſſima gratiſſimaque commendatio, & maxima ſincerae erga Regem noſtrum eorum amicitiae argumenta, neminem iam tota Europa lateant. Iam iſta Principis noſtri, cum tam potentibus Vicinis optatiſſima coniunctio, quantum boni allatura ſemper eſt Reipublicae? Iſta profecto apud Exteras gentes noſtri Regis auctoritas, fides, & praeclariſſima de eo opinio, non minus genti noſtrae univerſae, ac gentilibus perquam honorifica ſit oportet.

His iam igitur vere regiis, religione, ſapientia, iuſtitia, clementia, magnitudine animi, beneficentiae & magnificentiae laude, labore & diligentia, ſummo amore gloriae & Patriae, ingenti fama & exiſtimatione apud

apud Vicinos omnesque Principes comparata, aliisque praeſtantiſſimis ac innumeris dotibus praeditus, communitus, omnibusque Imperio neceſſariis inſtructus artibus, ad ſolium Rex noſter acceſſit, concordiſſimis, fere absque exemplo, gentis liberae animis vocibusque electus, iamque auſpicatiſſime incredibili omnium laetitia ac celebritate coronatus.

Probatisne iam, quaeſo, cur autem non probetis? Ariſtotelis, graviſſimi rerum Publicarum praeceptoris, effatum: melius eſt Civitatem regi ab optimo viro, quam a lege optima. Leges enim vel optimae, mutae imbecillesque ſunt, ſi illarum, is qui regit, praecipuam curam exequendarum non gerit. Nos ſane bonas habemus leges, ſed quemadmodum eae hucusque ſervatae ſint, ſane patet in Reipublicae ſtatu. Sperandum iam eſt; illas deinceps vim debitam habituras, cum ab eo, qui virtutem omnem animo complexus eſt, ſcilicet cum ab Optimo regetur Civitas. Praeſertim vero, ab eo Principe, quo nullus maiorem Patriarum legum, religionis, officiorum, muniorum, iurium, Iudiciorum, opum & virium, oeconomiaeque publicae, cognitionem nactus eſt; qui, quod praecipuum ſtudium bonorum Regum eſt, perſonas etiam, ac nobilitatem prope univerſam, familiarum neceſſitudines & vincula, indolem & promerita ſingulorum fere civium, in numerato habere videtur.

Merebitur itaque, merebitur hanc, quam iuſſit fortuna mereri, Coronam, qui ad optime merendum de Patria, parem, quod principio diximus, Imperio animum, virtutesque Regias iam nobis omnibus in eo ſpectatas, cunctisque notiſſimas, velut certiſſimum ſpei publicae pignus ſecum in Throno collocavit. Genti eas noſtrae obtulit, loco ingentium illorum promiſſorum, & theſaurorum, quos exteri Principes toties nobis, ampliſſimis quidem verbis, re ipſa nunquam, oſtentare ac offerre ſolebant. Hae ſunt verae, quas Rex noſter ſecum, nobis donavit opes, longe Cyri, Croeſi, & Attalicis potiores. Hae, pro eo, ſanctius Patriae noſtrae ſpondent, illum diadema, quod ſacro eius Capiti impoſitum eſt, quoad regnaverit, ut iam curat, mereri curaturum.

Conferte iam, quaeſo, iudicii ferendi gratia, geminas has numiſmatum Regiorum inſcriptiones: unam noſtra iam memoria, alteram hanc in praeſenti coronae Regiae ſolenni impoſitione factam; illam his verbis coronandi Regis diademati, certe non e mente religioſiſſimi Principis, ſed a quopiam aſſentatore adiectam: MERVIT ET TVEBITVR; iſtam, e mente STANISLAI AVGVSTI, coronae adſcriptam: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI. Illa Principi, nondum tum quidquam apud Rempublicam merito, quique nihil ante, de ea, per aetatem mereri potuerit, ſed primum de gente noſtra mereri volenti ac incipienti, ingens iam neſcio quod attribuit meritum: MERVIT ET TVEBITVR; haec vero poſtrema, duntaxat fatetur, & quodammodo praecipit, promerendam Regi eſſe coronam: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI. Si utramque, in rectae rationis trutina examinaveritis, illam profecto ab aſſentatione effictam, hanc a veritate ipſa excogitatam, procul dubio iudicabitis.

Ergo iam perpetuas maximasque, quas animus capere poteſt, Deo O. M. Regum Regi, ac Domino Dominantium, litemus gratias, quod nobis Principem, cum tanta optime de Regno merendi voluntate, feliciſſimis iam auſpiciis coronatum, divinitus dederit. Gratiſſima quoque proſequi nos decet reminiſcentia, ſummum illum heroem, STANISLAVM PONIATOVIVM, gentium hiſtoriis dum adhuc viveret celebratiſſimum, clariſſimum ducem, primumque Regni Senatorem, fortunatiſſimum Regis noſtri Parentem; qui etſi extrema aetate, quam totam rara peregit illuſtravitque gloria, ſummum hoc vitae ſolatium non viderit, e caeleſti tamen domicilio, diademate Patrio ornatum, Thronoque ſublimem Filium, beatus iam ſpectare, eoque frui & oblectari putatur; atque, cum Celſiſſimo Primati, pacati Interregni, tamque fortunatae Electionis laborioſiſſimo prudentiſſimoque moderatori, tum praeſtantiſſimo Senatui, Equeſtrique Ordini, concordiſſimis ad exemplum poſterorum Civibus, imprimis autem Celſiſſimis Principibus CZARTORYSCIIS, Avunculis Regiis, ſalutis, pacis, & tranquillitatis pu-

blicae

blicae auctoribus & conſervatoribus, referre e Caelo videtur easdem cum gente noſtra univerſa grates, quod non minus eius, quam ſuo ſanguini Iagellonico, ad ſolium revocando, peramanter opitulati ſint, quodque caram Patriam tanto tamque ingenti bono cumulare ſtuduerint.

Iam vero & Vos, Adoleſcentes Nobiliſſimi, quibus exemplo praeit, facemque praefert Rex Ipſe, adeo de Patria bene merendi cupidus, ad ſimilia pro gradu olim cuiusque, erga eandem, ſtudia accendimini. Quorumvis munerum functioni, quae ſemper honori illis ſunt, qui eas cum utilitate Reipublicae gerunt; ac dignitati cuivis, quam aliquando in Rep. conſecuturi eſtis, idem lemma inſcribite: HANC IVSSIT FORTVNA MERERI. Imo nec in hac, qua eſtis aetate, adhuc extra campum de ea merendi poſitos vos eſſe putetis: ingens enim, ut quemque veſtrum cohortatur Demoſthenes, ingens erga Remp. meritum eſt, ſi te ipſe praeſtiteris egregium virum. Tales vos praeſtare omnibus virtutis ſapientiaeque adiumentis ſatagite: nulla profecto ratione melius, cum de communi cariſſimaque noſtri omnium Parente, tum & de optimo Principe mereri poteritis; cui iam omnes, ſalutem incolumem, pacem, & diuturnum tranquillumque Imperium; bonis, probisque Civibus, florentem Rempublicam, proſpera & fauſta omnia, ac gloriam e rebus geſtis immortalem, ex animo comprecemur.

CXXI.

Lituanica Societatis Ieſu Provincia, liberalium ingeniorum ferax, SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI, STANISLAO AVGVSTO, REGI POLONIARVM, MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, KIIOVIAE,

 LIVO-

LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, CZERNIECHOVIAE, ETC. ETC. INTER FESTIVAS PLAVDENTIS POLONIAE GRATVLATIONES, CORONATO, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, ſua ſtudia in hunc modum profeſſa eſt:

AD REGIA INSIGNIA.

Ite, Polonorum pretioſa INSIGNIA *Regum,*
Non alio melius conſpicienda die!
Ite, ſuperba auro, rutilisque decora pyropis,
Grandius, a Veſtro Rege, habitura decus!
Tu, Sceptrum, meritae te leniter inſere dextrae!
Tu, pulchrum radians cinge Corona caput!
Certe; nec potuit frons dignior eſſe corona;
Nec potuit ſceptro dignior eſſe manus.
Fronte STANISLAI *nihil eſt auguſtius: illa*
Priſca IAGIELLONVM *ſigna genusque refert.*
Nilque STANISLAI *dextra eſt generoſius: illa*
Herois Patris fortia facta refert.
O felix Sceptrum! felix Diadema Polonum!
Cui Princeps pretium praeſidiumque dabit.

II.

Grand Roi que les Dieux eux mêmes
Juges du prix des Heros
Placent aux honneurs ſuprêmes
Par le choix de tes égaux:
Quoi? tandis que ſur la Lyre
De l'Amour qui les inſpire
Ils cadencent les transports;
Moins ſublime, auſſi fidelle
Ma Muſe ne poura-t-elle
Partager leurs doux accords?

Novice ſur le Parnaſſe,
De ſa bégaiante voix
Elle a conſacré l'audace
Au plus éclairé des Rois,
Pareille à l'oiſeau volage
Qui preſſentant ſon ramage
De ſon nid briſe les fers;
Et plein d'une ardeur nouvelle,
Sous les yeux de Philomele,
Oſe eſſaier des concerts.

Ovide chez les Sarmates
Plaignoit ſon ſort rigoureux;
Loin de mes triſtes Penates
Je chante & je vis heureux;
Il quittoit Auguſte & Rome,
Je pardonne à ce grand Homme
Son courage peu viril;
S'il eût trouvé mon AVGVSTE,
Un Roi libéral & juſte,
Il eût béni ſon exil.

Que ne puis-je de ſes ailes
Empruntant le noble eſſor,
Dans mes chanſons immortelles
Célébrer le ſiécle d'or?
De ſa couleur véritable
Je peindrois ce que la Fable
Crayonna pour nos regrêts;
Grand Roi, cet âge qu'on vante
Etoit l'annonce brillante
Des beaux jours que tu promêts.

Près d'achever ſa carrière
Le Phénix leve les yeux
Vers la féconde lumiere
De l'Aſtre qui brille aux cieux,
Du Dieu la chaleur puiſſante
Réchauffe ſon Ombre errante

Sur les bords affreux du Stix;
Au ſein même de la flamme
Il reprend ſa première âme:
Je vois un nouveau Phénix

O nation fortunée,
Eſpére un pareil bienfait;
De ta douce deſtinée;
Voilà l'emblême parfait;
L'Aſtre vivant qui t'éclaire
Connoît trop bien ta miſere
Pour ne la ſoulager pas;
Tu renaîtras de ta cendre,
Si tu daignes condeſcendre
Aux conſeils de STANISLAS.

N'en as tu pas vû le gage
Dans des ſignes peu trompeurs,
Quand Phébus de ſon image
*Teignit d'humides vapeurs? **
L'Iris ce ſacré ſimbole
Du calme qui nous conſole
Après l'orage & l'effroi,
Eſt garant de l'alliance
Que ſigna la Bienveillance
Entre le Peuple & ſon Roi.

„Aux confins de cette plage
On a ſurpris les Beaux Arts
Tenant leur Aréopage
Fixant ſur nous leurs regards;
Ils diſoient: „de la Science
„La délicate ſémence
„Ici, malgré les hyvers,
„A nul péril ne s'expoſe;
„Lorsqu'un Prince les arroſe,
„Nos Lauriers ſont toujours verds.

„Dans

* Dans le tems qu'on étoit occupé à l'election de STANISLAS AUGUSTE, on apperçut un bel Arc-en Ciel au deſſus du champ electoral.

„Dans ce climat, la Nature
„Belle & riche de ſon fond
„N' attend plus que la culture
„Pour ouvrir ſon ſein fécond
„Chez ce Prélat reſpectable *
„Aux Talens ſi favorable
„Dreſſons un ſacré Vallon,
„Que le Roi ſoit nôtre arbître,
„STANISLAS fier de ce titre
„Nous ſervira d' Apollon.

Si j' en crois la Renommée,
La Terre adoptant ce Roi,
De ſa Majeſté charmée
Voudroit vivre ſous ſa loi:
Tel qu' un Chêne dont l' ombrage
Domine avec avantage
Dans une vaſte forêſt;
De STANISLAS la Perſonne,
Fût-il même ſans Couronne,
Fait connoître ce qu' il eſt

Heureux Prince, dont l' Hiſtoire
Ecrira tous les momens,
Ton nom prend avec la Gloire
Les plus forts engagemens,
Sur la démarche première
Que tu fais dans la carrière
L' Europe a les yeux ouverts;
On va juger ta ſageſſe,
Ce nouveau Règne intéreſſe
La Pologne & l' univers.

III. Za

* Monſeigneur Joſeph André Zaluski Evêque de Kiovie, homme rempli de vertus & de connoiſſances, & dont l' enjouement fait aimer l' érudition.

III.

Za co ſmutne maſz czoło Polaku y oczy
We łzach topiſz? a ſrogi żal twe ſerce tłoczy?
Długoż ma złotą wolność pokrywać żałoba?
Długoż w poſępney Twarzy ma ſię kryć ozdoba?
Skruſz trwogę, zedrzyi maſzkę ſmutku, zbierz w pogodę
Czoło, a w piękny ſzarłat Twą przybierz iagodę.
Czas Marſow, czas ſrogiego dziś boiu uſtaie,
Wiek Saturnow, wiek złoty zwiedza naſze Kraie.
Dziś Tryumf y nagrodę Bohatyrſkie dzieła
Maią, dziś w PONIATOWSKIM cnota płacę wzięła.
Dziś nowo-obránego Króla więczy złota
Korona, w którym ſława uwieńczona cnota:
Ná czele dziwna mądrość, w obliczu powaga,
W Sercu miłość Oyczyzny, a w pierſiach odwaga.
Łaſkawa ſprawiedliwość, rzetelność bez ſkazy,
Przyiemność bez obłudy, niepamięć urazy,
Wſpaniałość wielkiey duſzy, dowcipu ozdoby,
Są to zalety Jego wrodzone oſoby:
Każda, uyrzyſz, zaſiada tuż z Królem na Tronie,
Każdey w Królu z oſobna uwieńczone ſkronie.
W tym Apolo rzekł: kto ma rządzić Polakami?
Czy Krol? czy cnota? czyli Krol razem z cnotami?
Tę trudność rozwiązały Helikońſkie Córy
Wierſz nócąc, ktory Polſkie odbijały góry:
Ze Król razem na Tronie zaſiada z cnotami,
Cnoty nad Nim panować będą, Król nad nami.

CXXII.

Nobiliſſimi atque ornatiſſimi iuvenes, qui maximo huius Regni bono, in Vrbe Varſavienſi, a graviſſimis doctiſſimisque Societatis Ieſu Presbyteris, ad politiorem omnem humanitatem, & virtutem erudiuntur, *inauguratum Regem*, his carminibus proſecuti ſunt:

KRO-

KROLOWI

POZĄDANEMU.

Apolo wieſzczku powiedz, ieśli kędy
Ta; ktora niegdyś, brzmiąc po świecie wſzędy,
Głoſiła PIASTA ſtarowieczne imie,
W zapadłey Sława iaſkini nie drzymie?

Obudź; z gnuśnego mow, niech łoża wſtanie,
A to zbyt długie przerwawſzy ſwe ſpanie,
Bielſzą od śniegu niech ſwą dłonią oczy
Z tego ſnu otrze, ktory one mroczy.

Na lotnym wozie, ktorym w byſtrym pędzie
Słońce świat zwiedza, powiedz niechay ſiędzie,
Wſtęp na tron PIASTA głoſząc niech obnoſi
Od iedney świata aż do drugiey oſi.

Jakich przymiotow niech światu powiada,
Wybrany z Ziomkow tron Polſki oſiada,
Ktorego ſame berła godne cnoty,
Wynioſły z pośrzod wielu na tron złoty.

Niech wie świat, że ſię tu Krole nie rodzą,
Przymiotow trzeba na tron co ſię zgodzą;
Na ſwym go cnoty chować maią łonie,
Kto ma iak AUGUST naſz uſieść na Tronie.

Drugim kolebka purpurą wyſłana,
Polakom iedna cnota daie Pana,
Lekkich przymiotow nieſtała Bogini
Indziey Monarchow a nie u nas czyni.

Dość Starożytny CIOŁEK ku twey ſławie
Z JAGIEŁŁEM ozdob złączył STANISŁAWIE,
Do tronu iednak nie toć drogę ście le;
Maſz, coć uſtały cnot Krolewſkich wiele.

Słabo

Słabo ſię Trony Monarchow wſpieraią,
Gdy na krwi tylko ſamey polegaią:
Wieczna ſromota, wieczną tam Państw ſzkoda,
Gdzie Krolow daie bez oczu przygoda.

U nas, AUGUSCIE, twe na Tron wybranie
Zgodne Oyczyzny poprzedziło zdanie;
Ta niż Koronę włożyła na Ciebie,
Wprzod Cię być godnym ſądziła u ſiebie.

Rozumu wielkość, miłość świętey Wiary,
Zważyła dzielność ſilne Państw filary;
Umyſł przyiemnym ułożony ładem
Tuſzył iey, Krolow że będzieſz przykładem.

Niechby ſię wieki z Krolow przechwalały,
Rownego Tobie, iak naſze, nie miały.
Ktore ozdoby rożne rożnych były,
W Tobie AUGUSCIE wſzyſtkie ſię ſkupiły.

Stań pioro: PIASTA obudzona Sława
Swiatu iuż głoſi wielkość STANISŁAWA,
Odgłos na wſzyſtkie rozlega ſię ſtrony:
Godzien nie iedney STANISŁAW Korony.

REGI AD SCEPTRA NATO.

Quae nova ſeſe affert Patriae laetantis imago,
Attonitasque ferit mentes? an priſca ſuperbae
Romulidûm, Lechis, redeunt ſpectacula pompae?
Tecta fremunt populis: poſitis ex ordine taedis,
Vrbs accenſa micat: reſonant lituique tubaeque:
Fulmineosque Iouis tonitrus imitantia longe
Dant raucum tormenta ſonum: centumque coruſcis
Faucibus emiſſae, volitant per inania flammae.

Hic ille eſt populus; quem nuper Sarmatis ora
AVGVSTVM lectura ſuum, late omnibus egit
Excitum terris, veteriſque ad iugera Volae

Diffu-

Diffuſum, Iſulei vidit prope fluminis undas.
Sceptra modo, Rex magne, Tibi, patriique figuram
Orbis, purpureumque iubar, gemmisque nitentem
Fert eadem Cydarim, Tuaque ultro ad limina ſiſtit.

Aſpicis haec decora, haec priſcorum inſignia Regum,
Affuſasque throno gentes, oſtroque ſuperbos
Regnatorum habitus. Non haec Tibi cognita primum,
Nec ſceptro inſuetam feriunt ſpectacula mentem.
Iam pridem a puero, quae ſint Tua fata, quid in Te,
Et Deus, & felix orbi natura pararit,
Monſtraſti Heroum ſoboles; cum magna Parentis
Pone legens magni veſtigia, paſſibus aequis,
In primo vitae ſponderes limine Regem,
Aetate, aſt non mente puer. Iam pectore parvo
Regales volviſti animos, gravibusque latebat
Praeſcia venturi imperii ſub moribus aetas,
Ingentisque olim ſurgentia ſemina famae.
Qualis, in aërea nuper licet edita rupe,
Nubivagae proles Aquilae, ſummumque habitura
Imperium in volucres, quamvis implumis, & alto
Nido creſcit adhuc, in ſpem prognata Parentis,
Iam tamen ad regnum nata eſt, iam lumina torquet
Apta pati Phoebum, & quamquam ſit viribus impar,
Imbriſonas animo nubes & ſidera tranat,
Forſitan ipſo olim maior genitore futura:

Talis eras iuvenis; ſed Te iuvenemque virumque
Hac ſuperi duxere via, atque hoc ordine rerum,
Carior ut ſemper populo, quot tempora vitae,
Tot certos paſſus, ſolium numeraris ad altum.
Quippe, ubi firma aetas, & rebus prona gerendis
Advenit, fortesque humeros ſubmittere lapſae
Iam licuit Patriae, & ſummos tolerare labores,
Quis melior Te civis erat, quis promptior ore,
Infeſtos ſedare animos, motosque, propinquum
In Regni exitium, eloquio cohibere furores?
Vidimus, atque utinam nunquam vidiſſe liceret!
Quam ſaepe ambitio demens, & dira cupido
Regnandi, & nullo conſtricta licentia fraeno,
Diſcordes quateret populos. Iam bella necesque

Ferve-

Fervebant: ſtabat minitans in limine Mavors,
Tincturus rigidum civili ſanguine ferrum;
Ni, ſaevos inter ſtrepitus, Regnique tumultus,
Marte graves animas, foedam & ſpirantia caedem
Pectora mulſiſſes dictis, placidoque volubilis amne
Flectaret ultrices Tua, Rex, facundia mentes.

Haec eadem, Tibi, vis divinae & copia linguae
Semper erat; ſeu verba dares, miranta Senatu,
Vota ferens populi; ſeu Te privata tenerent
Limina, miſcentem vario ſermone pudicos
Et ſine felle ſales. At non Tibi ſola potentis
Eloquii virtus, populi quae duceret aures
Cordaque quo velles: intus potiora nitebant
Munera naturae eloquio. Mens ardua ſemper,
Ingeniique acies, rerum cognoſcere cauſas
Difficiles, dubiosque ſagax diſſolvere nodos.
His, animi candor, niveique in pectore mores,
Et fuci pietas expers, & neſcia faſtus
Corda, nec abiectas unquam temuentia cives
Accaſſere opibus; quales concedere geſtit
Alma parens natura, quibus Regnator Olympi
Fraenandum imperio quondam promiſerat orbem.

Atque eadem, ſceptri longe praeſaga futuri,
Corpore in egregio, formam natura paravit
Regnatore animo dignam. Stat pulcher, in ore,
Maieſtatis honos: ſtat non quaeſita venuſtas,
Simplicitate placens: & amorem in corda tuentum,
Terroremque ferunt, ac pulchro ſe ordine miſcent.
Haud alios credo priſcis heroibus olim
Cernere erat vultus; cum nondum terror & arma,
Vel ſors naſcendi, vel ſortis caeca voluntas,
Ius daret ad ſolium; pulchro ſed in ore renidens
Virtus, arbitrio vultus, & iudice forma,
Et ſceptra & trabeas Regnique ferebat habenas.
His capti pridem, tacitis Tua ſenſibus omnes
Imperia optarunt populi, dignumque putabant,
Quem mens, quem vultus, quem, priſca ab origine Regni,
Clara Domus titulis, ad ſceptrum iure vocarent.

Nec

Nec Tua, Sarmaticas tantum diffuſa per oras,
Fama fuit, complens patrias rumoribus auras,
Ipſe orbis ſed limes erat. Te Gottica tellus,
Belligerumque genus Pruſſi, Cimbrique propinqui
Teutonibus, Ruſſusque potens, & dives Iberus,
Diviſi & toto ſonuerunt orbe Britanni.
His Latium, Gallosque addam, lateque Gelonum
Regnantem, mundique Tagum poſtrema tuentem.
Pars animi dotes, pars dotes corporis, in Te,
Laudarunt; aſt una fuit vox omnibus: unum
Te eſſe parem, qui fronte feras diadema Polonum.
Iamque dies optata nitet, qua, quidquid amicae
Non falſo, de Te, cecinerunt omine Parcae,
Quae virtus meruit, totus poſcebat & Orbis,
Rex AVGVSTE, tenes. Aſt non Tibi meta corona eſt,
Purpureumque iubar, ſceptrique accepta poteſtas:
Supra vulgus eris Regum, felicia quando
Te fata & MAGNVM & PATRIAE voluere
PARENTEM.

REGIS,

Felicibus auſpiciis Poloniae dati, ſymbolum:

IRIS. *

Epigraphe:

ADFERT CVM LVCE QVIETEM.

POETA AD POLONIAM.

Cernis, ut in caelo ſinuoſus flectitur arcus,
Aſtraque multifido tincta colore micant!
Finis adeſt pluviae, ceſſant ſpirare madentes
Imbribus aſſiduis, in tua damna, Noti.
Purior aura ſubit, triſtes abiere procellae,
Phoebus & oblitos reſpicit altus agros.

O For-

* Iris apparuit in Horizonte Varſavienſi, eadem ferme hora, qua STANISLAVS AVGVSTVS, Rex Poloniarum renunciatus eſt.

O Fortunatam, cui proſpera fata ſerenus,
Omine non vano, nunciat ipſe Polus!
Pone modum lachrymis, & amicum ſidus adora:
Rege ſub hoc, certa eſt LVX, tibi, certa QVIES.

AU ROI CITOYEN.

Lorsque le Ciel veut des victimes;
Docile à ſes commandemens
La Terre entr' ouvrant mille abîmes
Chancèle ſur ſes fondemens:
Rien ne peut de l' affreux ravage
Garantir ce fatal rivage;
Fuïons, précipitons nos pas;
Plus la ſecouſſe fut terrible,
Plus de l' ébranlement horrible
S' étendront au loin les dégats.

Telle eſt la miſère profonde
Où les Rois plongent nôtre ſort;
Vivans, ils gouvernent le monde,
Ils l' ébranlent après leur mort:
Auguſte, en mourant laiſſe un Trône: *
Pour le ravir, Triſte Bellône,
Je vois rallumer les flambeaux;
Par ces diſcordes inteſtines.
Nous prépares tu des ruines?
Vas tu nous creuſer des tombeaux?

La Patrie à tes voeux s' oppoſe;
Nuit & jour on entend gémir
Son Ombre — — helas! elle repoſe
Sur la cendre de Caſimir; **

Long-

* *Auguſte III.* mort le 5 Octobre 1763. au même jour & presqu' à la même heure, qu' il avoit été élu Roi de Pologne trente années auparavant.

** *Caſimir III.* ſurnommé le Grand. Depuis *Caſimir* la Pologne a eû de grands Rois; mais aucun avant lui n'avoit entrepris de réformer ſes ſujets; Il aima le peuple & les lettres; S' il avoit parû deux ou trois ſiécles plus tard, il eût égalé les plus célébres Potentats de l' Europe.

Long-tems ſa tendreſſe plaintive
Tourna, ſtérilement active,
Dans un cercle de projets vains;
Quel zéle puiſſant la réveille!
Elle parle; prêtons l'oreille;
Ses Oracles ſont nos deſtins.

„Enfin de l'oubli dégagée,
„Je puis, vous dictant mes leçons,
„De ma voix ſainte & négligée
„Faire entendre les libres ſons;
„Depuis vingt luſtres, mes bleſſures
„Sont l'ouvrage de vos murmures,
„De vos complots, de vos aigreurs;
„Je dois me vanger, mais en Mére;
„Dans un Roi recevés un Pére;
„Quel titre pour calmer vos cœurs!

„Par une inquiétude amére,
„Et dans un politique ennui,
„L'homme égaré hors de ſa ſphére
„Cherche le bonheur chés autrui;
„Quand l'aveugle ſort l'a fait naître
„Eſclave des loix d'un ſeul Maître,
„Il s'agite, en rongeant ſes fers,
„Du joug d'un Roi qu'on le délivre,
„La Liberté dont il s'enyvre
„Le rend malheureux ou pervers.

„Où trouver ce ſage équilibre,
„Ce milieu, cet accord prudent,
„Qui laiſſe un Peuple toujours libre
„Sans ceſſer d'être dépendant?
„Entre la gêne & la licence
„Comment arrêter la balance
„Qui peſe & régle tous les droits?
„Mortels, adoptés mon ſyſtême;
„J'ai dans mes mains le Diadême;
„Et je le prête au front des Rois.

T 2 „Mais

„Mais à la Liberté Romaine
„Pour quoi joindre la Roïauté?
„C'eſt qu'ici ſeule ſouveraine
„La Loi couvre la Majeſté;
„De cette loi ſouvent muette
„Le Senat habile interprête,
„Réclame ſon pouvoir ſacré,
„Ses appuis ſont dans la Nobleſſe,
„Mais toujours ſuperbe Maitreſſe
„La Loi nous gouverne à ſon gré.

„C'eſt ainſi que dans l'Empirée,
„On nous peint, parmi les éclairs,
„De cent Dieux la troupe inſpirée
„Arrangeant les ſuccès divers;
„Leur volonté n'eſt jamais ſtable;
„Mais ſi le Deſtin redoutable
„Prononce un ſeul de ſes Décrêts;
„Tout plie; & Jupiter lui-même
„Soumet ſa dignité ſuprême
„Aux irrévocables arrêts.

„Vous, qui nous traités de Barbares,
„D'ou vient que vos ſourdes horreurs,
„Vos meurtres, chés nous ſont ſi rares
„Malgré la haine & ſes fureurs?
„Imités cette vertu douce,
„Qui dans nos froides mains émouſſe
„Les poignards que vous éguiſés;
„Ou ceſſés d'accabler d'outrages
„Des peuples plus droits, moins ſauvages
„Que les peuples civiliſés.

„Que Bellône ailleurs avilie
„Par un héroiſme brutal,
„Des nations force la lie
„A prodiguer ſon ſang vénal;
„Nos camps offrent dans leur enceinte
„Des cœurs belliqueux ſans contrainte,

„Des

„Des Lyons d'eux même agguéris;
„La valeur intrépide & tendre,
„Et les phalanges d'Alexandre
„Sous le faſte de Sybaris.

„Mon Peuple aux cris de la Victoire
„Réunis les chants de l'Amour;
„Sur le Théatre de la Gloire
„Tu vas figurer à ton tour;
„Du Soleil dont l'Or ſe découvre
„L'aſpect ferme ta nuit, & r'ouvre
„Le cours de tes proſpérités;
„Puiſſe la folle indépendance
„Ne point détourner l'influence
„De ſes ſalutaires clartés!

„Ah! de ce dernier de tes Maîtres
„Que les Deſtins ſont triomphans!
„Il a règné dans ſes Ancêtres
„Il peut règner dans ſes Enfans:
„Aux dons exquis, à cette flamme
„Que le Ciel verſa dans ſon âme
„Une Mère ajouta ſes loix; *
„Dans ſon Père il eût un modelle;
„Fils docile, émule fidelle
„Il dût monter au rang des Rois.

„Son Père! — — connoiſtu la ſource
„D'ou ſont émanés tes vrais biens?
„Eugéne dirigea la courſe
„Du Grand homme dont tu les tiens;

* STANISLAS AUGUSTE a eû pour Mére une Princeſſe *Czartoryſka* de la race des Jagellons propre ſœur du Prince Chancelier de Lithuanie & du Prince Palatin de Ruſſie. Son Père étoit le Comte de *Poniatowſki* ſi célébre par ſes expeditions militaires, & par ſes negociacions dans les différentes Cours de l'Europe, & particulierement à la Porte. Il fut l'ami intime de *Charles XII.* Roi de Svede, ſon Compagnon d'armes, & le ſauveur de ſes jours à la malheureuſe journèe de Pultava.

„Ce Prince cher à ta mémoire
„Qui ſervit l'Autriche & la Gloire
„SOBIESKI lui predit ſon rang; *
„La Suede admira ſon courage,
„Le Croiſſant de lui prit ombrage,
„On Couronne aujourd'hui ſon ſang.

„L'art de voïager ſi frivole
„Quand la vanité nous conduit,
„Pour ton Roi devint une Ecole
„Dont il te conſacre le fruit;
„Minerve accompagnant ſes traces
„Du François lui cueillit les graces
„L'aiſance & la préciſion;
„Les traits ſaillans de l'Auſonie,
„Et la profondeur de génie
„Qui caractériſe Albion.

„Sur l'équité je veux qu'il fonde
„Ce qu'il eſpere de ſplendeur
„Que ſimple économe il réponde
„De l'uſage de ſa grandeur;
„Qu'encheriſſant ſur ſa fortune,
„Aux Champs de Mars, dans la Tribune
„Orateur, Miniſtre, Heros,
„De la paix il vole aux conquêtes
„Excite & calme les tempêtes
„Appaiſe & ſoulève les flots.

En

* *Jean Sobieſki* dans les dernières années de ſa vie aimoit à ſe faire raconter les exploits des Impériaux contre les Turcs. Un jour le jeune Comte de *Poniatowſki*, qui ſervoit alors en Autriche ſous le Prince *Eugène* lui dépeignit d'une manière ſi vive, ſi ſimple, & ſi intéreſſante une victoire, où il avoit eû part, que le Roi *Jean* ſaiſi d'admiration, *voilà*, s'écria-t-il, en préſence d'une Cour nombreuſe, *voilà comment ce jeune Polonois fait chés les Etrangers l'honneur & la gloire de nôtre nation;* en ſuite ſe tournant vers *Poniatowſki: Monſieur le Comte, ſi Dieu me prête des jours, je verrai croître vôtre mérite; & je veux être le premier à le récompenſer & à vous avancer.* Eſt ce que les Grands Hommes ſe preſſentent & ſe devinent au premier coup d'oeil?

En diſant ces môts, la Déeſſe
(Car la Patrie a ſes autels)
D' un air reſpectueux s' empreſſe
Vers le plus juſte des mortels;
„Pour laver, dit-elle, l' inſulte
„Dont on a trop flétri mon culte,
„Je m' adreſſe à Toi, STANISLAS
„Au fond de ton cœur adorée,
„Mon Fils, la Patrie éplorée
„Te tendroit-elle en vain les bras?

„Formé pour des projets ſublimes,
„Objet de mes ſoins bienfaiſans,
„Le plus pur lait de mes maximes
„A nouri la fleur de tes ans;
„Je Te réſervois cette aurore
„Dont le jour ſe flatte d' éclore
„Par ton génie & tes travaux,
„Mars, Themis, l' Ordre, la Science
„Aux vifs raions de ta préſence
„Verront s' éclaircir leur cahos.

„Déja pleins d' une humide joie
„Sont partis du milieu des airs
„Les Zéphirs que Mercure envoïe
*„Pour reconnoitre les deux mers; **
„Cérés féconde les campagnes;
„Du ſommet altier des montagnes
„Les Pins déſcendus dans nos ports,
„Par les nœuds d' un commerce utile
„Embraſſant ce Climat fertile
„En multiplieront les tréſors.

„Pallas de ſa puiſſante Egide
„Soutenant tes nobles deſſeins,
„De la jeuneſſe peu timide,
„Raſſemble les nombreux eſſains;

* La Mer noire & la Baltique. Mercure paſſoit chés les Anciens pour le Dieu du Commerce.

„Sous ſes yeux, de feintes allarmes,
„Le bruit des éclatantes armes,
„L'ardeur & les cris des Courſiers,
„Tout s'anime, tout nous retrace
„Ces jeux qui furent dans la Thrace
„L'apprentiſſage des Guerriers.

„Mais quelle ſombre inquiétude
„Importune mon ſouvenir?
„Dans quelle affreuſe incertitude
„Me jette un brillant avenir?
„Ces talens qui nous annobliſſent
„Combien defois ils affoibliſſent
„Des Mœurs le règne précieux!
„De quelqu' éclat qu'elle ſe vante
„Plus embellie & plus ſavante
„Rome honora bien moins ſes Dieux.

„Un monſtre revêtu de charmes,
„Le plus doux ennemi du cœur,
„Qui combat en rendant les armes,
„Qui cède en demeurant vainqueur;
„Le Plaiſir, cet enfant perfide,
„Près du Trône ou l'Orgueil le guide
„Seme des fleurs, forge des traits;
„Tu crains que ſa torche funeſte
„Qui troubla le ſéjour céleſte
„Ne vienne embraſer ton Palais?

„Sur les bornes de ton Empire,
„Ce ſiècle a vû deux Rois rivaux;
„Ces aſtres pourront te conduire
„Dans la carrière des Heros;
„CHARLES bouillant, jeune, inflexible, *
„Ne mêla point, Guerrier ſenſible,
„Le Mirthe au Laurier des Céſars,
„PIERRE éclairé par l'induſtrie,
„Dieu de ſa barbare Patrie
„L'anima du feu des Beaux Arts.

„O!

* Charles XII, Pierre Alexiowitz.

„O! Gloire pure & déſirable!
„Qu'il a de droits ſur nôtre encens
„Celui dont l'ame invulnérable
„Sert ſon païs, dompte ſes ſens;
„Qui PIERRE & CHARLES tout enſemble
„Au ſavoir érigeant un Temple.
„Foulant les plaiſirs abbatus,
„Roi Citoyen & Maître ſage,
„Appelle, cultive, encourage
„Moins les Talens, que les Vertus!

„Vois-tu ce Pilote, qui veille,
„Tandis que mollement porté
„Enfant & vieillard, tout ſommeille
„Au ſein de la ſécurité;
„Mon Fils, des malheureux ſans nombre
„Iront bientôt s'aſſeoir à l'ombre
„Du Sceptre en ton pouvoir remis;
„Ils ſont malheureux, & tu Regnes!
„Se pourra-t-il que tu dédaignes,
„Ceux que les Dieux ont pour amis?

„Si jamais la haine farouche
„Oſoit te préſenter ſon fiel;
„Ou que d'un vil flatteur la bouche
„Vint t'empoiſonner de ſon miel;
„Si la dureté, le caprice,
„Si la molleſſe ou l'avarice
„S'attachoient un jour ſur tes pas! . . .
„Vain effroi! durant tant d'années
„N'ai-je point pour ſes deſtinées
„Formé le cœur de STANISLAS?

Ainſi s'exprimoit la Patrie:
Et de STANISLAS ſur l'airain
On gravoit l'image chérie
Qu'elle deſſina de ſa main;
L'Amour exerçant la peinture,
Sous une touche mâle & ſûre

Le reproduiſoit à nos yeux,
En Groupe autour de ſa ſtatuë
Des Arts la foule répanduë
Briguoit un azyle en ces lieux.

Qu' il vive! & que le Sort enchâine
Nôtre bonheur à ſes plaiſirs;
Que l' Honneur le guide & l' entraine
Sans épuiſer tous ſes déſirs;
Qu' importe un Prince magnifique
Créateur, ſçavant, politique,
S' il méconnoît l' art de charmer?
On le reſpecte; il faut qu'on l'aime;
Ce ſera de ſon pouvoir même
Que nous apprendrons à l' aimer.

CXXIII.

Elegantioris litteraturae decus, *Michael Korycius*, Rector Collegii Societatis Ieſu Varſavienſis, urbium Poloniae nunc principem, VARSAVIAM, INTER FESTIVOS IGNES, AD COMMVNEM OMNIVM SIGNIFICANDAM LAETITIAM EXCITATOS, SERENISSIMO STANISLAO AVGVSTO, POLONIARVM REGI CORONATO, APPLAVDENTEM, hiſce elegidiis celebravit:

I.

Anne ego Vlyſſeis lucentia Pergama taedis
Vidi, cum caeca eſt nox imitata diem?
Trojugenum ſedes, noſtra quam diſtat ab Vrbe,
Tam longe diſpar ignis uterque fuit.
Ille fuit populator opum, domuumque ruina,
Rerum peſtis edax; ignis hic innocuus.

Illum

Illum graſſari juſſit furor imperioſus:
Fecerat accendi hunc ingenioſus amor.

Toż ſamo.

Czym widział iaſną Troię od Greckich płomieniow,
Gdy świeciła Warſzawa pośrzod nocnych cieniow?
Jak dalekie ſiedliſko Troi od Warſzawy,
Tak tamten y ten ogień był rożney poſtawy.
Tamten po wſzyſtkich domach wſzyſtko trawiąc chodził;
A ten ogień niewinny, nikomu nie ſzkodził.
Tamten ogień wzniecila Jędza zapalczywa,
A Ten Miłość dowcipna y Panu życzliwa.

II.

Nox erat, & feſtis lucebant omnia flammis,
Ac tota Urbs unam viſa referre facem.
Auguſtae micuere aedes, micuere Deorum
Templa, & caſſa fuit lumine nulla domus.
Solem credideris retro flexiſſe jugales,
Et raptam noctu reſtituiſſe diem.
Quam placidi laetique dies hoc Rege futuri,
Si tantum lucis tetrica nox habuit!

Toż ſamo.

Noc była, a tu ogień tryumfalny niecą,
Y ſtaie ſię Warſzawą jedną wielką świecą,
Zaiaśniały pałace y Swięte Kościoły,
Ozłocił wſzyſtkie domy ognia blaſk weſoły.
Rozumiałbyś, że ſłońce cofnąwſzy karocy,
Przywraca dzień zabrany podczas ciemney nocy.
Sądź, iak iaſne nam będą dni za Tego PANA,
Kiedy w tak wielkie światło była noc przybrana.

III.

AVGVSTI cauſa, quae non miracula patret,
Si noctem in lucem vertere poſſit, amor?

Toż ſamo.

Jakiego dla AUGUSTA nie uczyni cudu,
Kiedy noc w dzień zamienić może miłość ludu?

IV. *Vi-*

IV.

Viderat Iſtulcis noctu Neptunus ab undis,
Ordine diſpoſitas emicuiſſe faces.
Tum ratus, e ſubitis creviſſe incendia flammis,
Attonito tales fudit ab ore ſonos:
Vrbs ardet, Superi! ſi non ſuccurrimus Vrbi,
Occidet, & magnus tota futura cinis.
Dixerat; & trifido concuſſit flumina ſceptro.
Mox excita ruunt caerula turba Dii.
Pars haurire amnem ſitulasque explere capaces,
Pars certant magnis ferre fluenta cadis.
Fervet opus. Nereique cohors, Nymphaeque laborant,
Immemor imperii ſudat & ipſa Thetis.
Iuppiter interea, ſolio ſpeculatus ab alto,
Ad pelagi numen talia dicta dedit:
In caſſum labor omnis abit. Reſtingvere veſtra,
Quas amor accendit, non valet unda faces.

Toż ſamo.

Spoyrzał Neptun tey nocy z pod Wiſlaney fali,
A oto gęſty ogień w Warſzawie ſię pali,
J rozumieiąc, że to powodź Wulkanowa
Burzy Miaſto, na ſwoich zawołał w te ſłowa:
Gore Miaſto, Bogowie! ieśli nie broniemy,
Sam tylko w Mieście popioł, nie Miaſto uyrzemy.
To wyrzekł y troyzębem wzruſzył Wiſłę całą,
A wnet ſię wiele wodnych Bożkow wyſypało:
Jedni czerpaią, drudzy kadzie nalewaią,
Inni kadziami wodę na gorę dźwigaią.
Ni Tryton, ni ſię Nimfa nie zbrania roboty,
Tetys nawet, choć Pani wod, ſwe leie poty.
W tym Jowiſz gdy z gornego Tronu rzucił okiem,
Z takim ſię do Neptuna dał ſłyſzeć wyrokiem:
Nadaremnie pracuią Trytonowie waſi,
Co miłość zapaliła, woda nie ugaſi.

V.

Omnia ſplendor habet. Collucet Palladis aula,
Vrbs rutilat, radiat curia, templa micant.
Cuncta colunt Regem: Sapientem Palladis aula,
Vrbs Patrem, Iuſtum curia, templa Pium.

Tož ſamo.

Wſzędzie weſołe ognie: iaśnieie Warſzawa,
Miaſto, Szkoły, Kościoły, Ratuſz blaſk wydawa.
Miaſto Krola ſwym mieni Oycem, mądrym Szkoły,
A Ratuſz ſprawiedliwym, pobożnym Kościoły.

VI.

Siren Inſigne Varſaviae.

Huc animum atque oculos: nova dat ſpectacula Siren,
Eſt inter flammas, quae fuit inter aquas!

Tož ſamo.

Ziawiły ſię widoki nowe: patrz Narodzie,
Syrena iuż ieſt w ogniu, ktora była w wodzie!

VII.

Invadit ſubitus nautarum lumina ſomnus,
Sirenum quoties vox mare pervolitat.
AVGVSTI laudes celebrat dum carmine Siren,
Evigilant omnes, exulat Vrbe ſopor.

Tož ſamo.

Nieſpodziany żeglarzom w oczach ſię ſen rodzi,
Gdy ſię śpiewanie Syren po morzu rozchodzi.
Syrena gdy opiewa twe cnoty, naſz PANIE,
Wſzyſcy czuią, ſen z Miaſta idzie na wygnanie.

VIII.

Ad Sereniſſimum Regem.

Sceptra manum, diadema comas, & purpura totum
Exornat corpus, Rex pretioſe, Tuum.
Quam partem Vates ornem? pars unica reſtat:
Subiicio pedibus me citharamque Tuis.

Tož ſamo.

Berło rękę ozłaca, głowę blaſk Korony,
A zaś cały Purpurą ieſteś ozdobiony.
Coż mam zdobić? zoſtaie to mi, KROLU drogi,
J tę lutnią y ſiebie złożyć pod twe nogi.

CXXIV.

CXXIV.

Idem ille *Korycius*, elegantibus litteris, & politiore omni humanitate abunde inſtructus ornatusque, bonorum ingeniorum, ſtudiorumque ſummo fautori, ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, REVERENDISSIMO DOMINO, ANDREAE MLODZIEIOWSKI, CANCELLARIO GNESNENSI, CANONICO CRACOVIENSI, ARCHIDIACONO PSZCZEVIENSI, ABBATIARVM, HEBDOVIENSIS COADIVTORI, CZERVINSCENSIS ADMINISTRATORI, DIE NATALI SVO, ANNO MDCCLXIV, Varſavienſis Collegii nomine, pietatis debitae officium, ad hunc modum, perſolvit:

I.

Ieſſaeus Salomon gereret dum ſceptra, Parentes
Vno de nato dimicuere duae.
Sic de Te numeroſa cohors concertat honorum:
Hic ſibi Te poſcit; vendicat ille ſibi.
Infula ſacra petit doctam contingere frontem,
Non quit enim poni nobiliore loco.
Interea Regi fidam rectique tenacem
Invitant Regni pulchra ſigilla manum.
Eſſe ſuum fratrem Abbates, Patrumque Senatus
Purpureus ſocium Te cupit eſſe ſuum.
Tu refugis; nullumque Tibi depoſcis honorem,
Vnusquisque tamen Te ſibi poſcit honor.
Quis tandem iudex placida certamina pace
Componet? litem Rex SALOMON dirimet.

Gdy Salomon Kròl mądry rządził Izraelem,
Dwòm Matkom iedno dziecię było ſwarow celem.

Tak

Tak ſię właśnie o Ciebie honory ſprzeczaią:
Jedne do ſiebie ciągną; drugie Cię żądaią.
Mądrą głowę chce pokryć Biſkupia korona,
Bo nie może na lepſzym mieyſcu być złożona.
Do ręki, ktora Tronom wierna, ſtrzeże prawa,
Jedna ze dwuch pieczęci wpraſzaiąc ſię, ſtawa.
Opaci, tudzież Senat purpurą odziany
Uſiłuią, ażebyś był ich Bratem zwany.
Ty unikaſz honorow Mąż cnotney pokory,
A walczą między ſobą o Ciebie honory.
Jakże ta walka żwawa ma być zakończona?
Kto rozſądzi? na Tronie mamy SALOMONA.

II.

Sive Abbas fueris, Regni magnusve Miniſter;
Seu Tibi praecingat ſacra tiara caput;
Quorumcunque dein titulis orneris honorum;
Noſtra ad Te ſemper vox erit: Abba Pater.*

CXXV.

Bohomolecius, vir eruditiſſimus, Polonicaeque non minus, quam Latinae linguae diſertus, idemque rerum domeſticarum peculiariter curioſus, noſtraeque antiquitatis bene peritus, magni Kioviae Antiſtitis, IOSEPHI ZALVSCII MVSAGETAE ſuaſu hortatuque, reconditos in opulenta ipſius Bibliotheca, clariſſimos Poloniae atque Lituaniae auctores, qui patriam hiſtoriam vernaculo ſermone tradiderunt, pulchris nitidisque characteribus denuo excudendos curat. Sumtus ingentes ſuggerit, virilis animi, doctique ingenii mulier, ANNA Princeps

* Abba vox eſt Syriaca, qua infantes prae teneritudine ſuos Parentes alloquuntur.

ceps IABLONOWSCIA, vidua Palatina Braclavienſis, fulgentiſſima SAPIEHARVM ſtirpe procreata. Productus iam in publicum, MARTINVS BIELSCIVS, Polonicarum rerum nobilis ſane & verax ſcriptor. Sapientiſſimo doctiſſimoque Regum, STANISLAO AVGVSTO, cum ſolemni dedicatione oblatus. Suaviterque ac blanditer a Sua Maieſtate acceptus.

CXXVI.

Rex, in auguſtiſſimo Regni Ordinum conſeſſu, non per interpretem, ut Reges ſolent, ſed ipſemet, priſcae ſeveritatis ſapientiaeque virum, *Andream Zamoiscium*, collaudatis eminentiſſimis illius in Rempublicam meritis, ſupremum Poloniae Cancellarium renunciavit. Sigillum minus dedit, *Andreae Mlodzieiowscio*, cuius divinam animi indolem, ingeniique vim, arduorum omnium laborum, difficiliumque negotiorum capacem, Reſpublica interregni tempore luculenter experta eſt. Procancellarium Lituaniae fecit, *Antonium Przezdziecium*, patriarum legum ac conſuetudinum ſumme gnarum, inque Reipublicae imperiis magiſtratibusque maxime verſatum. Vilnenſem Palatinatum, Lituaniae totius nobiliſſimum, *Michaeli Oginscio*, omnibus artibus ſtudiorum liberalium probe exculto, & ob eximiam

miam corporis ſpeciem, praeclarumque animum, avitaeque gloriae ac libertatis ſtudium, cunctis grato acceptoque attribuit. Palatini Inovladiſlavienſis dignitatem, *Andreae Moſzczenscio*, politiſſimo & prudentiſſimo viro, contulit. Braclaviae Palatinum declaravit, Principem *Stanislaum Lubomirium*, magni & liberalis animi fama celebratiſſimum, univerſaeque illic Nobilitati egregie carum.

CXXVII.

Summae nobilitatis, innoxiaeque popularitatis vir, *Adalbertus Opalinius*, Maſoviae Palatinus eſt factus. Magni, apud Lituanos, Theſaurarii honor contigit, foederatae Lituanicae Nobilitatis Mareſchalco, *Michaeli Brzoſtowscio*, ampliſſima pulcherrimaque corporis forma, ſummisque generis, ingeniique, ac virtutis ornamentis conſpicuo. Vigilans & induſtrius Senex, *Antonius Koſſowscius*, multis variisque Reipublicae perfunctus laboribus, Magni in Regno ſaecularis Secretarii locum impetravit. Idem gradus, in Magno Lituaniae Ducatu, merito conceſſus, *Ioachimo Chreptowicio*, doctiſſimo viro, legumque, & rerum omnium domeſticarum perquam gnaro, & dicendi inprimis perito. Magnorum Regni Notariorum munus obtinuere: Princeps *Auguſtus*

Sulkowſcius, ingentibus negotiis par; & *Vladislaus Gurowſcius*, non promptus ingenio tantum, ſed uſu etiam exercitatus; *Hyacinthus*que *Ogrodzkius*, probatiſſimus ac integerrimus vir, Regique carus in paucis, omniumque conſiliorum eius, ſecretorumque maxime particeps.

CXXVIII.

Lituanicam Breſtenſem Caſtellaniam nactus eſt, *Ioannes Horain*, homo ſapiens, & rectus. Viſnenſem in Maſovia ſortitus, ille vetus fidusque Regiae Domus cliens, *Caſimirus Karaś*, incredibili naturae comitate atque facilitate, ſingulari praeterea continentia ac modeſtia, conſiliique virtute, & agendi prudentia, non Regi tantum, ſed principibus quoque viris, & cunctae Nobilitati, populoque, carus atque iucundiſſimus. Supremam Regii, apud Lituanos, Stabuli Praefecturam aſſecutus, *Antonius Tyzenhauz*, ingenii alacritate, legumque peritia, & oris facundia inſignis. Magnorum ibidem Notariorum albo adſcriptus eſt, *Nicolaus Lopacinscius*, germanus Samogitarum Praeſulis frater, patrii iuris privati, atque publici ſcientia, & loquendi elegantia, nulli eius gentis ſecundus.

CXXIX.

Raphael ille *Gurowſcius*, humaniſſimis litteris ſumme excultus, patriarumque legum intelligentiſſimus, valdeque & eloquens, & prudens, & providus, Premetenſis Caſtellani honore decoratus, Regni Senatum ingreditur. *Valerianus* autem *Piwnicius*, cum ingenio & eruditione, & linguae facundia, & rerum omnium civilium ac domeſticarum cognitione, tum etiam officiorum dexteritate, magnitudineque animi, & gravitate, & conſtantia praeſtans, Prutenicarum Terrarum Enſifer creatur. Nobilis Pinſcenſis Praefectura, magno Reipublicae miniſtro, *Antonio Przezdziecio*, Lituaniae Procancellario, tribuitur. Premiſlienſis, optimo, inque Equeſtri Ordine, potenti viro, *Alexandro Borzencio*, confertur. *Nicolaus Piaſkowſcius*, homo clariſſimus, plurimumque de Rege atque Republica meritus, Gubernator Piaſecinenſis conſtituitur.

CXXX.

Provincia Societatis Ieſu Maſovitica, Varſavienſi Rectore, *Michaele Korycio*, elegantiſſimo interprete, ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM DOMINVM, ANDREAM COMITEM ZAMOYSKI, SVPREMVM REGNI CANCEL-

LARIVM NVPER CREATVM, hoc modo, coluit:

I.

Magnorum ſoboles Procerum, Vir magne, ZAMOTSKI,
Viribus eloquii conſilioque potens!
Quis valeat numero adſtrictis expromere verbis,
Gloria quanta Tua eſt, Familiaeque Tuae.
Quacunque aſpicio, ſeges eſt ampliſſima laudum,
Queis aptet citharam nulla Camoena parem.
Vis, ut praeclaros titulos trabeasque retexam?
Hanc ſtirpem ſummus quisque decorat honor.
Praelia Mavortis recinam? celeberrima bellis,
Ex voto geſtis, ſtant monumenta ducum.
Sive vices Patriae recolam variasque procellas,
Horum conſiliis Patria fulta ſtetit:
Seu memorem Lechis ſociatas foedere Muſas,
Haec fuerat Muſis ſemper amica Domus.
Si pietas, ſi pura fides, rectoque cohaerens
Mens, ſunt propitii munera cara Dei;
Si laus iuſtitiae, publicae ſi cura ſalutis,
Eſt in praecipuis connumeranda bonis;
Si populi precibus facilis clementia flecti,
Et data dextra inopi, Nomina magna decet:
Haec Tua ſunt, Proavûm haec ſunt ornamenta Tuorum
Digna Luculleo marmore, digna cedro.
Quid moror, & longo duco mea carmina tractu?
Rem brevibus metris expediiſſe juvat.
*Pallas, Honor *, Virtus, Mavors, Aſtraea, Camoenae,*
*Et Conſus ** gaudent hac reſidere Domo.*
Nec Regnum geminos Reges, geminumque nec aether
Fert ſolem: & Domus haec tot capit una Deos?

II.

Maxime SIGNATOR! quamvis facundia noſtra
Summa foret, factis eſt minor illa Tuis.

Ore

* Antiqui Romani Honorem & Virtutem inter Deos numerabant.

** Conſus conſiliorum Deus putabatur.

Ore Tuo Princeps loquitur, Tu Principis ore *
Laudaris: merito haec gloria digna Tuo.
Non alio decet ore loqui Regem: & Tua virtus
Ore celebrari nobiliore nequit.

CXXXI.

Regis ac Regni Ordinum iuſſu, SOLONI POLONICO, id eſt, *Michaeli* Duci *Czartoryscio*, magno Lituaniae Cancellario, Vilnae, veterum Lituaniae Ducum ſede, publice in foro ſtatua ponetur. Eodemque decreto, poſt ſummum eius diem, ipſi ibidem, in principe Baſilica, e pecunia publica ſepulchri monumentum dedicabitur. Supremo, in maiore Polonia, Tribunali primus praeſidebit, *Chriſtophorus Szembecius*, Gneſnenſis Metropolitanus Primicerius, Plocenſisque Cathedralis Praepoſitus, & Dux Sielunenſis, religionis ac ſanctitatis, iuſtitiaeque & ſapientiae laude celeber. Deſignatus Leopolienſis Metropolitanae Eccleſiae Cuſtos, *Ignatius Kraſicius*, praeclaris ingenii dotibus, animique artibus commendatiſſimus, idem munus, in Polonia minore, adminiſtrabit.

CXXXII.

Sacra Regia Maieſtas, impenſiſſimo Regni Ordinum rogatu, germanos fratres ſuos,

* Sereniſſimus STANISLAVS AVGVSTVS, dum Illuſtriſſimum ZAMOYSCIVM Regni Cancellarium nuper crearet, eius eximias dotes luculentiſſima oratione in Senatu celebravit.

Caſimirum, ſupremum Regii cubiculi in Regno Praefectum, *Andream*que, illum clariſſimum Auſtriacarum copiarum ducem, & *Michaelem*, Gneſnenſis Metropolitanae, Cracovienſisque Cathedralis Eccleſiae Canonicum, ſalva inter Regni cives ac nobiles aequalitate, Principum titulo condecoravit. Priorem horum, magnifica corporis forma, altaque mente praeditum, ingenio, & conſilio, & eloquio maximum, laboribus atque diſcriminibus invictum, & manu fortem, & armis equisque promtum, belli gnarum, ac Reipublicae peritum, civiliorum omnium ſtudiorum, linguarumque uſu praecellentem, aditu facilem, comemque in alloquiis, beneficum inprimis, & benignum, ſplendidumque non minus in vita, quam victu, nobilitatis obſervantiſſimum, conciliandique eius amoris, ac promerendi favoris ſtudioſiſſimum, praedivite Scepuſienſi Praefectura auxit. *Michaelem* autem, facie ſumme decorum ac verecundum, naturaque temperatum, moderatumque, & clementem, egregie ingenuarum artium ſtudiis excultum, ſacrisque doctrinis pulchre inſtructum, patriis diſciplinis ornatiſſimum, rerum omnium exterarum ſcientem, linguarumque apprime callentem, ſermone parcum, ſed concinnum, atque diſtinctum, eundemque & valde ſuavem, & expolitum,

&

& peracutum, omni denique cultu habituque nitidiſſimum atque elegantiſſimum, opimae Cervenenſis Abbatiae perpetuum Adminiſtratorem conſtituit.

CXXXIII.

Regis propinquus, *Ioſephus* Dux *Czartoryſcius*, creatus Lituaniae Dapifer, corporis animique bonis praeſtantiſſimus, S. Romanae Eccleſiae Pontifici Maximo, vicarium CHRISTI locum, atque auctoritatem inter mortales obtinenti, Regiae Maieſtatis nomine, debitam pietatem obſervantiamque teſtabitur. Doctus ille, probusque, & venerandus Praeſul, *Valentinus Węzyk*, Premiſlienſem Epiſcopatum ex inſperato accepit. Chelmenſem conſecutus eſt, *Felix Turſcius*, acerrimi vir ingenii, maximique conſilii. Livoniae infulam habebit *Stephanus Giedroicius*, humanitate atque eruditione cumulatiſſimus.

CXXXIV.

Poloniae HECTOR, Princeps ANDREAS PONIATOVIUS, ob maxima atque pulcherrima facinora ſua, Germaniae Caeſari, ipſiusque coniugi, Hungariae ac Bohemiae Reginae, vehementer carus, & perfamiliaris, iisdem Regis Noſtri *Inaugurationem* nunciabit. Ruſſorum *Au-*

guſtae, huius laetitiae nuncium perferet *Hyacinthus Malachowscius*, Regni ſaecularis Referendarius, & Praefectus Petricovienſis, qui, in *Comitiis Inaugurationis*, Mareſchalci munus ſumma cum laude atque dignitate geſſit. Subdapifer autem Regni, Halicienſiſque Praefectus, *Xaverius Branicius*, bellica virtute illuſtris, ad Regem Boruſſorum, Orator mittitur. Abiit iam, ad Turcarum Imperatorem, Praefectus Regii ſecretioris cubiculi, *Thomas Alexandrowicius*, vir circumſpectiſſimus, idemque Regi ac patriae fidiſſimus.

CXXXV.

Cracovienſis Academiae, vetuſtate famaque, toto cultiore orbe, celeberrimae atque notiſſimae rector, *Adalbertus Biegaceiwicius*, vir doctus & perurbanus, idemque & prudens, & ſapiens, factusque ad dicendum, primoribus comitatus academicis, *Sacram Regiam Maieſtatem* ſalutavit, hiſce verbis:

REX SERENISSIME,

DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

Auſpicatiſſima ad Regium thronum Inauguratio TVA, quae Poloniam, Lituaniam, tot tantasque Provincias, ſuis e ſedibus movit, & in hanc Vrbem evocavit, ut laetiſſimo ſolemnis huius diei adſpectu, publicae expectationi ſatisfaceret, populorum deſideria expleret, vota utriusque Gentis, quanta maxima in terris haberi

haberi poteſt, beatitudine ſatiaret; Cracovienſem quoque Vniverſitatem, ad exhibendum TIBI, Regi & Domino ſuo, fidelitatis homagium, alacrem & libentem e longinquiore quantumvis regione deduxit, atque SACRAE MAIESTATI TVAE ſupplicem praeſentari fecit.

Equidem duo haec ſtudia IAGELLONEAE, ac ideo TVAE, REX SERENISSIME, Vniverſitati principalia ab aevo fuere: DEO fidem, REGIBVSque ſuis debitam fidelitatem ſervare. Primum horum cum Dei gratia tam conſtanter retinuit; ut eam a Sancta Orthodoxa fide vel in minimo deſciviſſe, nulla aetas veraciter notaverit. Alterum tam religioſe, ut calamitoſiſſimo olim tempore, rebusque Polonorum ſupra modum adflictis; lytra graviſſima ferre, moleſtias perpeti, anguſtias ſuſtinere, atque ad extremum, relictis penes Nobilem Vrbis Metropolis Magiſtratum clavibus, aedes ſuas deſerere, ſatiusve ex Vrbe excedere elegerit; quam alieno Regi * iusiurandum dicere. Poterat aliquando IAGELLONEAE Vniverſitatis, ſuum in Principem, fides tentari, violentis aſſultibus impeti, militaribus oneribus premi, at non flecti. Iuventus quoque Academica, licet calamis aſſuetior quam armis, viſa eſt tunc temporis, ſuo pro Rege **, pugnax. Fidelitatem hanc documento, ut aurum igni probatam, TIBI, REX SERENISSIME, ab Vniverſitate noſtra impraeſentiarum conteſtamur, ſpondemus, perque ſacra omnia iuramus.

Dicto fidelitatis iuramento, de illa gaudiorum magnitudine, quae ex feliciſſima in Regem ſuum Electione TVA, cum univerſam Poloniam, tum animos etiam noſtros impleverat, brevibus dicendum venit. Quippe, qui nomine minimae partis Reipublicae cenſemur,

* Anno MDCLVI, adiguntur Academici a *Wirtzio*, Suedici Cracoviae Praeſidii Praefecto, ad praeſtandum CAROLO fidelitatis iuramentum. VLADISLAVS LVBIENSKI, Regni Primas, in MVNDO GEOGRAPHICO.

** Anno MDCLV, Studioſi Academici Cracovia, in Suecos, excurſionem faciunt. KOCHOWSKI, ANNALIVM POLONIAE CLIMACT. II. Lib. I. p. 47.

Quintum ſaeculum agens, inter ſenii ſui ſolatia, & gloriae monumenta, iſtud pro maximo reputat, quod praeter Sereniſſimum IOANNEM III, glorioſiſſimum quoque Parentem, qui TE, REX SERENISSIME, ad ſceptrum & diadema Poloniae genuit, ubere ſuo lactaverit. Reddit, & ſupplex ſubiicit, eidem ſupremae protectioni TVAE, jura, privilegia, praerogativas, ornamenta, a Divo IAGELLONE, cuius ſanguis auguſtus es, a Sereniſſimis ſucceſſive Regibus, atque a tota Sereniſſima Republica Polona, gratioſiſſime ſibi conceſſa, lege publica toties cauta, in hanc usque diem clementer aſſervata, atque TVA, REX SERENISSIME, prima gratia iam conſignata.

Nos demum, qui Cracovienſem Vniverſitatem, non perſonarum, ſed duntaxat Facultatum numero praeſentamus, ſinguli iugum Academicum ab adoleſcentia portantes, nec prius manum de tabula moturi, quam corpora in urnas; labores noſtros, quos publico Patriae & Eccleſiae emolumento, integris noſtris aetatibus fideliter & ſincere, ſunt ſidera teſtes! impendimus, SACRAE MAIESTATI TVAE, uti Regi ſapientia ornatiſſimo, litterarum peramanti, litteratorumque Principi, ac Primo Protectori, in acceptabilem, quod nobis ſpe non vana promittimus, victimam damus, donamus, dicamus.

Vive ergo! vive, REX SERENISSIME! cum e voto omnium communi, tum e noſtro ſingulari, omnigena ab alto proſperitate circumfuſus. Divorum e ſacra ſtirpe IAGELLONEA Regum, immortalia geſta, tropaeaque ſupera! Patriae TVAE unicum ſolatium, & e filio Pater, Poloni nominis decus auguſtum, Gentis gloria, Civium amor, regna feliciter! fatis impera ipſis! longaeveque, REX OPTIME, vive!

Regiae Maieſtatis nomine, Procancellarius Regni id dedit reſponſum:

Gratum, iucundumque Regi eſt obſequium, a veterrima atque nobiliſſima Regni ſui Academia, praeſtitum. Cui invicem Maieſtas Sua ſanctiſſime promittit, ſe, in defendenda ea, & augenda, Regum eorum, qui ante ſe regnaverint, ceſſuram nemini.

CXXXVI.

CXXXVI.

Zamoiſciana Academia, illa Cracovienſis Vniverſitatis filia atque aemula, Latinae eloquentiae profeſſore, *Laurentio Złoba*, facundo doctoque interprete, Sanctae & Auguſtiſſimae Regiae Maieſtati, ſuſcepta publicae ſalutis gubernacula grátulata eſt. *Vilnenſis*, haec laetitiae, pietatisque ſpecimina prodidit:

I.

Cudna Mądrośći, ktorey Roſtropność i Rada,
Sprawiedliwość i Męſtwo przy boku zaśiada,
W iak pięknym cnot rozlicznych i przymiotów gronie,
Pierwſze ośiadłaś mieyſce przy Krolewſkim Tronie.

Okiem Cię nie widźiemy, a iednak Cię znamy,
Gdyż obecnośći Twojey dość dowodów mamy;
Wſzak z ſłonecznych promieni każdy barzo ſnądnie,
Ze iuż iaſne na Niebie Słońce weſzło, zgadnie.

Mądry Królu, któryś wnet przy twym wdźięcznym wſchodźie
Panowania, Mądrośćią po całym Narodźię
Zajaśniał, któż z Twych zwierzchnych czynów nie dochodźi,
Iż w Tobie Mądrość z ſwemi przymioty réy wodźi?

A ztąd to wnośić trzeba, co nas mądre zdanie
Mędrca iednego uczy i ſamo doznanie,
Iż na ten czas Krolestwu ſzczęśćie płużyć będźie,
Gdy mądry Krol Stolicę Królewſką ośiędźie.

Otoż Król na Twym, Polſko, á Król mądry Tronie
Zaśiadł: iuż dźiś Koroną uwieńczył ſwe skronie.
Więc raduy śię, w ſzczęśliwym odtąd będźieſz ſtanie,
Który da Ci mądrego Króla panowanie.

Będźieſzli

Będzieſzli miała pokòy, pokòy będzie prawy:
Czyli też Mars ſurowy zechce bòy wieść krwawy,
Los ſzczęścia przy tym będzie, przy kim mądra rada,
Ktòra w pokoju Laurem, w boju Mieczem włada.

Nie ſą to płonne wieſzczby, ani pròżne godła;
Boć to Mądrość na wielu Krolach iuż dowiodła.
Wſzak i na Tobie, Królu, iuż dała dowody,
Iż pod Twym rządem będą ſzczęśliwe Narody.

Owſzem widząc, iż maſz wzgląd i łaſkawe oko
Na ludzie mądre, tuſzy, iż ſama wyſoko
Wzbije się. Jakoż mając od Tronu zaletę,
Niemałą do ſzukania siebie da podnietę

Tak mądrość czyniąc wſzyſtkim i ſobie nadzieje,
Już Twe, Królu, ſpiſować roſkazała dzieje,
W których przez mądre pióra nie raz światu powie:
Bierzcie przykład od Króla Polſkiego Królowie.

II.
PATRIA AD SERENISSIMVM REGEM.

Cum ſuprema mei caperes moderamina Regni
Ornaretque Tuas ſacrâ Corona comas,
Vita mihi rediit, rediit genus omne bonorum,
Exilioque mihi reddita priſca ſalus.
Nam, Rex, communi fortunâ vivimus ambo;
Deque Tuae ſortis ſors mea fonte fluit.
Si vivis, vivo! laetaris, laetor: & ipſa,
Te ridente, hilares duco ſerena dies.
Vive diu, nam ſi fors unquam fata ſubibis;
Langvida debebo, Te moriente, mori.

III.
POETA AD SERENISSIMVM REGEM.

Regia Maieſtas noſtris à finibus abſens;
Hei mihi! qui nequeo cernuus eſſe Tibi!
Si qua tamen noſter Tibi carmina reddet Apollo,
Excuſata, rogo, carmina ſunto Tibi.

Non

Non potuit, fateor, modulari Regis honores,
Namque Tuus, modulos, exſuperavit honos.
Illa Tibi ſit laus, Rex, inviƈtiſſime Regum:
Te laudari a me non potuiſſe ſatis.

IV.

Si cui praeclaram Virtus dedit inclyta famam,
Faƈtaque perpetuum promeruere decus.
Si cui eſt fortuna comes, cui ſolis ab ortu,
Solis ad occaſum, gloria ſternit iter.
Si cui, conſilium prudens, mens ſubſit & alta,
Quaque regat populum, maxima dexteritas.
Si cui ſe Mavors, ſi ſe devovit Apollo,
Atque ſua lauru cinxit uterque caput.
Si cui Relligio curae, pietasque, fidesque
Difficilis flecti, iuſtitiaeque rigor,
Si cui plura etiam, Rex, inſunt, o ne ego vivam!
Si non haec quivis dicet ineſſe Tibi.

V.

IN INSIGNIA SERENISSIMI REGIS.

IN CORONAM.

Sidereis ardet Regis diadema pyropis,
Et vincit mediam, luce micante, diem.
Plus tamen hoc decoris diadema referre videtur;
Dum cingit frontem STANESILAE Tuam.

VI.

IN SCEPTRVM.

Pax & diva Themis, STANISLAO regia noſtro
Tradidit, auguſta, Sceptra tenenda, manu.
Felix augurium Lechiae! Pax ipſa Themisque
Imperio ſuberit, Rex Venerande, Tuo.

VII.

VII.

IN ENSEM.

Vltor adeſt, & Tutor adeſt, en Regius enſis!
Ille bonos ſervat, plectit & ille malos.
Vos, quibus eſt virtutis amor, pietasque, fidesque,
Solvite corde metum; tutor hic Enſis erit.
At quibus eſt animus forſan, nutrire malignum
Corde ſcelus, metuant; ultor hic Enſis erit.

VIII.

IN AVREVM POMVM.

Heſperidum quondam magnus, cuſtode perempto,
Amphitryoniades aurea poma tulit.
Major at Alcide, Rex STANISLAE, videris,
Sponte ſua veniunt aurea poma Tibi.

IX.

AKADEMIA

DO NAYIAŚNIEYSZEGO PANA.

WIELKI KROLU, Panie mòy! gdy na Twe pochwały
Strojone w mym Parnaſie lutnie zabrzmiać miały,
Odrzućiłem ton, ktòry ſwoim pieśniom dają
Ci, ktòrzy poròwnanie czyniąc, przenaſzają
Nad innych Ciebie Krolów. Bo, iako więc bywa,
Z cnot drugim ſpolnych chwaląc, pochlebſtwo urywa
Ròwnie im, iako Tobie; iakby nie widźiało
W Tobie właſney, a drugim chwały ich zayrzało.
Ja nie chcąc pożyczonych od drugich, Oſobie
Twey dawać pochwał, oprócz należytych Tobie,
Mòwię, co tylko Tobie Samemu przyznają
Wſzyſcy, a czego inni Kròlowie nie mają:
Miał Polſki Naròd wielu, co Cię majętnośćią
Przewyżſzali, a Rodu rόwnali wielkośćią.
I Tych, którym śię hoyniey niż Tobie ſtawiła
Fortuna, i na większe Honory ſadźiła.

Oni

Oni atoli wſzyſcy, zapomniawſzy śiebie,
Oczy, ſerca i myśli zwròćili na Ciebie,
A nioſąc Ci Koronę, wolnemi głoſami
Jednoſtaynie wyrzekli: Ty panuy nad nami.
Bo i Mądrość i Cnota tak Cię do Korony
Zgotowały, iakbyś był do niey urodzony.
To ieſt, co Tobie wſzyſcy iedynie przyznaią,
Panie móy, czego inni Królowie nie maią.
A tu lutnie zamilkną, bo iako równego
Nic temu, tak nic nad to nie zabrzmią większego.

X.

Digne & noble heritier des vertus de Tes Peres,
Grand STANISLAS, reçois l' hommage de nos coeurs;
Je ne viens point ici par des voeux peu ſinceres,
Emprunter le diſcours des vils adulateurs.

Loin de nous aujourd' hui ce profane vulgaire
Courtiſan d' Apollon, eſclave de Plutus,
Qui prodiguant ſans choix un encens mercenaire,
Loue indifféremment, le vice & les vertus.

Mais quel frappant ſpectacle à mes yeux ſe préſente?
Ne vois-je point de Mars l' épée étincelante?
Le fer, le feu, l' airain, brillent de toutes parts;
Bellone eſt en fureur, ſes cruels emiſſaires
Vont par ſes ordres ſanguinaires:
Raſſembler ſes guerriers ſous ſes fiers étendarts.

Cependant ô prodige! au ſignal de la guerre,
La Concorde nous rend un calme déſiré,
Et contraignant les Dieux de poſer leur tonnerre,
Nous fait goutter l' attrait d' un ſort ineſperé.

Tel autrefois d' une ſeule parole,
En un clin d' oeil ſans livrer de combats
Neptune foudroya les vils enfans d' Eole,
Qui venoient ſoulever ſes liquides Etats.
Tel en ce jour AVGVSTE par ſes charmes,
Fait ſuccèder à de vaines allarmes
Les douceurs de la paix, qui dirige ſes pas.

Il ne vient point ſuivi de nombreuſes cohortes,
Forcer des coeurs altiers à la ſoumiſſion,
Sa bonté, ſon amour, ſont des armes plus fortes,
Qui le rendent vainqueur de nôtre affection.

Des Dieux que nous ſervons, adorons la clemence,
Ne les irritons plus par de nouveaux forfaits,
Gardons nous d'enfouir dans un lâche ſilence
L'aimable ſouvenir du plus grand des bienfaits.

Le calme où nous vivons de ces Dieux eſt l'ouvrage,
C'eſt à TOI *maintenant de nous le conſerver*
PRINCE, nous ne craindrons ni meurtre ni ravage
Le Ciel T'a ſuſcité pour nous en préſerver.

Guerrière nation, ceſſe d'être inflexible
Reconnois ton bonheur, apprend l'art d'en jouir;
Sous le meilleur des Rois tu ſeras invincible
Si tu ſçais obéir.

Du reſte ne crains point qu'il ſuive le caprice
D'un courage inhumain aveugle en ſes projets,
Qu'il profane des Dieux l'aſſiſtance propice
En prodiguant le ſang de ſes ſujets.

Il eſt des héros à tout age
Il en eſt dans tous les Etats,
Celui là ſeul mérite notre hommage
Qui prèfère la paix au ſuccès des combats.

Ami de la Concorde, ennemi de Bellone,
Tu le verras toujours ſuivre les étendarts
De la paix, dont la main aujourd'hui le couronne,
Et ſans aller chercher au milieu des hazards
Ces lauriers teints de ſang dignes fruits du carnage,
Au ſein de ſa Patrie égaler le courage
Des favoris de Mars.

Il eſt plus d'un chemin qui conduiſe à la gloire,
Ce Dieu n'eſt pas le ſeul, qui donne des Lauriers,
Et ſans le beau nom de victoire,
Un Roi peut eclipſer les plus fameux guerriers.

D'un peuple de flatteurs démentir l'artifice,
Perpetuer la paix, protéger les beaux arts,
Rendre ſon peuple heureux, exterminer le vice,
Tels furent les exploits du plus grand des Céſars.

Et tels ſeront les Tiens PRINCE digne d'envie,
Aux talents, au ſavoir prodigue Tes bontés
Et bientôt l'on verra la France & l'Italie
Dans ces lieux autrefois du Sarmate habités.

CXXXVII.

Polonicae utraeque Societatis Ieſu Provinciae, pulcerrimas in Rege elucentes animi dotes, regnandique virtutes, uberrimis ac ſplendidiſſimis orationibus extulere. *Stadnicius*, erudiendae lectiſſimae, in Scholis Piis, Iuventae Praefectus, vir perelegantis ingenii, optimisque omnibus doctrinis inſtructus, Quaeſtionem, quam ob rem, licet ineunte Interregno, multi Principes externi regale ſolium clam ambiverint, nemo tamen eorum ſe, Reipublicae Ordinibus, Candidatum Regni palam profeſſus ſit? in ſententiam hanc, tractavit:

Quod poſt triſtem Reip. orbitatem, ac varias pacatioris longe, quam ſolet, Interregni viciſſitudines, felicem jam tranquillumque portum attigerimus, A A. inprimis D. O. M. ſuaviter omnia diſponenti in acceptis referendum eſt. Deinde vero immortales, Celſiſſimo Principi Regni et M. D. L. Primati juxta, ac Celſiſſimis Principibus CZARTORYSCIIS, gratiae ſunt rependendae, qui totam hanc Reip. moderati machinam, tam admirabili ipſius tranquillitati, non ſine maximo et ſalutis, et fortunarum ſuarum diſpendio, feliciter proſpexerunt.

At quod decurſu prope anni unius, nullum Sereniſſimus STANISLAVS AVGVSTVS, Rex Noſter, ad Solium aemulum expertus fuerit, quod nullus alius Exterus Candidatus, qui Remp. in diverſa ſcindere ſolent

 Ita-

ſtudia, negotium Illi faceſſiverit, id quidem mihi, aeque ut arbitror Vobis omnibus, non medioeri dignum admiratione videtur. Quis enim adeo rerum noſtrarum expers eſt, ut ignoret, quam inde a multis retroactis ſaeculis, aut primi in Europa Reges ac Principes, aut ſummorum Imperatorum, Regum, Principumque filii Thronum hunc Poloniae ſemper ambiverint? quanto animorum aeſtu complures ſimul pro eo adipiſcendo contenderint? quanta armorum etiam ſaepius contentione pro eo aſſequendo decertaverint? Unus concordiſſimis fere ad miraculum toto Interregno commendatus, ac electus ſuffragiis, ac jam inauguratus Rex Noſter, unus hic duntaxat ad Regium in Polonia faſtigium, uno omnium ore, ferebatur Candidatus. Id certe uti AVGVSTO Noſtro ampliſſimum et honorificentiſſimum ſit, oportet, ita et veriſſima tanti eventus cauſa, gloriae Illi debet eſſe quam maximae. Dicam igitur brevibus, quam potero, ſapientiae Eius maximam apud omnes exiſtimationem plurimum STANISLAO AVGVSTO ad obtinendum tam feliciter ſine aemulo Regnum profuiſſe.

De ſumma ſane Regis Noſtri ſapientia, quam communis ac pervagata, et apud Nos, et apud Exteras Nationes ac Principes opinio fuerit, nullum amplius, aut honorificentius Illi dari poteſt teſtimonium, quam ab aequiſſimo Illo, non rerum modo, ſed et Perſonarum aeſtimatore, magno Boruſſiae Rege, qui, qua de cauſa Regem Noſtrum regno digniſſimum iudicaverit, Legato Noſtro palam teſtatus eſt. *Hic enim*, dicebat Ille, *hic eſt magnorum heroum filius, ita a ſapientiſſimis parentibus educatus, ut in ſpem Regni, et natus, et alitus eſſe videatur.* Peridoneum itaque ad regendam Gentem liberam, praeſtantiſſimum Reip. Civem non alia ratione iudicavit, quam quod prudentiſſima Optimorum Parentum educatio, eam Illi raram, ac ſingularem ſapientiam infuderit, quae nedum vitae ſuae recte inſtituendae, ſed et Populis, ut in fatis Eius erat, gubernandis parem ipſum aptumque efficeret.

Optimis ad id uſi ſunt Illi praeceptoribus. Sed quid opus fuit magiſtris? ubi Pater clariſſimus Hector, Mater Cornelia nobiliſſima, non ad formandos duntaxat ſuos liberos aptiſſimi videbantur, verum etiam qui beatam

tam ad leges Platonis Remp. reddere potuiſſent, ſi pro abſoluta utriusque Eorum ſapientia, ampliſſimos ad regendum Populos ſuſcepiſſent. Sed ne ipſe ego in re tanta loqui videar, Vos ipſos, Veſtramque appello fidem, qui hoc Par nobiliſſimum noſtis optime, ſpectaſtis propius, Eorumque religionem, ſapientiam, fortitudinem, iuſtitiam, magnanimitatem, omnemque virtutem admirati eſtis, Veſtrum inquam appello iudicium, nonne de His aequiori iure, quam olim de Nerva Plinius, dicere poſſumus: O! nullo magis nomine Publici, quam quod Regis Noſtri Parentes, eoque ipſo cari omnibus, ac deſiderandi, quod, ne deſiderarentur, proſpexerint.

Quid ſi his addamus optimum, ac praeſtantiſſimum Veſtro ipſo iudicio magiſtrum, oraculum Reip. fontem, et lumen Conſiliorum, Principem M. D. L. Cancellarium, Optimi Regis Noſtri Avunculum, ſub cuius diligentiſſima diſciplina annos complures verſatus eſt. Quid ſi cum Principis Cancellarii ſapientia, maximaque in formando Rege Noſtro diligentia, Ipſius Regis Noſtri aſſiduitatem, laborem, induſtriam conferamus, nonne perfecta e tanta Schola, atque a tanto Socrate prodire debuit ſapientia?

Sed pro ſummo ſapientiae adiumento, neceſſe eſt, ut Eius in legendo aſſiduitatem commemorem: cum libros non evolvere, ſed mente condiſcere, non illis delectari, ſed in illis ingurgitari Princeps Noſter videretur. Incredibile fere eſt, neminem ab ineunte aetate, aut plures, aut meliores, ſapientioresque veteris, noſtrique aevi ſcriptores, quam Noſtrum Principem relegiſſe: nihil tamen hac propria Eius laude verius. Illam ego ampliſſimam, et copia et praeſtantia librorum, cum caeteris Orbis terrarum facile comparandam Bibliothecam, immortale IOSEPHI ZALVSCII, Kiovienſium Antiſtitis, in Polonam Remp. munus, illam inquam ego Bibliothecam appello. Eritne illic aliquid volumen, quod aut ad recte efformandum Civem conveniat, aut artem optime gubernandi Civitatem contineat, quod Princeps Noſter ignoraret, quod non jam evolviſſet? Quem autem iam hominum in omnibus Divinis humaniſque ſcientiis, aut in rebus, ad optime conſtituendam Remp. neceſſariis eruditiorem, inſtructiorem, verſatioremque

cogitare poſſumus, quam eum talem, qualis Noſter Princeps eſt: qui et evolvendis Sapientum monumentis atque lucubrationibus totus aſſiduo vacat, et acri et certo iudicio, firmaque ac ſumme tenaci memoria, ea, quae legit, complectitur.

Iam vero Exteras, quas peragravit, regiones, Eiusque repetitas peregrinationes, quae ad perficienda in quibusvis artibus ſcientiisque ingenia, ſummo ſunt adminiculo, iam ipſi Vos, A A. hoc loco commemorare mihi videmini. Non eſt igitur omittenda earum recordatio, ubi quamvis oſtentare potuiſſet, maluit tamen Princeps Noſter ſuam abſolvere ſapientiam: praeſertim apud Britannos, Gallos, et Batavos, Gentes omni doctrinarum genere florentiſſimas; apud quas cum ſumma exiſtimatione, gratiſſimam perennemque Nominis ſui famam, ac ingens ſui deſiderium reliquit.

Vt vero annorum iam complurium, quos in acquirenda ſapientia domi foriſque conſumpſit, uberrimos, ampliſſimosque fructus, non ſibi, ſed Reip. collectos declararet, mox in publicis muniis Principem AVGVSTVM frequentiſſime verſari vidiſtis. In illa itaque legum officina, quantum calamitoſis illis temporibus, et in ſumma Comitiorum confuſione licuit, quod in Illo eloquentiae flumen, quam vim ſtupendam, quae rationum momenta, quam conſilii, ſcientiae omnis, ac intelligentiae lucem, cum pro legibus, tanquam pro aris ac focis decertaret, mox Ordo Equeſter univerſus ſuſpexit? quam fortitudinem animi, conſtantiamque Eius, atque in his quam mitam ſuavitatem vehementer miratus eſt?

Suſcepta deinde Legatione in Magnam Ruſſiam, ſane in theatro illius Imperii, ſatis iam tum, abundeque patuit, quae mens illi ineſſet, non conficiendis duntaxat gravibus quibuscunque negotiis, ſed et regendis par Populis.

At ſi haec longinquiora remotioraque ſunt, ſpectemus iam priora. Si enim in praeteritis totius Polonicae Gentis conventibus, certe in nuperrimae generalis Convocationis Comitiis, Principis Noſtri ſapientia, magnitudoque animi, et dignitas, quaſi lumen aliquod, extinctis caeteris, eluxit. Incredibile quidem paene videba-

debatur, in illo, tot annis deſtitutae omni conſilio Reipublicae, turbulentiſſimo atque calamitoſiſſimo ſtatu, poſſe aliquid de ſumma rerum conſtitui. Quae autem iam conſtituta ſunt, Patriae omnia maxime neceſſaria atque ſaluberrima, non Gens univerſa, neque ulla unquam aetas, verbis ſatis, non dicam exornare, ſed enarrare poterit. Nec minore STANISLAI PONIATOVII mente opus fuit, quae eſſet, ut re vera erat, horum memorabilium Comitiorum anima. Ille enim in graviſſimis omnibus Reip. deliberationibus, et Senatui, et Equeſtri Ordini, oraculi inſtar, tam conſiliorum auctor, quam ſententiarum conciliator exſtitit. Quo nomine non eſt mirandum, quod omnes in Eius verba pedibus ire, omnes ab Eius ore pendere quodammodo viſi ſunt.

Quaerite iam quaeſo nunc, quid illud ſit, quod Principem Noſtrum ad obtinendum adeo feliciter ſine aemulo Regnum maxime iuverit? Scilicet non potentia, non opibus claro, ſed animi ingeniique bonis abundante Principe, qui Rempublicam diu iam fatis relictam ſuis, periclitantem, et fere ad ruinam vergentem, erigeret, eiusque ſaluti proſpiceret, verbo uno eloquar, Rege ſapiente opus habuimus. Iniurii nemini erimus, ſi dixerimus, Polonos de nullo Principum maiorem, quam de ſuo STANISLAO AVGVSTO, opinionem habuiſſe, notae iam ſpectataeque, in Eo, et virtutis et ſapientiae. Acceſſit iucundum dulceque Genti PIASTI nomen. Amor itaque in excellentem Civem, ſummae de Eo exiſtimationi coniunctus effecit, neminem ut tota Europa Elector Populus cum Illo comparandum ſibi duxerit. Hoc iam ubi vicinis remotisque regionibus palam innotuit, Exteros inde omnes Principes, quaſi dato ſigno, a petendo Poloniae ſceptro ſuperſediſſe quis dubitabit? Iſtud igitur a tot aliis, qui de adipiſcendo Regni huiusce diademate iam anxie cogitabant, competitoribus Remp. liberavit. Cum nempe proſpera Nominis STANISLAI PONIATOVII fama longe lateque pervagata, caeleſtem Eius ſapientiam, caeterasque virtutes vere regias Orbi univerſo promulgaſſet, factum eſt, ut ii etiam, quos non poſtrema Polonici

Imperii cura, et deſiderium tenuit, non poſſe ſe Illi palmam praeripere exiſtimantes, facile Ipſi ceſſerint.

Quid igitur reliquum nobis eſt, A A. *Divina* nobis aſſiduis precibus exoranda eſt *Sapientia*, ut Eum nobis Principem, quem immortalis futura Reſp. immortalem ſibi vehementer optaret, Eum inquam Principem, immortali D. O. M. datum munere, ſoſpitem ſemper, incolumem, ac beatiſſimum in longiſſimas ſervet aetates. Vos P. C. beatam iam, quantum in Vobis fuit, effeciſtis Rempublicam, cum tam ſapienti Principi, tam optimo Moderatori, veroque Patriae Patri, Regium hoc diadema, miro conſenſu, ac nullo poſt hominum memoriam memorando exemplo, impoſuiſtis. Illud itaque nobis ſupereſt, ut quod fauſte, feliciter, fortunateque coeptum eſt, illud eousque firmum conſtansque permaneat, donec Sereniſſimus STANISLAVS AVGVSTVS Rex Noſter ſatis Patriae, ſatis Religioni, ſatis bonis omnibus, ſatis denique naturae ipſi vixerit.

EXCERPTVM POLONICAE LITTERATVRAE

HVIVS ATQVE SVPERIORIS AETATIS.

AVCTORE

IO. DAN. ANDR. IANOZKI

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG. SCARBIMIR. BIBLIOTHECAE ZALVSCIANAE PRAEFECTO.

VOL. IV.

VRATISLAVIAE

APVD GVIL. THEOPH. KORNIVM

A. R. S. MDCCLXVI.

EXCERPTVM
POLONICAE
LITTERATVRAE
HVIVS ATQVE SVPERIORIS
AETATIS

AVCTORE

IO. DANIEL. ANDR. IANOZKI

VRATISLAVIAE

CLARISSIMO
NATALIVM SPLENDORE, VIRTVTVMQVE,
ATQVE
DOCTRINARVM PRAESTANTIA,

IVVENI
CAIETANO
DE DVCIBVS SOLTICIS,

CRACOVIENSIS ECCLES. CATHEDRALIS,
VARSAVIENSISQVE INSIGNIS
COLLEGIATAE

CANONICO

VETVSTISSIMAE OMNIVM APVD POLONOS,
AC CELEBERRIMAE LANCICIENSIS ECCLESIAE COLLEGIATAE

SCHOLASTICO,

DIVIQVE MICHAELIS IN ARCE CRACOVIENSI

PRAEPOSITO,

IOANNES DANIEL ANDREAS
IANOSCIVS,

CAN. CATHEDR. KIOVIEN. ET COLLEG.
SCARBIMIRIEN.

PERFECTAM PROSPERITATEM.

Czerniechoviae Dapifer, Conſtantinus Waligorscius, *praeſtans ille, eximiusque vir, qui* Principis PATRVI TVI, *Cracoviae Antiſtitis, Severiaeque Ducis, numeroſam ſplendidamque Aulam, ſingulari plane prudentiae, et humanitatis, et honeſtatis, integritatisque laude regit, cum nuperrime a* SVA CELSITVDINE, *plurimis graviſſimisque de rebus, Varſaviam miſſus eſſet, pro veteri conſuetudine, fidoque amore, me etiam atque etiam inviſit. Summoque me ſolatio ac voluptate perfudit, quod de Principis atque Praeſulis Optimi, Muſisque vere Propitii, reſtituta ac confirmata valetudine, cui* Publica *omnis* ſalus *inniſa eſt, certiorem me fecerit; multaque aperto ac iucundo ſermoni ſuo inſeruerit, ex quibus perſpicue abundeque cognovi:* SVAE CELSITVDINIS *memoriae, quae eſt beneſaciendi tenaciſſima, litteraria conami-*

 nami-

namina mea inhaerere: atque inter eos, qui coram Principe illo Maximo, tenuitatique meae Indulgentiſſimo, data omni occaſione, honorificam mei mentionem moveant, TVAM ILLVSTRITATEM *praecipuum locum obtinere. Quam vehementer autem laetabar, laudari me atque commendari, abs* TE, IVVENVM FVLGENTISSIME; *cuius excellentiam animi magnitudinemque, ingenii acumen, iudicii vim, oris dignitatem, linguae facundiam, morum gravitatem, pietatem atque modeſtiam, divinae omnis humanaeque litteraturae ſtudium, rerumque omnium exquiſitarum atque utilium amorem, propenſamque et conſtantem, in doctos, et litteratos homines voluntatem, prudentiſſimi quique, et doctiſſimi Senes, multis laudibus praedicant; inſigniaque et immenſa, ex praeclariſſimis iſtis* TVIS *dotibus, virtutibusque, in Eccleſiam atque Rempublicam, inque bonas omnes artes diſciplinasque, emolumenta atque ornamenta profectura augurant: tam ingenti ardeſcebam deſiderio, gratiſſimi mei, erga* TVAM ILLV-

STRI-

STRITATEM *animi*, TVAE*que gloriae et immortalitatis ſtudioſiſſimi*, *publice teſtificandi. Atque, ea ex cauſa, quartum hoc* POLONICAE LITTERATVRAE *volumen*, TIBI SCHOLASTICE ILLVSTRISSIME, *dedicare conſecrareque conſtitui: in quo diligenter inprimis expoſitum eſt, quam plena indulgentia, Rex Noſter* STANISLAVS AVGVSTVS, *omnium maximus, manſuetiores Muſas, inter feliciſſimi Principatus ſui initia ſit complexus, quantoque niſu ac conatu, Eo Auſpice, Princeps ille*, PATRVVS TVVS, *Praeſul atque Senator incomparabilis, ſacrarum pariter ac profanarum litterarum ſtudiis opitulatus. Unum adhuc ſupereſt; ſcilicet ad vota confugiendum*, DIVINVM*que* NVMEN *ſummo pietatis ardore implorandum, ut Rege incolumi, florenteque Republica: Principem Cracovienſium Antiſtitem*, PATRVVM TVVM, *cui Regis Patriaeque ſalus, vita ſua dulcior eſt:* TVVM*que* PARENTEM, *Varſavienſium Caſtellanum, Probiſſimum atque Fidiſſi-*

mum

imum Regni Senatorem, ſalvos et ſoſpites perpetuo praeſtet: totamque SOLTICORVM DOMVM, immortaliter de omni Republica promeritam, Civibusque ſuis cariſſimam, Muſisque ſanctiſſimam, ſempiterna felicitate, aeternitateque donet. TV, ſpes Eccleſiae atque Reipublicae, deliciolumque Litterarum, ILLVSTRISSIME SCHOLASTICE, laetiſſime vale: meque conſtanter fove et protege, TVOque PATRVO, Principum atque Praeſulum Maximo, commenda, ut ſoles. Vale! Varſaviae, e publico ZALVSCIANO Muſeo, VI. Nonas Julii, A. R. S. MDCCLXVI.

EXCERPTUM
POLONICAE LITTERATURAE.
VOL. IV.

CXXXVIII.

Princeps *Lubienscius*, Gneſnenſis Archiepiſcopus, totiusque Regni Poloniae Primas, Metropolitanae ſuae Eccleſiae Scholaſticum, *Antonium Sierakowscium*, comem virum, et benignum, et facilem, et ſuavem, eundemque et liberali omni arte, doctrinaque perpolitum, et humani divinique iuris ſane peritum, iuſtitiaeque deditiſſimum, cauſarum, in Primatiali Curia ſua, generalem Auditorem atque Iudicem creavit. *Baltaſarem Pſtrokonſcium*, eruditione ſingulari, et virtute praeditum, Metropolitanum Canonicum declaravit. Cervenenſis Commendatarius Abbas, Princeps *Michael Poniatovius*, Gneſnenſi Metropolitana Cuſtodia, ſummo

in Republica viro, *Andreae Mlodzieiowſcio*, Regni Procancellario, ceſſit. Cui, Principis Archipraeſulis atque Primatis cruciger, *Ignatius Cienſcius*, corporis dignitate, animique praeſtantia excellens, in Gneſnenſi Cancellariatu ſuffectus eſt. Poſnanienſis Cathedralis Cuſtos, *Antonius Okencius*, egregia forma, ac praeclara indole conſpicuus, Gneſnenſis Metropolitani Canonici honore auctus, generalis, in Maſoviae Ducatu, Vicarii atque Officialis muneri praeficietur.

CXXXIX.

Franciſcus ille *Czerny*, graviſſimus atque litteratiſſimus Cracovienſis Eccleſiae Cathedralis Canonicus, Inſignisque Collegiatae Sandomirienſis Praepoſitus, Regni Inſignium cuſtodiam ſua ſponte dimiſit. *Regia Maieſtas*, claro ſanguine genito, omnique et virtute, et prudentia, et doctrina ornatiſſimo adoleſcenti, *Adamo Przerembſcio*, Abbati Commendatario Andreovienſi, atque Canonico Cathedrali Cracovienſi, ultro detulit. Vladiſlavienſem Cathedralem Praepoſituram, *Cypriano Wolicio*, ſumme probo, et gravi, et ſapienti viro, tribuit. In cuius locum, Vladiſlavienſis Cathedralis Canonicus, *Franciſcus Wybicius*, integritate atque innocentia maxime commendatus, Pomeraniae Archidia-

diaconus eſt conſtitutus. *Carolus Cema a Cemis*, et antiquitate generis, et gloria maiorum, et ſuis virtutibus illuſtris, Varmienſis Praepoſitus Cathedralis creatus. Ibidem cultiſſimus, elegantiſſimusque iuvenis, *Carolus Poepelmann*, in Cathedralium Canonicorum ordinem, Coadiutorio modo cooptatus.

CXL.

Baccovienſis Antiſtes, *Raymundus Jezierscius*, ſumma probitate, humanitate, doctrinaque, omnibus notiſſimus, a Rege, Metropolitani Leopolienſis Decani dignitatem impetravit. Ipſemet autem ille, conſentiente Maieſtate Regia, eximium item virum, probatumque, et ſpectatum maxime, *Franciſcum Candidum Ossolinscium*, e ſacra Franciſcana familia, Epiſcopatus ſui Coadiutorem, aſſumpſit. Sanctiſſimo graviſſimoque Praeſuli, *Martino Zaluscio*, illuſtrem ac nobilem Societatem Ieſu ingreſſo, *Caſimirus Rokitnicius*, prudentia atque aetate praeſtans, in Plocenſem Suffraganeatum ſucceſſit. *Kochnowscius*, doctus ſane homo, et diſertus, iurisque, et civilis, et pontificii conſultiſſimus, edita praeclara Zamoiscianae Academiae Defenſione, Cathedralem Chelmenſem Archidiaconatum meruit. Doctiſſimus, et piiſſimus, ſuaviſſimusque Senex, *Iacobus Paulus Radlinscius*, generalis

Miechovienſium Canonicorum Regularium Praepoſitus Infulatus, ſupremum diem explevit. Subſtitutus, in eius locum, *Florianus Buydecius*, pollens viribus, ingenioque validus, et bonus conſilio, idemque omnibus ingenuis artibus inſtructiſſimus, antiquitatisque noſtrae diligentiſſimus inveſtigator.

CXLI.

Leopolienſium Archiepiſcopus, *Venceslaus Hieronymus Sierakowscius*, ſacrae litteraturae ac diſciplinae ſtudio, veterum Praeſulum glo[illegible] proximus. Paſtoralem edidit Epiſtolam, Ad Clerum Saecu[illegible] Atque Reg[illegible] Vniverſumque Chriſtianum Gregem, Curae Suae Ac Iurisdictioni Subiectum: De Vita, Et Honeſtate Clericorum; De Doctrina Chriſtiana; De Praedicatione Verbi Divini; De Sacramentorum Adminiſtratione; De Abuſu, Circa Adminiſtrationem Sacramentorum, Et Sacramentalium, Tollendo; De Ordinandis, Et Sacris Ordinibus; De Approbationibus Ad Confeſſiones; De Caſibus, Sedi Ordinariae Reſervatis; De Decanis Foraneis; De Collationibus Caſuum Conſcientiae, Seu Seſſionibus, Et Coetibus Decanalibus; De Clericis Extraneis, Ignotis, Et Vagis; De Pluralitate Beneficiorum, Et Reſidentia Beneficiatorum; De Arendis, Seu Locato, Et Conducto; De Teſtamentis, Et Vltimis Voluntatibus; De Exercitiis Spiritualibus; De Regularibus; De Conſervatoribus Regularium; De Monialibus; De Capellis, Altaribus, Et Oratoriis Privatis, Sacraque Supellectili; De Impreſſione Librorum, Bibliopolis, Typographis, Et Libris Prohibitis; Deque Iudaeis, ſcriptam diligentiſſime. Senior Smolenſcenſis Antiſtes, *Georgius Hylzen*, inter continua ſanctiſſimae vitae ſtudia, Divi Ioannis Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Homilias Ad Populum Antiochenum

Habi-

Habitas, in noſtrum ſermonem vertit. Graviſſimus, doctusque apprime, et facundus adoleſcens, *Caietanus Tengoborscius*, Scholaſticus Cathedralis Premiſlienſis, Vindicias Societatis Ieſu, lingua conſcriptas Polonica, lectu ſane dignas, publicam in lucem protulit. Idemque nobis, patrio ſermone, Praecocium Eruditorum Indicem exhibuit, daturus haud dubie accuratiorem atque locupletiorem, ſi ipſum hiſtoriae litterariae auctores non defeciſſent.

CXLII.

Magnus Lituaniae Notarius, Vilnenſisque Cathedralis Canonicus, *Paulus Brzoſtowscius*, eximiis ingenii doctrinaeque dotibus adoleſcens, Balthaſaris Graciani Diſcretum, eleganti Polonico cultu adornatum, Curiae Regni Mareſchalco, *Georgio Mniszechio*, ingenti dignitate atque auctoritate viro, dedicavit. Vilnenſium Scholarum Piarum Presbyteri, liberalibus ſtudiis, patriisque diſciplinis ſedulo operantes, eruditam ſane, luculentamque Solignaci Hiſtoriam Polonam, vernaculo ſermone ſcite admodum et venuſte expreſſam, laudatique *Brzoſtowscii* nomini inſcriptam, ediderunt. Praeclariſſimus vir, nobisque amiciſſimus, *Laurentius Mizlerus*, Regius Conſiliarius atque Hiſtoriographus, Andreae Maximiliani Fredro, Palatini Podoliae, viri ſua tempeſtate

doctiſſimi ac ſapientiſſimi, Monita Politico-Moralia, Et Iconem Ingeniorum, e typographeo ſuo exire iuſſit. Auctoris vitam, operumque eius accuratiſſimum indicem praemiſit. Kioviae Praeſuli, *Ioſepho Zaluscio*, Sandomiriaeque Gubernatori, *Ioſepho Oſſolinscio*; alteri, litterarum in Polonia praecipuo inſtauratori, litteratorumque hominum munificentiſſimo Maecenati; alteri autem, Muſarum et omnis elegantioris doctrinae cupidiſſimo, conſecravit.

CXLIII.

Brzezinscius, Vilnenſis Cathedralis Eccleſiae Vicarius, omni ſacrorum diſciplina inſigniter eruditus, atque exercitus, Catechiſmi Concil. Trid. a clariſſimo et doctiſſimo Polonorum, Stanislao Karnkowscio, Vladiſlaviae tum Epiſcopo, in noſtrum ſermonem converſi, novam editionem, eamque, et mendis omnibus purgatam, et formis nitidiſſimis excuſam, ampliſſimo Regni Antiſtitum Collegio obtulit. *Brodowscius*, Societatis Ieſu, in nobiliſſimo et celeberrimo Collegio Leopolienſi, Theologiae Profeſſor, doctrinae atque eloquentiae fama clarus, Argentoratenſis Theologi, Ioannis Iacobi Scheffmacheri, Lettres a un gentil-homme proteſtante, ſur les ſix obſtacles, qui ſe rencontrent dans la religion lutherienne, Polonice reddidit. Balthaſaris etiam Graciani Politicum oratione vernacula veſtivit.

ſtivit. *Malinowſcius*, arctioris familiae Seraphicae, in Provincia maioris Poloniae Exminiſter, homo litteratiſſimus, ingenioque ac facundia abundans, Elogia Fundatorum Reformationis Seraphicae, Inter Viſcera Dominii Poloni Fixae, plena rerum iucundarum ac memorabilium, publicavit. *Kleczewſcius*, eiusdem ordinis, in Roxolanica Provincia, emeritus Theologiae Lector, divinarum et humanarum rerum ſcientia, vitaeque innocentia praeſtans, Inſtitutiones nobis dedit Politico-Religioſas, Iuxta Regulas Prudentiae Ac Modeſtiae Chriſtianae, In Actibus Externis Religioſum Iuvenem Dirigentes.

CXLIV.

Ingenioſiſſimus doctiſſimusque poëta, *Michael Korycius*, Societatis Ieſu, Rector Collegii Varſavienſis, CELSISSIMO PRINCIPI, CASIMIRO PONIATOWSKI, SVPREMO REGNI SVCCAMERARIO, PRAEFECTO SCEPVSIENSI, DIE SVO NATALI, DE CLARISSIMA FAMILIA SVA, NVPER PRINCIPVM ORNAMENTIS DECORATA, ſic eſt gratulatus:

I.

Multos cum primum Lucina profudit in auras,
Purpureo Natos collocat illa toro.
Si de more fleant: effuſos ſiſtere fletus
Propoſitis, Atavûm tentat imaginibus.

Si lacrymas iterant: dat pulchra crepundia Mitras,
Deciduasque oculis murice tergit aquas.
Magna quidem ſunt haec magnorum munera Divum,
Munera ſunt, inquam, munera, non merita.
Obtinuiſſe Ducum, pulchrum eſt, cum ſanguine Mitram,
Sed meruiſſe Mitram, gloria maior erit.
Cui Fortuna dedit, cum nomine Principe naſci,
Iure minus decoris vendicet ille ſibi:
A Proavis Atavisque dato ſplendore coruſcat,
Vt trahit a Phoebo Luna propinqua iubar.
At quicunque decus propria virtute paravit,
Eſt laus ad Proavos non referenda ſuos.
Ipſe ſuae, veluti Titan, eſt lucis origo,
Ac ditat radiis aſtra minora ſuis.
Haec Tua laus propria eſt, o ſtirps praeclara VitellI!
Stirps nuper Lechicis addita Principibus.
Non Tibi Maiorum, quamvis celeberrima bellis,
Dextera, ſed virtus tradidit ipſa Mitram.
Tradidit ipſa Mitram: ſic, quae fuit antea Mitra,
Eſt eadem meritis facta Corona Tuis.

II.

Quis fuerit Vobis Genitor, ſua facta loquuntur,
Hiſtorici ſcribunt, poſteritasque leget.
Ille fuit nuper Lechici lux prima Senatus,
Conſilio ſummus Vir, Patriaeque Pater.
Libertatis erat tutor, legumque ſacrarum
Praeſidium, populi deliciumque ſui.
Hoſtibus ille fuit terror, cui clarus ab armis
Mavors imperium cederet ipſe ſuum.
Sique forum Lechiae ſubiiſſent Tullius atque
Plato, peroptarent illius ore loqui.
Haec decorat Patrem, Natos eademque decorat
Gloria, nam ad ſobolem defluit illa ſuam.
Sola eſt a magno Vobis non tradita Patre
Ambire excelſos purpura ſueta Duces.
Aſt et purpuream chlamydem, cidarimque Ducalem,
Quam Pater haud dederat, Patria cara dedit.
Patria ſola dedit? Fallor; dedit hanc Pater ante:
Nam Tibi virtutem, qua mereare, dedit.

III. *Ar-*

III.

Argolicum celeri Iaſon rate pervolat aequor,
Auratae ut referat nobile vellus ovis.
Bella cient venti: navemque reflantibus Euris,
In ſcopulos nautam dira procella rapit.
Ille tamen, fretus ſociis audentibus, audet
Horriſonum motae temnere murmur aquae:
It virtute duce, et navem cum littore Colchi
Iungit, et auricomo vellere dives abit.
Sors multo melior Veſtra eſt, o clara Propago!
Nobiliora cui vellera nata domi.
Non mare tentandum ratibus, non ultima Colchi
Remis ac velis ora petenda fuit.
Patria terra dedit munus pretioſius auro:
Nam fragiles conſtans gloria vincit opes.
Vndantis populi, non obluctante procella,
Cunctorum Vobis velificavit amor.
Conſenſere Equitum placitis edicta Senatus,
Vox, quicunque aderant, omnibus una fuit:
Sancimus volumusque, Duces eſtote, Ducumque
Purpureum o magni vellus habete Viri!
Sic erit, ut vigeat meliusque caleſcat ab iſto
In Patriam veſter vellere fotus amor.

CXLV.

Poſnanienſis Caſtellanus, *Ioſephus Mielzynscius*, gravis ſane ac diſertus vir, legumque ſcientiſſimus, in ſupremo Poloniae maioris Tribunali, Mareſchalcus eſt conſtitutus. Maximum eundem magiſtratum, in Poloniae minoris Provincia, ingenti omnium conſenſu cepit, *Ignatius Cetnerus*, Palatinus Belzenſis, natus formatusque ad omnia, quae recte facienda ſunt. Praeſtans in Republica vir, Muſisque favens manſuetioribus, *Caſimirus*

 Dambs-

Dambscius, Siradiae Palatinus, gravi iam aetate, et diutino corporis morbo confectus, naturae debitum reddidit. Exceſſit etiam e vivis, octogenarius Senex, *Henricus Goltzius*, Valecenſium Praefectus, a ſacris quidem Romanis alieniſſimus, ſed ob virtutis fulgorem, claritatemque familiae, inter inſigniora Poloniae decora atque ornamenta numerandus. Adeptam, ante conſtitutionem anni MDCCXVII, Praefecturam, prudentia pari atque iuſtitia adminiſtravit. Subſtitutus in eius locum, vir optimus, Catholicaeque religionis colens, et aequi obſervans, *Antonius Koſſowscius*, Magnus ſaecularis Regni Secretarius. Curonicus Legatus, *Otto Erneſtus Medem*, eleganti vir ingenio, et politiſſimis litteris, rerumque omnium patriarum exquiſita intelligentia praeditus, a Sacra Regia Maieſtate, in intimorum ſuorum conſiliariorum numero eſt collocatus.

CXLVI.

Optimus ſapientiſſimusque Regum, STANISLAVS AVGVSTVS, ingenti virtutis gloriaeque incitamento, novum heroicum Ordinem inſtituit. Cui, a ſuo, Regnique praecipuo tutore, Divo STANISLAO, Cracovienſi Praeſule et Martyre, nomen impoſuit.

In-

Inſigne eſt, crux octogona aurea, rubicundo encauſto ornata. Quatuor angulis totidem aquilae colore albo inſertae. Anterior pars Sancti STANISLAI effigiem, litteris S. S. appictis, exhibet. Poſterior, coniunctas inter ſe primas nominis Regii litteras, complectitur. Saeculares Equites, punicea taenia, albis oris conſpicua, a dextro humero, infra ſiniſtrum brachium, lumbo tenus protenſum, geſtant. Qui ſacris ſunt initiati, pendulum e collo, in pectoris medio ferunt. Cunctorum autem veſtitui, in ſiniſtra pectoris parte, quadrangula ſtella argentea, Phrygio opere intexta eſt. Exſtat, in eius medio, atque eminet circulus aureus. Eoque ſertum viride laureum, auro interfulgens, includitur. Huic inditus eſt argenteus circulus, inſito aureis litteris ſymbolo: PRAEMIANDO INCITAT. Cuius denique medio, in lamella argentea, primae litterae e Regis nomine, Tyrio colore, continentur.

Rex iſtum Ordinem, ipſo illo die, qui Divo STANISLAO ſacer eſt, magna celebritate inauguravit. Quippe Sua Maieſtas, auctor huiusce Ordinis, atque ſupremus magiſter, eiusdem inſigni decorata, cum ſplendidiſſimo frequentiſſimoque Procerum comitatu, S. CRVCIS Templum adſcendit. Ingentis nominis auctoritatisque Praeſul, *Antonius Caſimirus Oſtrowscius*, Vladiſlaviae

atque

atque Pomeraniae Epiſcopus, divinam rem pontificio ritu fecit. Concionem habuit *Petrus Hyacinthus Sliwicius*, Presbyterorum Congregationis Miſſionis, in utraque Polonia, Viſitator generalis, idemque Varſavienſis Eccleſiae S. CRUCIS Praepoſitus, vir caeleſti plane ingenio, ac divina quadam eloquentia, ſapientiaque inſtructus, Regique ac toti Regiae Domui percarus, inque modum amici acceptus.

Factis ſacris, Rex in ſolio ſedens, per Cancellarium Regni, *Andream Zamoiscium*, circumſtantibus, ex utraque Gente, Senatoribus atque Nobilibus ſignificavit, Suae Maieſtatis nomine, ad ipſos verba eſſe facienda. Procancellarius deinde, *Andreas Mlodzieiowscius*, iuſſu Regis, pauca haec locutus eſt: SACRA REGIA MAIESTAS, Indulgentiſſimus Noſter Dominus, ad augendum magis ac dilatandum, ſummi Poloniae tutoris, S. STANISLAI, Epiſcopi atque Martyris honorem, Ordinem heroicum excitare conſtituit: cuius inſigni, genere inclytos, factisque probatos Reipublicae viros exornare, et ad bene de patria promerendum, confirmare poſſit. Moxque creandorum Equitum indicem, propria manu a Rege exaratum, recenſuit. In quo, clariſſima haec, fulgentiſſimaque nomina, ſcripta fuere:

Princeps VLADISLAVS LVBIENSKI, Gneſnen. Archiepiſcopus, totiusque Regni Poloniae Primas. Abſens.

MICHAEL OGINSKI, Palatinus Vilnenſis. Abſens.

Prin-

Princeps AVGVSTVS CZARTORYSKI, Generalis Roxolaniae Palatinus, Regnique Copiarum Imperator Vicarius, ac Foederatae totius Reipublicae Mareſchalcus.

ALEXANDER SAPIEHA, Palatinus Polocen. Exercitus Lituanici Dux Campeſtris.

ADALBERTVS OPALINSKI, Generalis Palatinus Maſoviae. Abſens.

ANTONIVS MORSKI, Caſtellanus Leopolienſis.

STANISLAVS DEMBINSKI, Caſtellanus Woynicenſis.

IOANNES HORAIN, Caſtellanus Breſtenſis in Lituania. Abſens.

THADAEVS BVRZYNSKI, Caſtellanus Smolenſcenſis. Abſens.

CASIMIRVS KARAS, Caſtellanus Viſnen. Curiae Regiae Mareſchalcus.

ANDREAS MLODZIEIOWSKI, Regni Procancellarius.

IOACHIMVS CHREPTOWICZ, Magnus ſaecularis Lituaniae Secretarius. Abſens.

HYACINTHVS MALACHOWSKI, Regni Referendarius.

Princeps CASIMIRVS PONIATOWSKI, Supremus Regii Cubiculi in Regno Praefectus.

ROCHVS KOSSOWSKI, Curiae Regni Theſaurarius.

HIERONYMVS WIELOPOLSKI, Regii Stabuli in Regno Supremus Praefectus.

ANTONIVS TYZENHAVZ, Regii in Lituania Stabuli Supremus Praefectus. Abſens.

AVGVSTVS MOSZYNSKI, Regni Dapifer.

Princeps IOSEPHVS CZARTORYSKI, Lituaniae Dapifer. Abſens.

XAVERIVS BRANICKI, Regni Subdapifer.

ANDREAS OGINSKI, Lituaniae Enſifer.

IGNATIVS POTOCKI, Pincerna Regni. Abſens.

STEPHANVS OLENDZKI, Pincerna Lituaniae.

FRANCISCVS RZEWVSKI, Regni Notarius Campeſtris, Regiaeque Maieſtatis, ac Foederatae Reipublicae, ad Ruſſiarum Imperatricem, Legatus. Abſens.

IOSE-

IOSEPHVS SOSNOWSKI, Notarius Campeſtris in Lituania.

Princeps STANISLAVS LVBOMIRSKI, Supremus Regni Excubiarum Praefectus.

Princeps AVGVSTVS SVLKOWSKI, Magnus Regni Notarius.

HYACINTHVS OGRODZKI, Magnus etiam Regni Notarius.

Princeps ADAMVS CZARTORYSKI, Generalis Podoliae Praefectus.

IOANNES ZAMOYSKI, Praefectus Lublinenſis. Abſens.

CASIMIRVS RACZYNSKI, Czerwonogrodenſium Praefectus, Foederataeque Poloniae Maioris Mareſchalcus.

IGNATIVS PRZEBENDOWSKI, Praefectus Pucenſis atque Mirachovienſis. Abſens.

IOANNES CHODKIEWICZ, Praefectus Wielonenſis in Samogitia. Abſens.

ROSTKOWSKI, Gubernator Tyszowicenſis. Abſens.

Princeps MICHAEL PONIATOWSKI, Commendatarius Abbas Cervenenſis.

Iis enumeratis, iubente Rege, Cervenenſis Abbas, Princeps *Poniatovius*, deſignatus Eques, conſtitutusque ſimul Eleemoſynarius atque Secretarius, praeſcriptas Ordini leges recitavit. Quarum ſententia haec fuit: Principatus huiusce heroici Ordinis perpetuus erit, penes SACRAM REGIAM MAIESTATEM, ac ſubſequentes Poloniae Reges. Nemo in eum Ordinem recipietur, niſi tam paterni, quam etiam materni generis nobilitatem, gradibus quatuor probaverit. Creati Equites, Regi ac Reipublicae, incorruptam fidem integritatemque tota vita ſua praeſtabunt. Fortunae inopes, iniuriisque obnoxios, quoquo modo poterunt, iuvabunt. Eo die, quo in Ordinem hunc cooptati fuerint, ſinguli XXV nummos aureos, cognominato ab INFANTE IESV Hoſpitio, ſub ipſa Vrbe Varſavienſi exiſten-

ti,

ti; inferent. Inque eiusdem emolumentum, quolibet anno quatuor nummos, geminosque in uſum Cancellatiae, Ordinis Eleemoſynario rependent. Aſſumpti e Polonica Gente Equites, pro defuncto Collega, XXX Miſſas abſolvi curabunt. Ipſique, eius animae, Divinum Numen precibus ſuis placabunt. Annis etiam omnibus, nummum unum aureum in aerarium Ordinis conferent, ad peragendum, pro toto Equitum Collegio, ſolemne ſacrum, cui a Regia Maieſtate, intra Octavam OMNIVM SANCTORVM, dies certa ſtatuetur. Vnusquisque Eques, ſive Regis lateri adiunctus ſit, ſive ubicunque apud Suam Maieſtatem verſari ipſi contigerit, feſto die S. STANISLAI, Regiae item cum ELECTIONIS, tum INAVGVRATIONIS, Regiorumque NATALICIORVM anniverſaria celebritate, inſignia Ordinis omnino geſtabit. Quisquis iis, ſtato tempore, non uſus fuerit, a Collega inſignibus conſpicuo acriter monebitur. Aureoque uno nummo, in rem egenorum convertendo, mulctabitur. Conventus huius inclyti Ordinis, Divi STANISLAI die, Varſaviae in SANCTAE CRVCIS Templo celebrabitur. Poſtque ſolemnem Miſſam atque Concionem, novi Equites creabuntur. Si quispiam Eques, Rege inſcio, alterius Ordinis inſigne ſibi impetraverit, ac publice geſtaverit, albo Equitum S. STANISLAI eradetur. Quicunque etiam in poſterum, e Gente Polonorum, absque Regiae Maieſtatis permiſſu, in externum aliquem Ordinem fuerit aſcitus, ab heroicis indigenis Ordinibus perpetuo arcebitur.

Quibus perlectis, e praeſentibus Equitibus, ille Parens Polonae Nobilitatis, Princeps *Czartoryscius*, Roxolanicarum Terrarum Palatinus, nominatim ab Ordinis Eleemoſynario atque Secretario, Principe *Poniatovio* rogatus, in ſupremum gradum Regii ſolii conſcendit. Genuaque ſubmittens, coram Maieſtate Regia, praeeunte Regni Procancellario, ſe auditas conditiones, omni ratione ſervaturum, Nobilitatis ſacramento, ſeſe obſtrinxit. Impoſi-

poſitum deinde ei eſt, a Rege, Ordinis inſigne. Geminaeque ſcapulae Regali enſe leviter ictae. Datum quoque ipſi, a Rege, pectorale Equitum ornamentum. Princeps denique Palatinus dexteram Regis oſculo veneratus eſt. Cui Sua Maieſtas oſculum ad genam retulit.

Praeſentes reliqui Equites, eodem modo, in leges Ordinis iuravere. Eodemque ritu, e manu Regis, inſigne et ornamentum ſumpſere. Rex demum in Regiam reverſus, publico magnificoque apparatu, cum creatis Equitibus epulatus eſt. Ludi ſubinde ſcenici publice editi. Aliaque, viſu et auditu iucunda, exhibita: quae Populi gaudium ac laetitiam cumularent.

CXLVII.

Pieridum lumen, *Staniſlaus Konarſcius*, in ORDINEM EQVITVM DIVI STANISLAI, A SERENISSIMO ET POTENTISSIMO STANISLAO AVGVSTO, POLONIAE REGE, MAGNOQVE DVCE LITVANIAE, VIII. IDVS MAIAS MDCCLXV. INSTITVTVM, hoc epigramma ſcripſit:

Forte triennalem tumulo qui ſuſcitat umbram,
Qui dat lucem oculis, verba ſonumque labris:
Praeſidium Vobis, o Rex, Equitesque Poloni,
Praebet, et auſpicium Nominis ille ſui!

Ely-

Elyſiis animam reducem prout evocat oris
Vis divina Viri, reſtituitque hominem;
Sic et Vos Patriae vitam, Regnoque ſalutem,
Et decus, et veteres reſtituetis opes.
Iſta ſibi Cives promittere, vaticinari,
Sperare, et Rex, et Regius Ordo iubet.
Virtutem revocant nam PRAEMIA Regis avitam;
EXCITAT atque novus pectora lenta calor.
O ſalve Lux prodigiis caeleſtibus alma!
Ecquae Sarmatiae clarior ulla nitet?
ORDINIS, et magni coëunt Natalia REGIS!
Aeternum reddent haec monumenta diem!

CXLVIII.

Rex, circa initia imperii, probum, clarumque in Republica virum, *Ioannem Stadnicium*, Cracovienſi Cathedrali Decanatu impertivit. Exſtincto nunc *Wieloglowscio*, in dignitate Cathedralis Scholaſtici, *Franciſcum Czerny*, doctrinae ac prudentiae, gravitatisque laude florentiſſimum, ſuffecit. Commendatarius Andreovienſis Abbas, Cracovienſisque Cathedralis Canonicus, *Adamus Przerembscius*, doctus, modeſtusque, et integer adoleſcens, multisque et magnis in rebus ſingulariter ſpectatus, Eccleſiaſtici Iudicis honore, in minoris Poloniae Tribunali, fungitur. Idemque a Principe, Cracovienſium Praeſule, generalis in Curia Epiſcopali ſua Auditoris atque Iudicis muneri, deſtinatur. Premiſlienſis Cathedralis Eccleſiae Decanatus, a Regia Maieſtate datus eſt, *Michaeli Witoſlawscio*, excellenti animo ac vir-

tute praedito. Generalis ibi Vicarii atque Officialis locus, cultiſſimo humaniſſimoque viro, Cathedrali nempe Primicerio, *Stanislao Wykowscio*, aſſignatus. Poſt *Lamparscii* mortem, Poſnanienſis Inſignis Eccleſiae S. MARIAE MAGDALENAE Collegiatae Praepoſitura, Cathedrali iterum obtigit Canonico, Curiaeque Epiſcopalis ſummo Auditori ac Iudici, *Stephano Skrzebowscio*, formae gratia, ingeniique ſuavitate, et vitae univerſae aequabilitate, clariſſimae et nobiliſſimae Civitati mire accepto.

CXLVIII. b.

Vladislavienſis Epiſcopus, *Antonius Caſimirus Oſtrowscius*, gravitatis atque humanitatis, ſapientiaeque et fidei laude conſpicuus, a Rege Thorunium, principem Pruſſiae urbem miſſus, Suae Maieſtatis nomine, ſolemne iusiurandum excepit. Magnifico ac prope regio apparatu cultuque introductus, ita congregatum Magiſtratum, reliquosque praeſentes Ordines, allocutus eſt:

Sapienter obſervatum eſt, Respublicas optime iisdem gubernari, quibus ſtetere principiis. Horum bene memores Illuſtres Provinciae, Inclytaeque Civitates Pruſſiae, uti olim ſponte et benevole dulci Regum Noſtrorum libertatisque imperio ſeſe dediderant, ita et deinceps, Maiorum exemplum moremque ſemper ſecutae, noviter electis coronatisque Principibus, inviolabilis fidei

dei Sacramentum, et clientelam ultro, libere; ac libenter innovare ſunt ſolitae.

Hac ratione, et Reges de conſtanti erga ſe civium animo ac amore, et Cives de Regia in ſe benevolentia, caritate, perpetuaque iurium ſuorum tutela, proinde et de Reipublicae ſalute, certi invicem ſecurique redduntur.

Hae cauſae ſunt, quae Sereniſſimum ac Potentiſſimum STANISLAVM AVGVSTVM, nuperrime coronatum Poloniae Regem, et Dominum Noſtrum Clementiſſimum permoverunt, ne, quoad per tempus licuiſſet, Sua veſtraque omnium deſideria diutius prorogaret.

Quamobrem me, honorificentiſſimo Sui Legati ornatum munere, ad hanc cumprimis, Civitatum Pruſſicarum facile Principem et caput, Thorunenſem Civitatem, deſtinare dignatus eſt, ad recipienda, quae vos praeclari, Praenobilis Magiſtratus, Cives, et populus, Suae Maieſtati ultro offertis, fidei ac veſtrae, erga Se, ſincerae voluntatis ſolemnia teſtimonia.

Si, ſecus ac optarat AVGVSTVS Noſter, rationibus Reipublicae in Regia non fuiſſet detentus, Pruſſiamque ſuam, nulli alteri praeſtantiſſimae Regni ſui Parti ceſſuram Provinciam, praecipuum coronae ſuae decus et gemmam, quo flagrabat deſiderio, adire Ipſemet potuiſſet; ſpectaſſetis in Eo Regem et Patrem: recognoviſſetis in Eo cariſſimum Illum vobis omnibus divorum IAGELLONVM, maternas per venas derivatum, ſanguinem: admirati in Eo fuiſſetis ſingularem religionem, et pietatem, incredibilem ſapientiam, iuſtitiam, clementiam, comitatem, prudentiam, fortitudinem animi, omnesque, quibus eum regnare natum ſuperi et natura cumulatiſſime exornarunt, Regias vere in Eo virtutes, et dotes. Sed iam aliunde non dubito pulcherrimam horum omnium Eius ornamentorum, veſtris mentibus, ita iam haerere imaginem, ut et vobis, et univerſo Regno, talem divinitus conceſſum eſſe Principem, certatim gratulemini.

Sperandum, certiſſimam Illi a DEO O. M. affuturam opem, qua veſtram, totiusque imperii, et patriae, e praeſenti ſtatu, fortunam erigat.

Huic ſuorum bono dum Sacra Regia Maieſtas omni quam maxima ſollicitudine invigilat atque conſulit; cum vos, Spectabilem et Praenobilem Magiſtratum, Cives, ac populum, de Sua erga vos benevolentia, iuriumque ac utilitatum veſtrarum cura, et praeſidio, per me certiores reddit: ingens profecto paterno Eius pectori accedet ſolatium, cum de praeſtito a Fidelitatibus veſtris, ad quod religioſe excipiendum miſſus ſum, fidei iureiurando, Sacra eadem Regia Maieſtas, per me, quantocius edocebitur.

Pro tota civitate, a veterrimo eius Conſule, Regioque tunc Burggravio, *Chriſtiano Klosmann*, verbis his reſponſum:

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI STANISLAI AVGVSTI, DEI GRATIA REGIS POLONIAE, MAGNI DVCIS LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIIOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE ET CZERNIECHOVIAE, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI, ILLVSTRISSIME, REVERENDISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE LEGATE.

DOMINE GRATIOSISSIME.

Si caliginoſa nocte naufragio proximis, quos mare fluctibus tumidum, ac caelum nubibus minax, de imminenti vitae periculo anxios reddiderat, ſi inquam his inſtans malacia, ac caeli ſerenitas ſummo et incredibili eſt gaudio: ea ſane et noſtra eſt ſors, qui, variis iisque tri-

triſtiſſimis tempeſtatibus hoc Interregni tempore iactati, ſingulari Dei beneficio, perſpicaci denique cura omnis memoriae facile Principum Neſtorum huius Regni, in electo Rege Clementiſſimo Indulgentiſſimoque, non ſolum calamitatem a nobis detractam, ſed quietem pacemque publicam aſſertam experti ſumus laetabundi.

Inaugurato enim iam feliciter Sereniſſimo ac Potentiſſimo STANISLAO AVGVSTO, in quo nova progenies caelo demittitur alto, Tuus noſterque regnat Apollo. Proſpera illa lux oritur, qua et nobis, ut ex ſuperioris anni caligine et tenebris caelum ſerenius intueri poſſimus, obtingit felicitas. Infinitas Deo Omnipotenti, Sereniſſimo Regi, et magnorum Nominum Proceribus Regni, agimus debemusque gratias, quod illius moderamine divino, horum indefeſſo ſtudio ac ſollicitudine, quae ſingula annis praeterlapſis, et a largitore omnis boni munera, et a Sereniſſimis Poloniae Regibus iura ac immunitates, et a Maioribus noſtris beneficia obtinuimus, univerſa hoc tempore nobis pacifice utenda reddita ſunt benigniſſime.

Omnes hanc Civitatem inhabitantes, quorum mentes gaudia pertentant maxima, deſiderata ſiquidem magis quam percepta delectant, exſultant laetitia, votaque pro incolumitate Sereniſſimi Regis, qua publica continetur ſalus, fundunt ſollemnia. Augetur innumeris modis haec animorum exſultatio, cum per *Illuſtriſſimam* ac *Reverendiſſimam Excellentiam Veſtram*, certiſſimum voluntatis et benignitatis *Sacrae* et *Sereniſſimae Regiae Maieſtatis, Domini Noſtri Clementiſſimi*, interpretem, ore eius facundiſſimo certiores redditi ſumus, nos et Regem Clementiſſimum, et Patrem Patriae, in ſervandis iuribus, ac in tutamine nobis largiendo, munificentiſſimum habituros. Exoſculamur demiſſo poplite hanc exuberantem *Regis Optimi* gratiam abſentiſque dextram, *Illuſtriſſimam* vero ac *Reverendiſſimam Excellentiam Veſtram*, ornamentum huius ſaeculi, una cum iunctis ſibi ad hodiernum actum teſtibus digniſſimis, cultu tenerrimo, laetantibus animis ac plauſibus, ſalutamus veneramurque. Solet aliquando doloris ſenſum lenire, eiusque acerbitatem imminuere, ſi conquerendi datur poteſtas.

ſtat. Conſtitutum itaque mihi fuit, tam aequanimi Legato Regio, inſignique Reipublicae Senatori, calamitates omnes, quibuscum per decurſum ſexaginta annorum colluctandum fuit, pro levamine aliquali, debita veneratione inſinuare, quae tanto acerbiores, quanto diuturniores. Quo infirmior etenim Civitas, non culpa ſua, ſed propter fidem Sereniſſimo olim glorioſiſſimae memoriae *Auguſto* ſecundo et Reipublicae ſervatam, per obſidionem illam Suecicam facta, eo graviores etiam abhinc, concatenata quadam ſerie, iniurias undiquaque inter gemitus et ſuſpiria paſſa eſt patiturque. Aſt iuſtus animum ſubit metus, ne in exponendis recenſendisque malis ac cauſſis, quae felicitati noſtrae obſtant, plus iuſto ſim prolixior, aut odium potius, commune Civitatum Maiorum fatum, quam miſericordiam excitem, patientiaque *Illuſtriſſimae* ac *Reverendiſſimae Excellentiae Veſtrae* abutar. Proinde omnia ad commodius temporis reiicio momentum.

Id ſaltem omnium loco meminiſſe liceat, fuiſſe olim Civitatem hanc in Pruſſia, et pulcherrimam, et commerciis florentiſſimam: ſed quod permittente divina providentia id eſſe deſierit, perquam obſervanter rogamus, ne *Illuſtriſſima* ac *Reverendiſſima Excellentia Veſtra* nos ideo deſpiciat; quin potius commiſerans Civitatis fortunam, ut eo ardentius a *Rege munificentiſſimo*, tanquam caelo ad redintegrandam omnium proſperitatem miſſo, inſurgentibus nunc nobis procellis interitum nobis minitantibus, opem, auxilium, clementiamque efficaciſſimam exorare gratioſiſſime velit, precibus contendimus enixiſſimis.

Regium ſane, immo non Regium, ſed divinum erit documentum, ſi rebus attritis et labefactatis Civitatis, Magnus noſter Heros ſuccurrere, et inter initia feliciſſimi Regiminis ſui, nos ad peculiarem indulgentiam Eius pertinere, facto clementiſſimo comprobare dignabitur.

Quam maximam virtutum amplitudinem, in aevum ſummis elogiorum titulis commonſtraturi, poſteritati reſtauratorem felicitatis noſtrae aeternum depraedicabimus.

Ple-

Pietas devotiſſima, qua Regem longe clementiſſimum colimus, nos in hac ſpe indubia obfirmat, cum, ut ſolis primo vere omnia refocillare ac revivificare, ita Regiae indolis benefacere, ſit attributum indiſſolubile, et Maieſtatis faſtigium non niſi in incrementis ſubditorum reſplendeſcat.

Hac fiducia erecti, in humillimam gratitudinis et ſubiectionis teſſeram, obſequia nunquam non conſtantiſſima, bona, immo et vitam ipſam, qua nihil carius, lubentiſſime offerimus et devovemus.

Supremum Regnorum univerſi huius moderator, cuius divino aſſenſu Poloniae thronum conſcendit, largiatur pro immenſa ſua gratia Sereniſſimo et Potentiſſimo Regi ſceptrum perenne, vitam longaevam, immo, ſi id a Deo impetrandum foret, immortalem, tranquillitatem priſtinamque felicitatem ac decus Regno univerſo, ut nemo non gloriari poſſit, rediiſſe cum Sereniſſimo STANISLAO AVGVSTO felicia regna.

Iam iam ad explendum officii debitum, et fidem, quam Maiores noſtri, ab ipſa ad Regnum Poloniae acceſſione, ſervarunt illibatam, iure iurando firmandam, Senatus, Scabini Iuſtitiae Miniſtri, Tertius Ordo ex civibus dignioribus lectus, immo et omnes, ac ſinguli cives congregati, ſeſe ſiſtunt paratiſſimos.

Faſtis Conſularibus diem hodiernam, ex perſonae dignitate glorioſam, ex actus celebritate ſalutarem, conſignandam ſedulo curabimus.

Vtque ſupremum Numen omnia peragenda proſpera, feliciaque eſſe iubeat, mente devota precamur.

CXLVIII. c.

Idem magnus Praeſul Legatusque, IN ACTV HOMAGII CIVITATIS ELBINGENSIS, hunc ſermonem habuit:

Nulli ſubiacet dubio, Nobilis ac Spectabilis Magiſtratus, Cives, et Populus, Vos, clariſſimamque Civitatem Veſtram Elbingenſem, ut inter dignitate primarias, ſplendidas, omnique florentes induſtria, ita et inter fideliſſimas, optimeque affectas Sereniſſimo ac Potentiſſimo STANISLAO AVGVSTO, Regi Poloniae, cenſeri oportere.

Dedit haec celebris fortisque Civitas, iam a prima ad Rempublicam libera, ac alacri acceſſione, variis iisque etiam difficillimis temporibus, tanta fidei, amorisque, erga Noſtros, Suosque Principes, argumenta, hac ut laude, nulli tam unquam ceſſiſſe, palam ſit iis, qui in monumentis rerum Pruſſicarum quoquomodo verſati ſunt.

Specto quidem et nunc ipſemet, cum incredibili animi voluptate, quam omnes praeclari Ordines mutuo certare videantur, ut Regi Clementiſſimo, ſuam quisque benevolentiam, alacritatem, ac ſubmiſſionem abunde teſtatam faciat; e tam egregio ſcilicet apparatu, perinde ac e geſtientium frequentiſſimorumque Civium laetitia, ſincerae mentes omnium, et optima in Principem voluntas, clare omnino elucent.

Non itaque neceſſitatis, (cum Suae Regiae Maieſtati de fide, et caritate erga ſe veſtra, pleniſſime conſtet,) ſed duntaxat priſcae, ac laudabilis conſuetudinis cauſa, Rex, et Dominus Noſter Clementiſſimus, miſit me ad Vos, cum honorificentiſſimo mihi, Legati, et Commiſſarii munere, ad recipiendum pro more veteri fidelitatis, et obedientiae Veſtrae Sacramentum; magis autem ad Vos, Nobilis ac Spectabilis Magiſtratus, Cives, ac Populus, certiores reddendo, quantum Regiae eius Maieſtati, Iura, Privilegia, et commoda Veſtra, cordi, paternaeque ſunt curae, et ſemper futura ſint.

Praeſes autem civitatis, *Ioannes Iacobus Möller*, in hanc fere ſententiam reſpondit:

SACRAE,

SACRAE, AC SERENISSIMAE REGIAE MAIESTATIS POLONIARVM, MAGNE LEGATE REGIE, ILLVSTRISSIME, REVERENDISSIME, ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE EPISCOPE VLADISLAVIENSIS ET POMERANIAE.

DOMINE, AC DOMINE LONGE GRATIOSISSIME.

Inſigne, et non celebrandum ſatis unquam, Divinae Providentiae munus eſſe agnoſcimus; quod poſt luctuoſiſſima fata Sereniſſimi ac Potentiſſimi quondam Regis, ac Domini Noſtri, AVGVSTI III, Principis pii, iuſti, magnanimi, munificentiſſimique, viduato Sarmatiae throno, concordibus liberae gentis ſuffragiis, ſuffecerit iterum Sereniſſimum ac Potentiſſimum Principem STANISLAVM AVGVSTVM, Regem ac Dominum Noſtrum in praeſens Clementiſſimum: Principem ex ipſo Inclytae Nobilitatis gremio oriundum, virtutum omnium praeſtantiſſimarum, poſt Patrem et Matrem, utriusque Maiores Illuſtriſſimos, ex aſſe heredem: Principem ſapientiſſimum, iuſtiſſimum, fortiſſimum, indulgentiſſimumque; qui quidem ſicuti ſtatim, circa auſpicatiſſima auguſtiſſimi Regiminis primordia, omnibus univerſim populis, et ſubditis ſuis non minus Regem, quam Patrem ſeſe exhibuit indulgentiſſimum, ita eadem Regia et paterna clementia commotus, Civitatum Pruſſiae Maiorum Iura et Privilegia avita, ex parte coaeva, nec ſiue Maiorum ſanguine parta, clementiſſima confirmatione denuo roboravit; inſuper Civitati huic in ordine quidem reliquarum, neutiquam vero pietate erga Reges ſuos, ulli alteri ſecundae, in reſtaurandis, quibus temporum fatorumque iniuria lapſae, felicitatibus clementiſſimam, et vere Regiam appromittendo opem. Non vano hinc fuit augurio, quod ad primum ſtatim pacifi-

[illegible]terque peractae Electionis nuntium, incredibile [illegible]iam animos noſtros occupavit gaudium, ita quidem, ut [illegible]repudiantibus ſimiles, novo Regi ex omnibus optimo, nos noſtraque omnia devoveremus, nihil ad fidelitatis ſimulque felicitatis complementum ſupereſſe reputantes, quam ut Regi pacifice Electo et feliciſſime Inaugurato fidem, pietatem, et obſequium ſolemni iuramento, more rituque conſueto, obſignaremus. Illuxit iam illa dies, advenit hora et Regiae voluntati, et noſtris votis velificatura; quocirca novum Regiae clementiae oculis noſtris ſeſe ſiſtit documentum in eo, quod S. R. Maieſtas D. N. Clem. pro recipiendo homagio, ad nos delegare voluerit praeſentem, Regio loco inſidentem, Magnum Legatum Suum, Illuſtriſſimum Rev. ac Excellentiſſimum D. Epiſcopum, Fautorem Civitatis huius a multis iam retro annis gratioſiſſimum, virum non minus Senatoria ac Praeſulea dignitate conſpicuum, ſed etiam virtutum omnium, quae tanto Senatore, tanti nominis Praeſule, ornant Poloniam, decore fulgentiſſimum.

Iuvabit, Collegae, Cives amantiſſimi, iuramentum fidelitatis in eiusmodi deponere manus, quas in omnibus Civitatis deſideriis auxiliatrices cognovimus, iuvabit et proderit omnino eiusmodi teſtem fidelitatis, et ſimul oratorem pro ſalute noſtra habere, quem apud Sereniſſimum gratia multum valere, ex ipſis Regiis cognovimus Litteris.

Salve igitur, *Magne Legate Regie!* Salve, *Illuſtriſſime, Reverendiſſime*, ac *Excellentiſſime Domine Epiſcope!* Salve, *Maecenas*, profundiſſimo venerationis cultu aetatem proſequende!

Recipe, Regio iuſſu, iuramenta fidelitatis, ad quae explenda ſummam in nobis omnibus deprehendis alacritatem, nec minorem apud Cives in foro congregatos viſurus.

Recipe vota, pro diuturna Regii corporis incolumitate, pro Regimine omni ex parte feliciſſimo, hac veluti ſumma comprehenſa.

Pet

Det *Regi* aetatem, det fortunam, DEVS, ſervetque animum, quem dedit.

Accipe inſimul vota, precesque ardentiſſimas, quibus Te, omnibus felicitatum, et divinarum benedictionum generibus abunde affluentem, rebus humanis, et noſtris ſimul diu incolumem, ſupereſſe cupimus, et vovemus.

Faxit caeteroquin Numen T. O. Maximum, ut, qui nunc ſubſequetur homagialis actus, cedat in Divini Nominis gloriam, in Regis optimi voluptatem, et Civitatis huius clientis perpetuum emolumentum. Dixi.

CXLVIII. d.

Idem ille graviſſimus atque clariſſimus Antiſtes, fidelitatis ſacramentum a Civitate Gedanenſi accepturus, coram urbis iſtius Ordinibus, hunc in modum locutus fertur:

Novit Sereniſſimus ac Potentiſſimus STANISLAVS AVGVSTVS, Dominus Noſter Clementiſſimus, quanto Regni Eius diadematis ornamento, quantae Regni Eius utilitati et commodo ſit Dantiscana Civitas, una e celeberrimis, floreutiſſimisque Europae Emporiis, Regibus ſemper fideliſſima, Reipublicae in proſperis et adverſis coniunctiſſima. Optavit Ipſemet, optimus ſuorum Princeps, eo Vobiscum, Inclyte et Praenobilis Spectabilisque Magiſtratus, praeclari Cives et Popule Gedanenſis, frui oblectamento, quo amantiſſimus quivis Pater, corona ſuorum liberorum cinctus, diffluere propemodum ſolet; ſed cum rationes et momenta ſuſcepti recenter Imperii, Maieſtatem Eius, in Regia omnino detineant, ſentit ſane optimus Principum, maxima Se, Suos Gedanenſes videndi, voluptate privari. Interea, ne et ea, quae ſunt Regiarum partium erga praeſtantiſſimam hanc Vrbem, et illa, quae ſunt officii eiusdem inclytae Vrbis erga Maieſtatem, diutius differantur, deligere voluit, et delegit Rex Clementiſſimus ad Vos Legatum, quo quidem multis aliis rebus praeſtantiorem,

reperire potuit, ſed nullum profecto Gedanenſibus amiciorem, nullum cum Magiſtratu et Populo Veſtro coniunctiorem, nullum rerum dignitatisque verae ſtudioſiorem.

Palam enim id poſſum fateri, eſſe neminem, qui me melius clariusque intelligat, quam fortuna rationesque Civitatis Veſtrae, cum fortuna et rationibus Regni et Reipublicae Noſtrae iunctae communesque ſint, quantum cohaereant, quantum ſeparari omnino nequeant. Ita quidem, ut Dantiscanis bene velle, bene precari, ac pro viribus opitulari, perinde ſit ac bene velle, bene precari, ac opitulari univerſae Reipublicae Noſtrae. Paucis dicam: florentibus rebus Veſtris, florere magna parte et Noſtras oportet. Tam arctum vinculum, tanta utilitatum aeque ac detrimentorum communio! Nexum hunc iam indiſſolubilem, uti Praenobilis Magiſtratus, Cives, et Populus Gedanenſis, ſecundum quamvis felicem inaugurationem Poloniae Regum et Dominorum Veſtrorum, innovare Vobis ſolenne eſt, ita hoc fine, S. Regia Maieſtas, Dominus Meus Clementiſſimus, me Provinciae Veſtrae incorporatum et Indigenam, delegare ad Vos non dubitavit, ac honorificentiſſimo recipiendi a Vobis ſoliti Iurisiurandi munere, me cohoneſtare dignatus eſt. Id quod ego mihi peramplum, maximo honori, maximae etiam gloriae mihi duco, ſemperque ducam. Vos iam, Inclyti Civitatis Ordines, quod maxima alacritate et pari religione ſoletis erga amantiſſimum Veſtri Principem praeſtare officium, mea intererit, et quantocyus dato S. Regiae Maieſtati de re feliciter peracta nuntio, incredibilem Eidem maturius accelerare voluptatem, et deinceps opportunam quamvis occaſionem quaerere, quo Inclytae huic Vrbi conſtet, me rationibus commodisque Eius, quae commodis Patriae meae ſemper accenſeo, quoad vixero, eſſe et fore ſemper addictiſſimum.

Ad

Ad ea, huiusce urbis Syndicus, *Gotfridus Lengnich:*

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI STANISLAI AVGVSTI, DEI GRATIA, REGIS POLONIARVM, MAGNI DVCIS LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE ET CZERNIECHOVIAE:

Ad excipiendum, in Regium Nomen, a Civitate Gedanenſi Iusiurandum,

EXCELLENTISSIME DOMINE LEGATE, ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME DOMINE EPISCOPE VLADISLAVIENSIS, ET POMERANIAE.

DOMINE BENIGNISSIME.

Divina providentia, Cuius altiſſimos receſſus penetrare, mortalibus negatum eſt, exemto rebus humanis *Auguſto Tertio*, Rege nuper, et Domino Noſtro clementiſſimo, Sereniſſimum STANISLAVM AVGVSTVM in ſummum faſtigium evexit, cum privatus, indole, animo, virtutibus, ſcientiis, inter ſuos cives ita emineret, ut unus Ille, futurae felicitatis fiducia, cunctis ſuffragiis, contradicente aut haeſitante nemine, eligeretur, qui nutantem Regni molem ſubiret, feſſam diſſenſionibus Rempublicam ſuſciperet, diſtractas mentes ſalutaribus legibus iungeret, ſtrictos in caedes inteſtinas enſes retunderet, et qui ſtrinxerant, exarmaret.

Habet Gedanum, quo ſe iactet et glorietur, Principem colere et revereri, cuius pueritiam in ſinu ſuo fovit, qui ſub eius oculis inſtitutus, egregiis praeceptis

ad

ad magna formatus, et a ſuis Parentibus edoctus: civitatem hanc habere alteram patriam, illi favere, aliquando prodeſſe, ac eius nunquam non meminiſſe. Superſunt, qui haec, et alia urbi honorifica audiverunt, ex quibus nemo praevidere poterat, ea futuro Regi dici, eiusque clementiae civitatem iam tum commendari; illis ipſis qui commendabant ignorantibus: quippe craſſis circumfuſa erant tenebris, et caligine denſa involuta, ut quae DEVS deſtinaſſet, etiam providentiſſimis manerent occulta.

Quid igitur laetius, quid iucundius, quid exoptatius nobis, et univerſae civitati contingere potuit? quam Regni gubernaculis admotum eſſe Principem, intra noſtra moenia educatum, doctrina imbutum, domeſticis exemplis ad illuſtria incitatum, cuiusque ingenium admirati omnes, quibus illo tempore propius inſpicere contigerat, et de quo, cum abſens eſſet, nil niſi laudabile, niſi excellens, niſi quod conſpicuum omnium oculos menteſque adverteret, fama et nuntii uno quaſi ore ad nos deferrent. Et quid ſolos nos memorem? cum exteras regiones, quas peregrinando adiit, et adiit bene multas, admiratione ſui impleverit, ut maxima Europae pars ſuffragaretur, cum rumor incederet, mox increbreſceret, tandem ex certis nuntiis conſtaret, unum STANISLAVM PONIATOWSCIVM, praeferri cunctis Piaſtis, qui in orbatum Principe ſuo Regnum ſuccederet. Silentio veneror, potentiſſimorum in vicinia Principum commendationem, et quid olim ſenſerit, univerſae Ruſſiae Imperatrix, immortalis memoriae *Eliſabetha*, cum Legatum Regis ſui cauſam facunde non minus, quam fortiter perorantem audiviſſet.

Quare dies illi, vere feſti nobis fuerunt, quibus peractam Electionem et Inaugurationem, inter ſupplicationes, vota, gratulationes, plauſus, et alia publicae laetitiae ſigna celebravimus, cunctis, nullo conditionum, aetatis, ſexus diſcrimine, exultantibus. Civitatis vero Ordines nihil omiſerunt, quo novo Regi, pietatem, fidem, obſequium teſtificarentur, maiorum etiam exempla ſupergreſſi, cum difficile ſit, amori, quando vehemens et ardentior, limites ſtatuere, quibus coërceatur.

Et

Et quidem Rex Sereniſſimus, qui, tantam enim in ſumma fortuna ſervat moderationem! non dedignatus, ſe veterem Gedani alumnum, et civitatem pretioſiſſimam diadematis ſui gemmam nominare, illi tutelam, praeſidium, indulgentiam perennem, et omnia, quibus ex florente florentiſſima reddi, opesque eius augeri queant promiſit, et iura, privilegia, immunitates, probatasque omni tempore conſuetudines, ad Sereniſſimorum Deceſſorum exemplum, confirmavit clementiſſime: ut iam nihil ſuperſit, quam ut civitas viciſſim ſuam fidelitatem ſolenni modo profiteatur, et conceptis verbis iuret publice.

Hoc ut fieret, placuit Sereniſſimo Regi, Illuſtriſſimam et Reverendiſſimam Excellentiam Veſtram legare, ut iusiurandum, in Sacrae Regiae Maieſtatis Nomen, ab univerſa civitate exciperet. Quod novum Regiae indulgentiae documentum: mitti Regni Senatorem, et quidem ex primis; Regis gratia florentem; Vladislavienſem, Pomeraniae, et civitatis huius Praeſulem: iurium noſtrorum Patronum et Aſſertorem; benignitate in nos incomparabilem; deſideriis noſtris promtiſſimum et obvium: ut graviorem iurisiurandi teſtem, quique efficacius alacritatem in praeſtando, Regiae Maieſtati commendaret, exoptari non potuiſſet, ſi nobis licuiſſet votis impetrare.

Clementiſſimae Regiae voluntati parituri, et ad quod obſtringuntur, praeſtituri, adſunt omnes civitatis Ordines, adſunt veteris civitatis Scabini, confluxerunt cives et incolae, quorum multitudinem forum, ſatis alias ſpatioſum, vix capit, oculis, vultu, geſtibus, habitu gaudium praeferentes, quod Regi iuraturi, cuius Maieſtatem opibus, ſanguine, vita tueantur, digniſſimo. Quos vero aetas aut ſexus arcet, quo minus adſint, aedium quae forum circumdant, feneſtras complent ſpectatores, ne tectis quidem vacuis, ut dum patres, mariti, filii, fratres ſacramentum dicunt, pro vita et incolumitate Principis, tacitis precibus DEO ſupplicent, ne qui hodie iurant, hoc ſuum iusiurandum repetendum habeant unquam, ſed quando per mortalitatis legem longius non licet, ad nepotes aut pronepotes transmittatur.

Ego

Ego vero publicus urbis orator, Sereniſſimo Regi, Domino Noſtro Clementiſſimo, ut pium civem decet, venerabundus, more veterum, acclamo: STANISLAE AVGVSTE, *Princeps optime*, *DEVS Te ſervet!* STANISLAE AVGVSTE, *Tuorum populorum Pater*, *DEVS Te ſervet!* STANISLAE AVGVSTE, *publicae ſalutis Cuſtos*, *DEVS Te ſervet!* Imperes Polonis, Lituanis, Pruſſis, et huic Tuae urbi, Regibus ſuis ſemper fideli, diutiſſime, feliciſſime, glorioſiſſime!

Illuſtriſſimae et Reverendiſſimae Excellentiae Veſtrae, civitatis Ordines, ſubmiſſas easque maximas gratias agunt, quod legationem ad excipiendum iusiurandum non detrectaverit. Agnoſcunt inde ſingularem in ſe benevolentiam et affectum, quo ſe dignos reddere, omni tempore, etiam atque etiam allaborabunt, memoriam tanti beneficii, per acta diurna, et annales, ad ſeram poſteritatem translaturi, ut nulla intercipiat aetas, nulla deleat oblivio. In praeſens Illuſtriſſimam et Reverendiſſimam Excellentiam Veſtram iidem Ordines, qua fas eſt, obſervantia et mentis ſubmiſſione orant et obſecrant, dignetur Sacrae Regiae Maieſtati, civitatem ita commendare, ut Ipſius indulgentia perfruatur perpetuo.

Iam, quod felix, fauſtum, ſalutare, nobis, poſteris, et univerſae huic urbi, evenire DEVS iubeat, iurabunt Patres Conſcripti, et utriusque civitatis Scabini ſimul; poſt tertius Ordo, flos civium et decus; tandem cives reliqui et incolae, ſua quisque voce, cuncti uno animo, adverſus quoscunque caſus, conſtantia obfirmato. Iurabunt Sacrae Regiae Maieſtati, Domino Noſtro Clementiſſimo; Eiusque Succeſſoribus legitimis et primum inauguratis, ex formula ſtatim poſt deditionem D. Caſimiro factam conſtituta, et in hunc diem ſervata et repetita, fidelitatem, inclyto Poloniae Regno et Pruſſiae, per communia iura nobis coniunctiſſimae, in curandis adiuvandisque commodis ſtudium et operam, ea quidem religione, ut DEVM ſibi propitium nolint, ſi hoc ſuum ſacramentum fallant unquam.

In

CXLIX.

In illuſtri Collegio Nobilium, quod doctorum ac ſapientum Presbyterorum Theatinorum fidei atque virtuti commendatum, concreditumque eſt, PATRE PATRIAE, STANISLAO AVGVSTO praeſente, Princeps Polonae Iuventutis, STANISLAVS Dux PONIATOVIVS, Regni Archicamerarii filius, pulchritudine oris, indoleque animi excellens, egregiae multaeque, in geometricis ſtudiis, induſtriae publicum ſpecimen dedit. Princeps ille iuvenis Regem Patruumque ſic compellavit:

SERENISSIME, ET POTENTISSIME REX.

Inter eximias, vereque regias virtutes, quibus e Patrio ſolio undecunque effulges, licet omnium animos in ſui amorem, ac venerationem concilient fortitudo, iuſtitia, ſeveritas, gravitas, magnanimitas, largitas, magnificentia, liberalitas TVA: quas virtutes uti Regum proprias enumerat *Cicero:* illa tamen, vel quia humano generi magis amica, vel quia caeteras omnes ſuavitate quadam et elegantia ſimul coniungit, ſumma nempe humanitas TVA, longe reliquas omnes anteire videtur. Haec, quae fuit TVA praecipua laus, dum adhuc private vivebas, (ſi ille dici poteſt private vixiſſe, qui teneris ab unguibus Patriae bono ſemper vacavit,) nunc praecipue: cum virtute non ſolum, verum et dignitate, Regiisque inſignibus, ſupra caeterorum Civium ſortem es evectus: novo ſplendore, novo quodam modo reſplendet. Admirabamur iam antea, quod omnia quae agebas, ita agebas, ut omnium animos hu-

manitate demereres, uniusculusque benevolentiam conciliares, ad liberalitatem totus factus videreris. At quis ſermone aequare poterit, quam admirationem omnibus ingeris, quoties impraeſentiarum TE videmus cum Civibus TVIS, quaſi cum liberis Patrem vivere: eos agnoſcere, ab iisque viciſſim agnoſci: eosdem nos, Eundem TE putare: parem omnibus, et hoc tantum caeteris maiorem, quo meliorem. Imperium TIBI acceſſiſſe videtur, modeſtiam non abſceſſiſſe. Inde potiſſimum venit, quod a TE Reipublicae tutela ſuſcepta, alii ſe iam ſatis vixiſſe exiſtimant, alii nunc magis vivendum depraedicant. Haec cum ita ſint, quis non videt, nullo me deberi aut metu, aut perturbatione affici, dum ad hoc meum Geometricum tentamen, TE Auſpicem, et Patronum velim, TE optarem praeſentem, et teſtem habere. Quod enim offero munus TIBI non iniucundum fore firmiter teneo. Nec unus eſt, qui neſciat, litteras, bonarumque artium ſtudia, TVA prima ineunte aetate, feliciter a TE fuiſſe exculta: illa vero progrediente, illuſtria magis in animo TVO, atque meliora ſemper facta fuiſſe: demum TE ad clavum Reipublicae huius vocato, per omnes huius vaſti Regni partes, longe lateque ſub TVIS auſpiciis ſe diffundere. Iam ex his ſolum, quae a TE hucusque tanta temporis brevitate ſunt geſta, ſcientiae Statorem, ac Patronum ſuum, TE ſalutare poſſe ſentiunt. Iam quatuor celebratiſſimis litterarum ſaeculis, TVVM quintum annumerare debere cognoſcunt, qui in litteraria hiſtoria verſantur. Iam glorioſum STANISLAI AVGVSTI nomen, inter *Philippos* et *Alexandros*, *Caeſares* et *Auguſtos*, Heroes *Mediceos*, et *Ludovicos* Magnos confunditur. Quid pro litteris iucundius, quam eos habere defenſores, ac vindices, quos antea habuerunt amatores, ac ſtudioſos? Ex eo autem maiorem laudem conſequeris, quod non ad inanem gloriam; ſed quia commodum, utilitatem, publicum denique bonum ſcientiae adferunt; litteras ſuſcitare conaris: quae omnia de TE non palam tantum, ſed ſecreto etiam omnes dicunt: et TIBI, non Principi, dici agnoſcis ſentisque. Talem enim TE experimur, quales alios ſe futuros eſſe pollicentur. O itaque FELICITAS ET LAE-

TITIA

TITIA TEMPORVM: NOVVM SAECVLVM, GLORIA ET REPARATIO TEMPORVM: SAECVLI FELICITAS, PRINCIPIS PROVIDENTISSIMI SAPIENTIA: GLORIA SAECVLI, VIRTVS AVGVSTI! quid nos vetat, veterum *Auguſtorum* titulis, TE concelebrare? Verum ad hoc, ut ego laborum meorum primitias TIBI dicarem, nonne recordor, et ſuaviſſime quidem recordor, quoties ſapientibus TVIS monitis me confirmaſti in litterarum amorem? incredibili patientia de puerilibus meis ſtudiis interrogares? nihil de TVA verenda morum gravitate deponens, parvuli tamen Fratris TVI filii ingenio TE aptares, interrogando, exquirendo, examinando, quae ad meam aetatem convenire tunc poterant? Memini etiam de ſtimulo conſtanti, quem mihi tacite addiderunt praeclariſſima exempla TVA. Haec cum quotidie, REX SERENISSIME, mente revolverem, nihil magis mihi in votis erat, quam ut grati animi mei publicum aliquod teſtimonium TIBI praeberem. Huc contuleram omnem induſtriam, laborem, ſtudiumque meum. Hanc optatam metam attingere, omni conatu contendebam. Quo meliore alio modo dignas TIBI rependere gratias potero, quam oſtendendo meorum ſtudiorum profectu, et TVIS ſuaſionibus acquieviſſe, et expectationi deſideriisque TVIS ſatisfeciſſe. Outinam res ita mihi cedat, ut tanto Principe, tantoque Patruo aliquid dignum exhibeam! Dixi.

Regia autem Maieſtas, quid gratus Sibi, iucundusque Nepos, in eo genere ſtudiorum profecerit, variis ac diverſis quaeſtionibus tentavit. Quas ille copioſe ornateque perſolvit. Eademque, et facilitate, et elegantia ſermonis, Apoſtolico Nuncio, ANTONIO EVGENIO VICECOMITI, Muſis caro pariter ac venerando Praeſuli, reſpondit. Editas GEOMETRICAS PROPOSITIONES, Regiae Maieſtati, ad hunc modum, dedicavit:

STANISLAO. AVGVSTO.

POLONIAE. REGI. MAGNO. LITVANIAE.
DVCI. POPVLORVM. DELICIO.

QVEM. BONO. REIP. NATVM. ET. AD. EFFI-
GIEM. IVSTI. IMPERII.

POLONIAE. DATVM.
AD. SVPREMVM. REGNI. FASTIGIVM.
SAPIENTIA. ET. PROBITAS.
VNANIMI. QVOD. RARISSIMVM. GENTIS.
VOTO. ET. SVFFRAGIO.

EDVXERVNT.
HOMINI. IN. TANTVM. HVMANITATI
AMICO.
VT. ERGA. IPSOS. CRIMINOSOS. SIT. ALI-
QVANDO. INDVLGENS.
CIVI. IN. TANTVM. PATRIAE. ADDICTO.
VT. EIVS. BONO. OPES. VITAMQVE. IPSAM.
PARVI. FACIAT.
PRINCIPI. OMNIBVS. VIRTVTIBVS. REGIIS.
AD. MIRACVLVM. EXORNATO.
OB. CONSERVATAM. QVAMVIS. DIFFICILIO-
RI. INTERREGNI. TEMPORE.
TRANQVILLITATEM.
OB. AVCTAM. QVAMVIS. REGNI. INITIO.
REIP. GLORIAM. INTER. ILLVSTRIORES.
OMNIVM. SAECVLORVM. PRINCIPES.
ADNVMERANDO.

STA-

STANISLAVS. PRINCEPS. PONIATOWSKI.
VT. CVRAE. AC. STVDII.
PROFECTVS. SVI. IN. RE. LITTERARIA.
AB. OPTIMO. PRINCIPE.
DEMONSTRATORVM.
ALIQVOD. GRATI. ANIMI. MONVMENTVM.
EXHIBERET.
PROPOSITIONES. HAS. GEOMETRICAS.
OFFERT. PRO. FAVSTISSIMA. REGII.
NOMINIS. CELEBRITATE.

CL.

Rex, Muſis indulgentiſſimus, in celeberrimo atque florentiſſimo Collegio Nobilium, SCHOLARVM PIARVM, Latinae Polonicaeque facundiae certamini interfuit. E clarioribus genere ingenioque iuvenibus, *Ignatius* Comes *Potocki*, Supremi Rei Tormentariae in Lituania Praefecti filius, Regiae Maieſtati hoc carmen dixit:

Sint Reges aliis, qui humano ſanguine lauros,
Victorumque decus, grandeque nomen emant:
Gentibus et plorata parent ex orbe tropaea,
Heroum populis exitiale genus.
Mitibus a Superis, felix Reſpublica plaude!
REX Sapiens datus eſt, REX Tibi Philoſophus.
Cui, poſt impletas omnes ex ordine partes,
Quae deceant Regem, quae Patriaeque Patrem:
Libri grata quies: libri ſolatia: libri
Delicium: libri pabula: vita libri
Principis ad normam, ſi iam componitur orbis,
E libris Civem nil vetat eſſe bonum.

Niech maią inni Królów, co przez ludzkiey ſpławy
Krwi, Laurow y dumney ſię dokupuią ſławy.
Niechay z świata całego łup żałoſny zdziera
Rod Rycerzow, niech życie Narodom odbiera
Ty Polſko ztąd ſzczęśliwą raczey bądź nazwana,
Zeć łaſkawe Mądrego Nieba dały Pana.
Który wſzyſtkie porządkiem ułatwiwſzy rzeczy,
Jakie KROL, y Oyczyzny Oyciec ma w ſwey pieczy:
Z Xiąg miły odpoczynek, z Xiąg ulgę w zabawie,
Z Xiąg ma roſkoſz, z Xiąg pokarm, y z Xiąg żyie prawie.
Jeśli idzie Królewſkich lud przykładów drogą,
Z Xiąg więc obywatele naylepſi bydź mogą.

Poſt illum, Princeps *Ioſephus Lubomirski*, filius Palatini Braclavienſis:

Iuſtitia teneris, PRINCEPS, lactamur ab annis,
Quave decet iuſtis Regibus eſſe fide.
Mollibus hinc animis mens haec ſeſe ingerit ultro,
Mens, vitae extremo non moritura die.
Quod TE plus vita, REGVM IVSTISSIME, qui non
Diligit, eſt Patriae iam Catilina ſuae.

Wiary ku Królom, y co winniśmy dla innych,
Tu ſię, Monarcho, od lat uczemy dziecinnych.
Ztąd prawdę tego zdania myśl poymuie iaśnie,
Które nawet z oſtatnim tchem życia nie zgaśnie:
Ze tak ſprawiedliwego, naylepſzego z Pany
Kto nie kocha, godzien bydź Katyliną zwany.

Stanislaus deinde Comes *Mniszech*, defuncti Supremi, Cubiculi Regii in Lituania, Praefecti filius:

Et vitae, et Regni ſummas qui continet artes,
Huius nos licuit Principis aure frui.
Ergo temporibus praeſens nihil invidet aetas
Sigismunde *tuis, aut* Batoraee *tuis.*

Plus

Plus oculo AVGVSTVS doctrinam diligit omnem,
Hunc DOCTRINARVM quis neget eſſe PATREM?

Zycia y rządow rownie znaiąc wſzyſtkie ſztukí,
Wielki KROLU, dziś naſze zaſzczycaſz nauki.
Wiek naſz wiekowi temu nie zayrzy więc, ktory
Uſzczęśliwiał ſwym rządem Zygmunt y Batory.
Tak, KROLU, kochaſz Mądrość, że wſzyſtkich wraz uſta
Prawdziwym Oycem nauk zwać muſzą AVGVSTA.

Sed extremo *Ianuſſius* Dux *Sanguszko*, filius demortui Supremi Lituaniae Mareſchalci, ad ſodales ſuos, hiſce verſibus eſt uſus:

O mihi conſimiles patriaque annisque Sodales,
Quos fovet ingenuis artibus iſta Domus!
Gratemur nobis, cuivis gratemur et arti,
Praeſide quam MAGNO diſcere REGE iuvat.
Sic loquor; aſt artes mox ore fatentur eodem:
Et nos, et noſtram REX beat Iſte Domum.

Cna młodzi, w równym ze mną łat y Krwi zaſzczycie,
Którey tu pięknych nauk wybor kſztałci życie,
Cieſzmy ſię, tey winſzuiąc naukom ozdoby,
Którą KROL Wielki z ſwoiey daie Im Oſoby.
To mowię; alić Nauk iuż brzmi odgłos miły:
Przezeń mieyſce to kwitnie, y myśmy ożyły.

Rex pro merito dicentium quemque honoravit. Denique cunctis oſculandam manum praebuit.

CLI.

Varſaviae, pulcherrima Regis atque Muſarum ſede, a ſummis in Republica, eminen-

tiſſimisque viris, ſingulis hebdomadibus, vernaculo ſermone, moralia placita, MONITORIS titulo inſcripta, prodi coepta ſunt, et argumenti novitate, et ſtyli munditie, et rerum varietate, omnibus commendatiſſima. *Naglowscius*, caſtrenſis Cancellariae Coſtenſis Regens, humaniorum litterarum ſtudioſiſſimus, elegantem libellum, De Vita Illuſtrium Comitum SZOLDRSCIORVM; LVDOVICI, Poſnanienſis Palatini; Filiique Ipſius, VLADISLAI, Palatini Inovladislavienſis, Maiorisque Poloniae Capitanei Generalis: Vtrorumque Ordinis Aquilae Albae Equitum, Ac Praeclare De Republica Meritorum, in lucem emiſit. Coniunctos iis ſplendida affinitate ZALVSCIOS accurate recenſens, huius Gentis nunc caput, IOSEPHVM ZALVSCIVM MVSAGETAM, Kioviae et Czerniechoviae Praeſulem, POLONIAE SALOMONIS cognomento veneratus eſt. Scholae Piae, Varſavienſis Rectoris, *Nicolai Stadnicii*, immaturo interitu, grande damnum fecere. Flebilis Societati Ieſu occidit, *Michael Kielpscius*, Provinciae Maſoviticae Procurator. Mortuus hiſce diebus, Varſavienſium Conſul et Praeſes, *Paulus Andrychowicius*, regendae civitatis peritiſſimus, magnisque et perpetuis in eam meritis, Aurati Equitis honorem asſecutus. Regis iuſſu, publico funere, comitantibus omnibus bonis, maximaque vulgi frequentia, in Divi IOANNIS BAPTISTAE templum illatus. Praeſentibus primariis Regni

gni

gni Senatoribus, Nobilibusque, laudatus a *Chriſtiano Redero*, Societatis Ieſu eloquentiſſimo ſacerdote.

CLII.

Continentiae, aequitatis, manſuetudinis, magnanimitatis praeclarum exemplar, *Ioſephus Maſſalscius*, Lituanae Curiae Theſaurarius, praematuro tempore, gravique Nobilitatis populique luctu, ac moerore, eſt exſtinctus. Succeſſit ei, in dignitate, *Antonius Tyzenhauz*, homo virtute ingenti, et prudentia, et eloquentia, et auctoritate praeditus, Regiaeque Maieſtati, admirabili et ſingulari fide devotus. Isque ſimul Grodnenſium Praefecturam, pecuniae reditu, et iudicandi facultate perinſignem, obtinuit. Suprema Regii, in Lituania, Stabuli Praefectura, *Stephanus Olendzkius*, conſtantia et firmitate animi excellens, donatus eſt. *Ronikierus*, egregius forma, alacer animo, manu ſtrenuus, laborum bellicorum vigiliarumque patientiſſimus, et ad res gerendas promtiſſimus, Pincernae munere cohoneſtatus. Uberem Vislicenſem Praefecturam meruit, Regni Excubiarum ſummus Praefectus, Princeps *Stanislaus Lubomirius*, publicorum negotiorum curator fidus atque aſſiduus, Regisque gratia, et favore Nobilitatis pollentisſimus.

Livoniae Palatinus, *Franciſcus Szembecius*, vir ſumma gravitate, et ſapientia, et eruditione, annis ſuis feliciter impletis, fato conceſſit. Suffectus ei in ordine Senatorio, *Ioannes Borch*, conſilii, eloquentiae, dexteritatis, virtutis, fidei laudibus abundantiſſimus. Mortuo, ſpecioſae ſtirpis, divinaeque virtutis homini, *Ignatio Potocio*, in Regni Pincernae locum ſucceſſit, *Thadaeus Dzieduszycius*, vir prudens, et diſertus, et impiger, et laborioſus, et Reipublicae peritus, nec minus Regiae Maieſtati, quam Nobilitati deditus, utrique magno uſu probatus. Samogitiae Cathedralis Cuſtos, *Michael Chominscius*, vividi ingenii atque erecti animi, multaeque et perfectae eruditionis adoleſcens, a Praeſule amantiſſimo ſui, *Ioanne Lopacinscio*, Suffraganeus eſt renunciatus. *Zenowicius*, Cathedralis Samogitiae Canonicus, priſcae pietatis ſtudio, et rerum, litterarumque veterum amore flagrantiſſimus, Lituanicae Ruſſiae Suffraganeatu decorabitur. *Wisniewscio*, ſapienti viro, et litterarum altiorum, et rerum omnium praeſtantiſſimarum impenſe docto, facundo, iuſto, gravi, humanitate temperato, religioſo, modeſto, benefico, ſedulo, officioſo, regendae Piarum Scholarum Provinciae Polonae munus, a ſummo huius ordinis moderatore, delatum.

CLIII. b.

CLIII. b.

Veterrimus atque intimus Regis Secretarius, *Franciscus Rembielinscius*, ſermone vernaculo promptus et facilis, Diurna Acta Comitiorum, Generalis Convocationis, Regiaeque Electionis, Atque Inaugurationis, ingenti Polonicae elegantiae cura, nec minori gravitate ac fide, in modica tria volumina collecta, ac Regiae Maieſtatis immortali nomini inſcripta, in medium protulit. E Scholis Piis, *Kaliszewscius*, doctus ſane homo, peritusque hiſtoriarum, iurisque publici, brevem, ſed accuratam valde et iucundam, Illuſtrium Foederum Tractatuumque, Inter Maximos Ac Potentiſſimos Europae Reges Principesque, Conſtitutorum Expoſitionem, Polonice confectam, communem in lucem edidit. *Dembicius*, humanitatis ſtudiis eruditiſſimus, principe femina, *Sophia Lubomiria*, Lublinenſi Palatina ſuadente, Fontenellii Colloquia De Mundorum Pluralitate, e Gallico in Polonicum ſermonem converſa, evulgavit. Maximi viri, doctrinaque et ſapientia pollentiſſimi, *Andreae Zamoiscii*, Regni Cancellarii inſtinctu, Vattelii Ius Gentium, in vernaculam linguam transfertur.

CLIII. c.

Wyſocius, Scholarum Piarum, e Provincia Polona, vetus Aſſiſtens, conſummatus ſane clarusque orator, ſanctas graves-

que

que Homilias ſuas, duobus in tomis edidit. Unum Cracovienſi Antiſtiti, Principi *Caietano Soltico*, alterum Vladislavienſi Praeſuli, *Antonio Oſtrowscio*, utrique pietatis, et religionis, et ſapientiae, magnanimitātisque laudibus maxime florenti, conſecravit et publice dedicavit. *Barszczewscius*, doctiſſimus Presbyter Congregationis Miſſionis, Vilnenſis Epiſcopi, *Ignatii Maſſalscii*, ſacris profanisque diſciplinis ornatiſſimi auſpiciis, Manuale Caeremoniarum Romanarum, Ad Vſum Eccleſiarum Poloniae Accommodatum, luci publicae expoſuit. *Makowscius*, Ordinis Minorum S. FRANCISCI, quos Conventuales vocant, Chronographus, ſacrae omnis antiquitatis, atque Eccleſiaſticorum rituum ſcientiſſimus, peritisſimusque, Breves Obſervationes Et Annotationes, Ad Proprium Officiorum Et Miſſarum, De Sanctis Patronis Regni Poloniae Et Sueciae, emiſit. *Porphyrius Wacynſcius*, Ordinis Divi BASILII Magni monachus, in Polocenſi Rutenico Gymnaſio, magna diſcipulorum frequentia, philoſophiam docet. Edidit ille Selectas Ex Metaphyſica Theſes, notis locupletiſſimis eruditiſſimisque reſperſas. Iisdem elegans ac facundum prooemium, Ad Sanctorum Par Glorioſiſſimum, BORISVM Et HLIBVM, In Salutari Baptiſmatis Lavacro Nuncupatos ROMANVM Et DAVIDVM, Magni Et Sancti Principis, Ac Apoſtoli Gentis Roxolanae, VLADIMIRI Filios, Invictiſſimos CHRISTI Martyres, Praecipuosque Totius Rutenorum Nationis Tutores, praetexuit.

CLIV.

CLIV.

Redux in patriam, ſenior Dreſnenſium Praeſul, *Martinus Zaluſcius*, a Rege comiter benigneque acceptus, Suae Maieſtatis permiſſu, Gneſnenſem Metropolitanum Scholaſticum, Principisque Archipraeſulis atque Primatis Auditorem, *Antonium Sierakowscium*, doctrina, humanitate, probitate, religione commendatiſſimum, Coadiutorem in Plocenſi Cathedrali Decanatu ſibi cooptavit. *Chyczewscius*, vir graviſſimus ſpectatiſſimusque, ſuffragante Principe, Cracoviae Antiſtite, Cathedralis ibi Archidiaconus eſt electus. *Olechowscius*, ſumma litterarum virtutumque laude decorus, iuſti laboris ſui nobile praemium, Canonicatum Cathedralem adeptus. Sawichoſtenſis Archidiaconatus ceſſit, Principis Epiſcopi nepoti, *Michaeli Soltico*, Primicerio Cathedrali Cracovienſi, Decanoque Sandomirienſi, iuveni cum pulchritudine formae, ingeniique acumine, tum etiam vitae honeſtate, atque modeſtia, elegantiorisque eruditionis, comtiorisque ſermonis copia, praecellentiſſimo.

CLV.

Lux deliciumque Muſarum, Princeps *Caietanus Ignatius Solticus*, Cracoviae Antiſtes, Severiaeque Dux, veterrimam ſtudio-

diorum virtutumque omnium ſedem et domum, *Cracovienſem Academiam*, vicaria Apoſtolica Regiaque auctoritate viſitabit. A Maximo ac Sanctiſſimo Pontifice facultas, iis litteris, data eſt:

VENERABILI FRATRI CAIETANO EPISCOPO CRACOVIENSI.

CLEMENS PAPA XIII.

Venerabilis Frater, Salutem et Apoſtolicam Benedictionem. Divinae Bonitatis Clementia, ad Eccleſiae Catholicae per univerſum Orbem terrarum diffuſae regimen, meritis licet imparibus evecti, inter multiplices Paſtoralis Vigilantiae Noſtrae curas, optimarum Litterarum, et ſcientiarum, ac praeſertim Sacrarum Scripturarum, et Theologicae facultatis ſtudia, per quae, depulſa ignorantiae caligine, mortalium mentes luce veritatis illuſtrantur, Catholicae Fidei puritas ab haereſibus, praviſque dogmatibus vindicata ſervatur, illiusque et Divini cultus propagationi, ac aliis Chriſtianae Reipublicae commodis conſulitur ubique locorum, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere et confovere ſtudemus, et ſi quae ſubinde temporis lapſu, vel diabolica fraude vel humana infirmitate, mala germina, incommoda, perturbationes, et impedimenta ſubinde nata comperiuntur, quam ſollicite tolli, ac longe removeri ſummopere deſideramus. Itaque in celeberrimis doctrinarum diſciplinarumque Academiis, cum ab iis, quorum intereſt, ad cuiuslibet earundem Viſitationem, Reformationemque advigilantibus petitur, ut ſupremas quoque Apoſtolicae Auctoritatis Noſtrae partes, ubi opus fuerit interponamus, id libenter facimus ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiaeque decus et praeſidium, ad Chriſti Fidelium utilitatem, quantum in Domino cognoſcimus ſalubriter expedire. Siquidem Nobis nuper

per exponi feciſti, quod cum Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter, STANISLAVS AVGVSTVS, Poloniae Rex Illuſtris, cupiens, ut Academia, et Vniverſitas Studii Generalis iſtius Civitatis Cracoviae, cui Tu praeeſſe dignoſceris, maiora ſemper tum quo ad mores, tum quo ad doctrinas, diſciplinasque ſuſcipiat incrementa; Fraternitas Tua vero, ut ad Viſitationem, Reformationemque huiusmodi rite ſancteque peragendam progrediaris, reputans Regias Facultates Tibi conceſſas haud ſatis eſſe, ſed Apoſtolicas etiam Tibi a Nobis impertiendas eſſe, ut non ſolum iisdem quo ad Eccleſiaſticas Perſonas, ſed etiam quo ad Eccleſiaſticas doctrinas, neceſſariis utaris. Nobis propterea humiliter ſupplicare feciſti, ut Tibi in praemiſſis opportune providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Te ſpecialibus favoribus, et gratiis proſequi volentes, et a quibusvis Excommunicationis, Suſpenſionis et Interdicti, aliisque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris et poenis a Iure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum praeſentium tamen conſequendum, harum ſerie abſolventes, et abſolutum fore cenſentes, huiusmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitatem Tuam, de cuius fide, prudentia, doctrina, pietate, charitate, integritate, vigilantia, ac Religionis zelo plurimum in Domino confiſi, eiusdem Academiae et Vniverſitatis, in qua, ut aſſeris, Cancellarii munere perfungeris, Studii Generalis Civitatis Cracoviae Viſitatorem Apoſtolicum cum facultatibus neceſſariis et opportunis, ac etiam Academiam, Vniverſitatemque huiusmodi in omnibus illius membris, ac illius Superiorem, Lectores, et alias Perſonas, ſaeculares et regulares, ab illa dependentes, cuiusvis ſtatus, gradus, praeeminentiae, dignitatis et Ordinis exiſtant, tam in Capite, quam in membris ſemel tantum Auctoritate Noſtra viſitandi, ac in illorum ſtatum, vitam, mores, ritus, diſciplinam et Litterarum ſtudia diligenter inquirendi, nec non Evangelicae et Apoſtolicae doctrinae, Sacrorumque Canonum et generalium Conciliorum Decretis, et Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusque Inſtitutis inhaerendo, quaecunque mutatione, correctione, emendatione, revocatione,

tione, et renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus et Concilii Tridentini Decretis, ac Conſtitutionibus, et Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictae Academiae et Univerſitatis Inſtitutis non repugnantia confirmandi, abuſus quoscunque tollendi, Regulas, Inſtitutiones, et Eccleſiaſticam diſciplinam, ſi fortaſſe exciderint, modis congruis reſtituendi, reintegrandi, dicti Concilii Decreta cuſtodiri, praecipiendi, ac Perſonas praefatas ad debitum, et honeſtum vitae modum revocandi, et quidquid ſtatueris et ordinaveris obſervari faciendi, inobedientes per Cenſuras et poenas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compeſcendi, contra delinquentes quoscunque proceſſus, ſecreto tamen, et ſine ſtrepitu, et figura Iudicii formandi, aliaque omnia et ſingula in praemiſſis, et circa ea, ac pro huiusmodi munere rite et recte explendo neceſſaria quomodolibet, et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, et mandandi, exequendi Auctoritate Apoſtolica tenore praeſentium conſtituimus, et deputamus, Tibique licentiam et facultatem', alium in Tui locum, ad praemiſſa explenda, cum omnibus et ſingulis facultatibus huiusmodi ſubrogandi, Auctoritate, et tenore praefatis tribuimus et impertimur. Mandantes omnibus et ſingulis Superioribus, Lectoribus, et Perſonis quibuscunque Academiae et Univerſitatis huiusmodi, ut Te, ſive illum a Te ſic, ut putatur, deputandum, uti eorum Viſitatorem Apoſtolicum a Nobis, ſicut praemittitur, deputatum reverenter recipiant, et recognoſcant, ac Tibi, et illi, in omnibus ad Viſitationem huiusmodi ſpectantibus, omnino pareant, et obſequantur, Tuaque et illius ſalubria monita, et mandata humiliter ſuſcipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin ſententiam ſive poenam, quam rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus Auctore Domino, usque ad ſatisfactionem congruam, inviolabiliter obſervari. Decernentes easdem praeſentes Litteras Noſtras firmas, validas, et efficaces exiſtere et fore, ſuosque plenarios et integros effectus ſortiri et obtinere, ac illis, ad quos ſpectat et ſpectabit, in futurum pleniſſime ſuffragari, et ab

ab eis reſpectiue inviolabiliter obſervari; Sicque in praemiſſis, per quoscunque Iudices Ordinarios et Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apoſtolicae Nuntios, ſublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, ſi ſecus ſuper his, a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Vniverſalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus et Ordinationibus, nec non dictae Academiae et Vniverſitatis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, et conſuetudinibus, privilegiis quoque Indultis et Litteris Apoſtolicis, in contrarium praemiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et ſingulis, illorum tenores praeſentibus pro plene ac ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad praemiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter et expreſſe derogamus, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Romae, apud Sanctam Mariam Maiorem, ſub Annulo Piſcatoris, die IV. Maii, MDCCLXV. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Fl. Card. Antonellus.

Atque ab Optimo Providentiſſimoque Rege poteſtas, hunc in modum, conceſſa:

STANISLAVS AVGVSTVS, DEI GRATIA, REX POLONIAE, MAGNVS DVX LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, KIOVIAE, VOLHINIAE, PODOLIAE, PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE, ET CZERNIECHOVIAE.

Vniverſis et Singulis Clericis, Laicis et Scholaribus, cuiuscunque Ordinis, Status, et Conditionis exiſtant, et ſignanter Rectoribus, Doctoribus, Magiſtris, Graduatis, Baccalaureis, Studentibus, Scriptoribus, Stallionariis et Bedellis Vniverſitatis Cracovienſis, ac eorum Familiaribus, quibuscunque fideliter Nobis Dilectis, Gratiam Noſtram Regiam. Inter ſummas et multiplices curas, quas pro conſervando et augendo Bono Regni Noſtri cordi habemus, non poſtremum certe arbitramur convertere oculos, ut in Academiis et Gymnaſiis publicae utilitatis cauſa fundatis, ſtudia Litterarum, aliarumque artium vigeant et floreſcant, ac debitus ordo, qui eſt anima rei, in iis teneatur. Cum itaque Vniverſitas Cracovienſis illa ſit praecipua Mater, quae Viros doctos et prudentes pariat, ex quorum actibus virtuoſis Stabilitas Reipublicae ſalubribus proficit incrementis, multum intereſt animadvertere, ne circa vetuſtatem ſuam tale quid, vel per diſcordias Facultatum, vel alio modo admiſerit, quod Iuribus et Privilegiis a Sereniſſimis Praedeceſſoribus Noſtris, Regibus Poloniae, benigne eidem Vniverſitati conceſſis repugnaret, ſtudia neceſſaria debilitaret, ac penitus extingueret, famamque eius a ſaeculis memorabilem et celebrem minueret, ac deinceps admonitione et correctione egeret. Proinde exemplis Sereniſſimorum Praedeceſſorum Noſtrorum, Regum Poloniae innixi, ad mentem Privilegiorum, Statutorum, et Conſtitutionum Regni Noſtri, Annorum 1562. 1632. et 1658. infraſcriptorum ratione ordinandum et conſentiendum eſſe duximus, uti quidem ordinamus et conſentimus, quatenus Admodum Reverendus in Chriſto Pater, Dominus *Caietanus Ignatius Soltyk*, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiae, eiusdem Vniverſitatis

ſitatis Cancellarius, tempore bene viſo ad Eam condeſcendat, Viſitationem Eius legaliter inchoet, et ulterius ſive per ſe, ſive per alium, in locum ſui ſubdelegandum, ſuper Iuribus praefatae Vniverſitatis, Statutis, et laudabilibus Conſuetudinibus,(utrum ea omnia ſervantur, quae ex Fundatione, Iure, Conſuetudine ſervari debent) ac moribus Perſonarum eiusdem Vniverſitatis inquirendo, ſuper reliquisque circumſtantiis Facti et Iuris, ac aliis quomodocunque neceſſariis et opportunis ſerio et diligenter inveſtigando, devia ad rectam viam, et ordinem bonum reduci curet et faciat, circa Studia et bonum regimen in Facultatibus omni meliori modo provideat, Conſtitutiones et Leges, ſi hae deficiant, aut aliquo caſu deperditae ſunt, quibus poſſit regi eadem Vniverſitas, ſtatuat, et ordinet. Caeteraque in praemiſſis, et circa ea quomodolibet neceſſaria et opportuna Auctoritate Noſtra Regia, et alia quomodocunque de Iure, Praxi, et Conſuetudine competenti, non obſtante ad Nos cuiusl que recurſu, et non attentis quibusvis Reſcriptis Litteris Protectionalibus, quas praeſentibus caſſamus, faciat et exequatur. Nos Sinceritati Veſtrae in praemiſſis Auctoritate Noſtra Regia plenam damus et concedimus facultatem. Nolumus autem per praemiſſum Conſenſum Noſtrum in quopiam Iuri Ordinario, quod Sinceritati Veſtrae in Perſonas Spirituales ratione Beneficiorum, quae obtinent, competit, derogare. Declarantes illud Ius Ordinariae poteſtatis ſalvum et illaeſum ſemper manere debere. In quorum fidem, praeſentes Manu Noſtra ſubſcriptas, Sigillo Regni communiri iuſſimus. Datum Varſaviae die XV. Menſis Iunii, Anno Domini 1765, Regni vero Noſtri Primo Anno.

STANISLAVS AVGVSTVS REX.

(L. S.)

Antonius Sikorski,

S. Reg. Mai. Et Sigilli Regni
Secretarius.

CLVI.

Die VIII Menſis Iulii, ut erat conſtitutum, Cracovienſis Academiae viſitatio, rite a ſolemni ſacro coepta eſt. Mane enim Princeps *Solticus*, Cracovienſium Praeſul, atque Academiae Cracovienſis Cancellarius, magna illuſtrium Sacerdotum, nobiliumque virorum corona cinctus, in Collegiatam Divae ANNAE Eccleſiam, pietati et muſae Academicae perpetuo dicatam, Beatique IOANNIS CANTII Mauſoleo conſpicuam, pedes ſe contulit. Ante portam, a toto Academico Senatu, univerſoque Clero, reverentiſſime eſt exceptus. Mediam autem Baſilicam ingreſſus, a graviſſimo illius Decano, *Adalberto Biegacewicio*, Sacrae Theologiae Doctore atque Profeſſore, ita ſalutatus:

PRINCEPS CELSISSIME, PRAESVL ILLVSTRISSIME, ET REVERENDISSIME.

Qua laetitiae ubertate, quibus gaudiis et exultatione, ſeptima abhinc die, Beatae *Eliſabeth* domum perfuſam impletamque, Sacrae paginae narrant: ſimili laetitia, paribusque gaudiis domus haec, Divae ANNAE conſecrata nomini, hodie perfunditur et impletur. Gaudiis in domo *Eliſabeth* ingentibus, cauſam dederat cognatae ſimulque Dominae ſuae praeſentia: TVA, PRINCEPS CELSISSIME, in ANNAE Domo praebet non minoribus. Gratiam ANNA ſignificat:

ficat: Beatiſſima ipſius Filia, gratia plena: Sanctiſſimus autem Nepos, in virgineis Genitricis ſuae manibus, inter dulcia aviae oſcula ſuaviter ludens, fons eſt Ipſe omnis gratiae et auctor. PRINCEPS CELSISSIME, Divinis ab alto largiter circumfuſe chariſmatibus, vultu gratias ſpirans, ore promens, corde fovens, et abunde diſpenſans, dum ſanctiſſimum hunc gratiarum inviſis coetum, lubens propria in TE adſpicit dona, lubens praeſentem intra ſua penetralia habet. In Domo *Eliſabeth*, audita ſalutationis voce, infans *Ioannes* exultavit in utero: PRAESVL ILLVSTRISSIME, dum TE a nobis in his ANNAE Aedibus, (licet nec pro Principis maieſtate condigne, nec pro Praeſulis auctoritate ſufficienter) conſalutari permittis, dum ſacra Beati Noſtri CANTII Lipſana viſitas, hic quoque ſuo IOANNES exultat in tumulo.

At vero nec ipſos, intra quos conſiſtis, Sanctae huius Domus parietes mutos reperis: ipſo ſilentio quemdam maioris laetitiae evulgant ſenſum. Pretioſis lapidibus, duodecim Apoſtolorum gerentibus nomina, diſtinguuntur: venerandas Eorum Icones ſupereminentes, adſpicientibus exhibent. Infers illis TEcum, *Sacerrime Antiſtes*, quod olim Summus Sacerdos Divino ſecum inferebat Sacrario. Infers enim nedum duodecim, ut ille in veſtimento ſuo, pretioſis inſculpta lapidibus Iſraelis Familiarum deferebat nomina, at quae, TE, arctiſſimo praecelſae originis circumſtipant iure, Auguſtarum, Celſiſſimarum, Illuſtriſſimarum, vaſto in Septemtrione, Domorum pene innumera: et hac parte, de TE, dicendum venit, illud Scripturae: Omnis lapis pretioſus Operimentum Tuum. Infers praeterea, quae ille in ponderis veſte portabat, priſcorum magnalia Parentum, dum ſuprema, ſanctitatis, ſapientiae, iuſtitiae, ardentis pro Religione zeli, omniumque virtutum, quibuscunque Divi TVI claruerant Praedeceſſores, decora et ornamenta, perfectiſſimo in TE abſoluta compendio, infers: et hac parte; unus ex illis ſeptem Angelis appares, qui intrabant et exibant de Templo, veſtiti lapide mundo et candido: hinc TIBI in hac Sancta Domo praeſenti, duodecim iſti vivi lapides ſuperaedificati in domos Spirituales, poſitique in fundamentum Eccle-

 ſiae

... Dei, ipſo ſummo angulari lapide CHRISTO ... V, tanquam ſuo in munere, opere, dignitateque ...piſcopali Succeſſori, gaudenter ſucclamant, implentque Divinum illud oraculum: Lapides clamabunt de parietibus.

Illae demum piae animae, laboribus nutritae, conſumptaeque laboribus, Patrum Anteceſſorumque noſtrorum, quorum cura, ſollicitudine, innocentique peculio, Baſilica haec qualis in ſe conſpicitur aedes, a primis fundamentis ad tholum usque ſupremum ſtetit, quibus non affluant gaudiis? dum terram hanc, in qua eorum conſepulta corpora noviſſimum Domini praeſtolantur adventum, *Sacerrime Praeſul*, viſitas, ac viſitando ſingularis ubertate ſolatii inebrias.

Nos ad extremum Capitulares, Clerus TVVS obſequentiſſimus, ob Praeſuleam TVAM in Collegiatâ noſtra Praeſentiam, illo perfundimur ſuperque implemur gaudio, quo gaviſi fuiſſe perhibentur Diſcipuli, viſo Domino. Plenum perfectumque eſt, de viſione *Benignisſimi Praeſulis*, *Paſtoris Optimi*, gaudium noſtrum, et illud nemo tollet a nobis.

Conſalutamus itaque TE, PRINCEPS CELSISSIME, ANTISTES ILLVSTRISSIME, publica confeſſione illorum Pſaltis Regii verborum: laetificaſti eos in gaudio cum vultu tuo. Damus honorem *Principi*, quemcunque maximum dare poſſumus: *Praeſuli, Paſtorique Noſtro*, pro dignitate venerationem profundam, pro poteſtate reverentiam, et nutus ad omnes obedientiam teſtamur debitam. *Principis* protectioni, *Praeſulis* beneficentiae, *Paſtoris* providentiae, devotiſſime nos commendamus. Pro incolumitate autem TVA interminabili, proſperitate invariabili, regimine diuturniſſimo, glorioſiſſimoque, OMNIPOTENTEM DEVM, ad Tutelaris huius Collegiatae ANNAE Altaria, ad Beati CANTII Aras, perardentibus indeſinenter exorabimus Votis.

Princeps Epiſcopus:

Pergrato, inquit, animo accipimus Venerabilis Capituli Collegiatae praeſentis teſtificationem, utpote propenſa erga Nos officia copioſe explanantem. His viciſſim

viciſſim Noſtra rependere, et in occurrentiis, propenſionis Noſtrae Venerabili Capitulo documenta exhibere volupe habebimus, et operam dare conabimur. Interea vero cum vobis intentio Noſtra perſpecta ſit, in hanc Nos Baſilicam veniſſe, ad implorandum Divini Spiritus lumen et auxilium, graviſſimo viſitationis Vniverſitatis operi, quod vos etiam, uti ex corpore Academico Capitulum praeſens componentes, magnopere reſpicit, requirimus ideo, ut Nos in fundendis DEO O. M. a quo omne bonum provenit, orationibus ferventer adiuvetis.

Quamprimum exinde, in ſplendidum, Tyriaque umbella inſtructum ſedile, ſeſe recepit, VOTIVA MISSA, DE SPIRITV SANCTO, a Patarenſi Antiſtite, Cracovienſique Proepiſcopo, *Franciſco Potkanſcio*, pontificio more inchoata eſt. Eaque confecta, praeeuntibus publica lentaque pompa, cunctis Academiae Ordinibus, Princeps ipſe Epiſcopus, ſub umbella, in Maius Collegium Academicum proceſſit. Perductusque in conclave praecipuum, celſiorem atque editiorem locum, regali ornatu paratum, Maximique Pontificis Regisque imaginibus decoratum, conſcendit. Sedentem, vir gravis, ipſaque ſenectute venerabilis, *Caſimirus Stemplowſcius*, ſummus huius Academiae Rector, veterrimusque Theologiae Doctor et Profeſſor, maxima vultus corporisque reverentia, his verbis affatus eſt:

Reverenter et officioſe comparens Vniverſitas noſtra, coram TE *Apoſtolico* et *Regio Delegato Viſitatore*, atque per Legem Regni conſtituto Cancellario, deſi-

deſideria ſua, iam olim *Sereniſſimo Regi*, *Domino Clementiſſimo*, uti et tanquam ſuo Fundatori inſinuata, nunc TIBI, PRINCEPS CELSISSIME, PRAESVL ILLVSTRISSIME, REVERENDISSIME, Cancellarie longe Faventiſſime, Protector Ampliſſime, uti *Apoſtolico* et *Regio Viſitatori*, in praeſentiarum plena cum fiducia exponit et commendat. Vide, *Princeps Sapientiſſime*, eruditos in omni Facultate noſtrorum Profeſſorum labores: vide et praemia num laboribus, qui ſuſferuntur, adaequata ſint? Experire, quod Scholarum more diſputamus, utramque docemus Philoſophiam, Mathematicis diſciplinis operam damus, Medicam artem tradimus, Iura dictamus, Theologiam explicamus, educandae *Iuventuti Polonae*, pro commodo Eccleſiae et Patriae, ita ut oportet, incumbimus: et haec omnia in publico peragimus, tametſi per fora et compita, ad vitandam vanitatem, non proclamamus, non promulgamus: et inſuper cognoſce, quantum pro his praemiamur. Fundos noſtros, quam ampli ſunt, metire, villas quas poſſidemus, numera, cenſus quos percipimus, computa, inque leges et ſtatuta, eorumque obſervantiam, introſpice. Nihil metuimus, nihil formidamus, nihil erubeſcimus, cum pro DEO et conſcientia, cum pro publica utilitate, cum pro Patria, gravitate oneris et ſudore fatiſcimus, collectosque ex parſimonia proventus, quorum ratio nosmet ipſos concernit, in communem uſum impendimus. Horum omnium experire veritatem, reforma ſi quae reformari indigeant, iuſtam laboribus provide mercedem, multis Profeſſoribus gratis et ſine ullo pretio laborantibus, apud *Sereniſſimum Monarcham*, totamque *Sereniſſimam Rempublicam*, vitae ſubſidia evince. Speramus, *Magne Princeps*, TE ea omnia ſedulo facturum, omnes ad id vires impenſurum, omni conſilio uſurum, per quod, et TIBI, et Regno, et Litteris immortalitatem gloriae comparare valeas: qui iam tot publica protectionis TVAE documenta, erga Vniverſitatem noſtram dediſti, iura noſtra fortiter defendiſti, ac Regi et Reipublicae gratioſe commendaſti. Age igitur, *Magne Princeps*, cum nobis non deſunt Marones, ut adſint Maecenates; cum extendimus manus ad laborandum, inge-

geniaque intendimus ad bene cogitandum, ut alimenta, et quo pro ratione ſtatus noſtri operiamur, habeamus; cum reflorere, augeri Studia Philoſophica et Mathematica, et ſi libet etiam experimentalia optamus, ut inſtrumenta ad id opportuna, machinas, areas, turres, hortos, domos, graviſſimo provideas conſilio, atque largis facias irrigari beneficiis. Quod, dum TE, *Ampliſſime Princeps*, facturum, plena fide credimus, animadverſioni TVAE, ſapientiae TVAE, clementiae TVAE, cuncta nobiſcum ſubjicimus, utque TE DEVS immortalis, ad decus ſuae Eccleſiae, ad emolumentum Patriae, ad TVAE Vniverſitatis protectionem, vita longaevum, diuque ſuperſtitem, et fortunatum ſervet, ad Aras CANTIANAS orabimus.

Venerabundus deinde, Principi Antiſtiti, ut Apoſtolico Regioque Viſitatori, dextrae oſculo debitam obedientiam teſtatus eſt. Singuli Collegae eius, atque Academici Auditores, pari honore Suam Celſitudinem coluere. Poſtea Princeps ille Praeſul atque Viſitator, ad omnes Academiae Ordines, in hanc ſententiam locutus:

Perſpectum Nobis eſt luculenter, Incłyti Ordines Academici, quos cum ſumma voluptate in toto corpore praeſentes contuemur, propenſionem in Nos veſtram, diſertiſſimo ore praeclariſſimi viri, Magnifici Rectoris veſtri explanatam, permagnam revera eſſe; cum enim parte ab una conſtet, vos omnimoda ſapientia conſpicuos, iuſte aeſtimare conſueviſſe uniuscuiusque Bono Vniverſitatis addicti affectum; parte vero ab altera, cum Nobis conſcii ſimus, et ſi gloriari licet, id operibus demonſtraſſe videamur, quod ardentiſſimo zelo, et enixiſſimo ſtudio amplificationem gloriae Almae huius Academiae exoptemus, et procurare velimus: non aliter de veſtris erga Nos decet ſentire affectibus, quam eos magnopere fervidos, magnopere propenſos eſſe. Ita pro-

fecto eſt, Clariſſimi Viri! ut Alma haec Vniverſitas in quam maximo ſplendore ponatur, deſiderare amplius habet nihil, quam ut illi omnia eveniant, iuxta magnitudinem affectuoſiſſimae Noſtrae, erga ſe, propenſionis. Aeſtimabamus Illam ſemper, veluti a multis ſaeculis Nominis Poloni decus, ſapientiae ſedem, ſcientiarum omnium domicilium, doctiſſimorum hominum foecundiſſimam matrem, Cleri ornamentum; at vero, ubi Divina Providentia, ampliſſimae Dioeceſis Cracovienſis regimen humeris Noſtris imponendo, eo ipſo Cancellarium Academiae huius Nos eſſe voluit, explicare nequimus, quanto Illi amore, ac quanto zelo, Bono Ipſius adhaeſimus. Inde eſt, quod ab eo ſtatim tempore, quo perhonorifico hoc munere decorati ſumus, totos conatus, quos per rerum et temporum circumſtantias licuit et oportuit, favore eiusdem intendere nitebamur, et cum hos inter utiliſſimus ſemper iudicatus, et praeviſus eſt, Viſitationem Eiusdem inſtituere, ardentibus votis deſideravimus, huic expediendae manum et operam dare. Aſt quod temporum ſuperiorum viciſſitudines hanc aggredi non permiſerint, quod usque in praeſentiarum eandem differri fecerint, oportet ſenſu noſtro, conſilium in eo altiſſimae Ordinationis, ſuaviter omnia diſponentis, adorare. Quod enim tempus, ſaluti et bono Vniverſitatis, potuit eſſe acceptabilius, quod magis ſalutare hodierno? in quo ipſemet *Sereniſſimus Rex Noſter*, rebus Vniverſitatis ſuccurrere volens, Viſitationem Eius inſtitui diſpoſuit. Quanta boni tui, Alma Academia, quanta fortunae et felicitatis tuae inde auguria! Princeps Iſte Sapientiſſimus, perfectiſſima omnium ſcientiarum cognitione famoſiſſimos quosque Antiquitatis, et modernorum Saeculorum Sapientes longe ſuperans, Litterarum Litteratorumque Gratioſiſſimus Fautor et Patronus, cum inter primas de Regno ſuo curas, et cogitationes, omnium praeſtantiſſimam, et ſe digniſſimam praeprimis ſuſceperit, bonas Artes et Litteras protegere, amplificationemque Illarum, Regio ſuo exemplo, et conatu promovere; quae protectio, quae gratiae ab Illo ſperandae ſunt, primariae huic Regni Scholae, huic origini, et fonti, ex quo in univerſam gentem noſtram omnis eruditio promanavit? Exultandum

dum certe univerſis, at potioribus titulis tibi, Vniverſitas! Cum enim votum illud, quod divinus ille *Plato* de ſua Republica habuit, ut eam aliquando aut Philoſophi regerent, aut Reges ipſius philoſopharentur, noſtris diebus in perſona *Sereniſſimi Regis Noſtri* adimpletum ſit, quantos potes tibi polliceri ſucceſſus? Nam ſi ſub talibus Regibus beatas fore totas Reſpublicas praedixit *Plato*, quanto beatior eſſe debet Reſpublica Litterarum, quae prima Regis ſapientis mentem occupat? Vere, ut praemiſimus, propter te, Alma Vniverſitas, tempus acceptabile, vere ſub tanto Rege tempus ſalutis. Cognoſcatis igitur, Incluti Ordines, dies Viſitationis veſtrae, confidendum in Domino, quod venient vobis omnia bona pariter cum illa. Nos nullis parcemus laboribus, ut opus, quod aggredimur, Vniverſitati evadat utiliſſimum, ut ſplendorem Eius augeat, iura conſolidet, bonum amplificet: non praetermittemus, iuxta obloquentiam Reſcriptorum Apoſtolici et Regii Delegationis Noſtrae, demandatis Nobis ad praemiſſos effectus uti facultatibus; ſed et vos omnimodo ſtudio conatibus noſtris cooperari ſatagite.

Noſtis peroptime, in Viſitatore, characteres Patris, Magiſtri, et Medici eſſe. Curetis igitur Patri neceſſitates exponere, Magiſtro corrigenda indicare, Medico vulnera detegere, ut infirmum conſolidetur, aegrotum ſanetur, confractum alligetur, abiectum reducatur.

Porro Suae Celſitudinis iuſſu, APOSTOLICAE REGIAEque LITTERAE recitatae fuere. Ac FVNDATAE IVRISDICTIONIS INSTRVMENTVM publicis tabulis inſertum. Denique Princeps Epiſcopus cum magno eodem, quo venerat, comitatu in palatium ſuum reverſus, cunctis Cathedralibus Praelatis atque Canonicis, Primoribusque Academicis, largum atque exquiſitum epulum dedit. Interque prandendum,

dum, SALVTEM SERENISSIMI STANISLAI AVGVSTI propinavit, REGIAEque MAIESTATI perennem incolumitatem, fauſtaque omnia precatus eſt.

CLVII.

Princeps ille *Solticus*, Cracovienſium Epiſcopus, eminens inter omnes, ingenio, et doctrina, et ſapientia, auctoritatisque, et iuſtitiae, et bene moratae diſciplinae gloria, decima Iulii, generale Academicum concilium convocavit. Illudque, cum numeroſiſsimo Praelatorum, atque Canonicorum Cathedralium comitatu, ingreſſus eſt. Poſt mutuas deliberationes atque conſultationes, Princeps Epiſcopus, ingenti omnium conſenſu, ex ampliſſimo Cracovienſi Cathedrali Collegio, viros doctos et graves ſibi aſſumpſit, qui in univerſas huius Academiae, et litterarias, et familiares rationes, diligenter ac fideliter inquirerent, deque iis ad Suam Celſitudinem referrent.

Quaecunque igitur ad Vniverſitatem, Eiusque Profeſſores, atque Ipſorum Auditores, in communi pertinent, *Franciſco Czerny*, Scholaſtico, *Thomaeque Michalowscio*, ac *Ioſepho Olechowscio* Canonicis, inveſtiganda ſunt.

Speciatim autem Facultatem Theologicam, Collegiumque Maius et Bona Ipſius, *Ioſephus Gorzenscius*, Can-

Cancellarius Cathedralis: Facultatem Iuridicam, et Collegium, Eiusque Bona, Contubernium quoque Iuriſperitorum, *Ioſephus Chyczewſcius*, Archidiaconus: Facultatem Medicam, et Philoſophicam, et Mathematicam, *Franciſcus Czerny*, Scholaſticus, et *Nicolaus Wybranowski*, Canonicus: Collegium Minus, et Contubernium Philoſophorum, *Valentinus Pruski*, Canonicus: Contubernium Ziziniianum, ſive Seminarium Academicorum Clericorum, *Dominicus Kielczewſcius*, Proepiſcopus Chelmenſis, idemque Canonicus Cathedralis Cracovienſis: Scholas Nowodworscianas, et Lycea Parochialia, *Ignatius Biencowſcius*, Cathedralis Cracovienſis Canonicus: Colonias Vniverſitatis, ſive diſſita per totum Regnum Gymnaſia, huiusce Vniverſitatis iurisdictioni ſubiecta, *Andreas Dobrzanski*, Cracovienſis Cathedralis Canonicus, ac Iudex Eccleſiaſticus in Supremo Poloniae minoris Tribunali: Contubernia denique Iagellonianum, Staryngielianum, Gelonianum ſive Smieszkovianum, et Hieroſolymitanum, *Adamus Lentowſcius*, Canonicus Cathedralis, luſtrabunt.

De Borcanis omnibus Legatis, et Roszezeviana Fundatione, cognoſcet *Gaſpar Szaiowſcius*, Sandecenſis Eccleſiae Collegiatae Archidiaconus, Scarbimirienſisque Praepoſitus. Secretarii munere, in graviſſima ea Viſitatione, fungetur, qui Suae Celſitudini a ſecretiſſimis Eccleſiaſticis Epiſtolis eſt, *Carolus Lochman*, Canonicus Colleg. Viſlicenſis.

Prae-

Praeclaris iis virtute, prudentia, eruditioneque viris, quomodo ſit agendum, Princeps ipſe Viſitator praeſcripſit. Simulque monuit, quae proprio ſuo arbitrio iudicioque reſervari oporteat. Hisque omnibus accurate ac provide, ut ſolet, ordinatis, comitibus iisdem, qui Suam Celſitudinem adduxerant, palatium ſuum repetiit.

CLVIII.

Maximus ille, vigilantiſſimusque Cracoviae Antiſtes, Princeps *Solticus*, inter aſſiduas graveſque Patriae curas, ſubito ac violento morbo eſt affectus, ac prope exſtinctus, *Divina Miſericordia*, tot piis lacrymis, precibus, votisque, nobis conciliata, Eccleſiae, et Reipublicae, et Muſis, eum reſtituit. Grande inde gaudium, Proepiſcopus Cracovienſis, *Franciſcus Potkanscius*, univerſo Clero publice declaravit. Illumque ad rependendas, DEO OPTIMO MAXIMO, pro accepto immenſo beneficio, dignas grates, hisce litteris cohortatus eſt:

FRAN-

FRANCISCVS DE POTKANA POTKANSKI, DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, EPISCOPVS PATAREN. SVFFRAGANEVS, CANONICVS, VICARIVS IN SPIRITVALIBVS, ET OFFICIALIS GENERALIS CRACOVIEN. Vniverſo Clero Saeculari Et Regulari Dioeceſis Cracovien. Salutem in Domino Sempiternam.

Benedicite Dominum, *Fratres Dilectiſſimi!* Agite dies laetitiae! Menſuram huius laetitiae, de magnitudine Nuntii, praeſentis Epiſtolae Noſtrae ſumite: et tanta vobis ſit alacritas mentis, quanta fuerit conſideratio rei. Et haec eſt ſumma communis laetitiae Noſtrae, ſalus Principis, Illuſtriſſimi et Reverendiſſimi Domini CAIETANI IGNATII SOLTYK, Epiſcopi Cracovien. Ducis Severiae; qui multa ſollicitudine Paſtorali, ad DEI Gloriam cum Bono Eccleſiae, integritati Legum Patriae, Dioeceſis in perfectione augmento, vereque omnium Saluti proſpicit. Hinc Noſtrum intereſt, *Fratres*, ut pro tanti Principis et Praeſulis incolumitate, ac multos in annos conſervatione, Deum Omnipotentem fuſis precibus, et piis ſuſpiriis deprecemur. Singulare eſt: quod cum nuper adverſa valetudo *Suae Illuſtriſſimae Celſitudinis* vehementer plurimorum contriſtaverit animos, nunc dum aeterni, Caeleſtis Medici Gratia, in priſtina ſanitate deſideratiſſimum Paſtorem Noſtrum corroboravit, DEO Noſtro ſit iucunda decoraque laudatio. Dignum itaque arbitramur, ſignificare Vobis, *Fratres*, pro recuperata *Celſiſſimi Principis Noſtri* ſanitate, ſolemnes gratiarum actiones, in Eccleſia Cathedrali Cracovien. hac die peractas fuiſſe: Vosque, ad ſimiles DEO gratiarum actiones invitare, et reſpective adhortari. Quatenus receptis praeſentibus, proxima Die Dominica, vel Feſto, praemonito prius Fideli Populo, et ad Devotionem pro incolumitate *Celſiſſimi Principis Sui Paſtoris* excitato, poſt Miſſae Parochialis, ſive Conventualis, ſolemnia, in Eccleſiis Collegiatis, ac Saecularibus et Regularibus,

per

per totam Dioeceſim, aperto Ciborio Tabernaculi, facta thurificatione *Sanctiſſimi*, pro huiusmodi incolumitate *Suae Illuſtriſſimae Celſitudinis*, per Hymnum TE DEVM LAVDAMVS, gratiae agantur DEO Noſtro. Praeſens autem Epiſtola Noſtra, via curſoria, per Eccleſias Decanatuum tranſmittatur. Datum Cracoviae, die XXIX Menſis Iulii, Anno Domini MDCCLXV.

FR. POTKANSKI
Suffr. Off. Cr.
mppr.

(L. S.)

CLIX.

Rex magnopere bonis ingeniis artibusque favens, incredibilem voluptatem capit, ſi nobiles iuvenes dignum aliquid maioribus ſuis conentur. Nunc, inter tot, ac tam magna ſua, publicaque negotia, bis adiit Collegium Nobilium, cuius cura, clariſſimis doctrina virtuteque, e Societate Ieſu Presbyteris, delegata eſt. Maximae indolis adoleſcentem, *Thadaeum Mlocium*, Praefecti Zacrocimenſis filium, De Iure Naturae Et Gentium, gallica lingua differentem audivit. Affuit et mathematico certamini, inter lectiſſimos duos, ſtudioſiſſimosque iuvenes, *Alexandrum Tyszkiewicium*, Civunum Vilnenſem, et *Petrum Iundzill*, filium Grodnenſis Mareſchalci, patrio ſermone, collato. Regia ipſamet Maie-
ſtas,

ſtas, haud pauca ex illis iuvenibus, extra themata, quaeſivit. Parateque et erudite reſpondentibus, multo blandimento, applauſit. Ac ſtatim, ut certatio finita eſt, utrosque, delectationis honorisque eorum cauſa, in ſcenicum ludum ſecum duxit.

CLX.

Naruſſewicius, vir ſumme eruditus, ac poëtica virtute praeſtantiſſimus, SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, STANISLAO AVGVSTO, POLONIARVM REGI ORTHODOXO, PIO, FELICI, PACIFICO, LITTERARVM LITTERATORVMQVE INDVLGENTISSIMO FAVTORI ATQVE ADIVTORI, VARSAVIENSE SOCIETATIS IESV COLLEGIVM NOBILIVM INVISENTI, hancce elegiam obtulit:

Et potuit tantos domus haec meruiſſe favores,
Ipſa Tuo quae ſit REX pede digna teri?
Vix ea principibus contingunt munera tectis,
Munera, quae et Procerum tecta beare ſolent.
Vltima ſervorum ſumus at nos turba Tuorum,
Tam magnum inſueti ſuſtinuiſſe iubar.
Nec nobis quidquam tanto foret hoſpite dignum,
Ni tenerum cor, quo ſuſcipiare, foret.
Pandimus hoc Tibi REX, at non eris hoſpes in illo,
Incola qui noſtri ſemper amoris eras.
Quidquid id eſt, non Te, quamvis diademate fulges,
Pendet et a nutu Sarmatis ora Tuo,

Dedecet exiguos, Princeps, ſubiiſſe penates:
Ipſis hic etiam mos fuit ante Diis.
Non ſemper, media caeli qui regnat in arce,
Iuppiter aſtriferum Rex pede calcat iter:
Ipſe et, pennato per inane ſatellite vectus,
Fertur terreſtres incoluiſſe plagas.
Nec, qui flammigeros urget ſuper aſtra iugales,
Voluit inexhauſtum ſemper Apollo iubar:
Ipſe etiam tereti roſeum caput eximit auro,
Caſtalidumque choros et iuga nota petit.
Saepe graves animo fas eſt deponere curas.
Nonne illis etiam Numina ſumma vacant?
Eſt, quod agat celſo Superûm moderator Olympo,
Eſt, quod agunt terris, qui ab Iove regna tenent.
Nam neque frontis honos, fulvumque in crinibus aurum,
Nec pretioſa ſuo pondere ſceptra carent.
Vtque magis celſa fortuna in ſede locavit,
Cum cidari, gravius regibus addit onus.
Novimus, ut regnum ſit res operoſa tenere,
Quamque grave eſt illi, qui bonus eſſe cupit.
Nec bonus eſſe poteſt, qui non ſimul eſſe laborat,
Et fieri populi rexque paterque ſui.
Multi Caeſareum Latio diadema ferebant:
Auguſtus *meruit nomen habere patris.*
Multi Auguſtorum *nomen tenuere: ſed unus*
REX es, qui AVGVSTI nomina remque tenes.
Hic Martem domuit motusque coërcuit omnes,
Nataque in alternas civica bella neces:
Hic Latias aequis firmavit legibus urbes,
Auxit opes, Luxui fraena ferenda dedit:
Hic, ſtrepitu armorum profugas ex urbe Camoenas,
Reddidit antiquo reſtituitque lari.
TE *pariter populi faſces moderante Poloni,*
AVGVSTVM aſpiciunt tempora noſtra ſuum.
Iam Furor et toto turpis Diſcordia regno
Cedit, et ad vultus infremit illa Tuos.
Infremit, et multo quatiens caput angue revinctum,
Ipſa ſuas mordet ſanguinolenta faces.
Sed Pietas, ſed rura colit Concordia mitis,
Et flauas oleis Pax redimita comas.

Nec Libertati maleſuada Licentia nomen
Eripit, et blando nomine tecta furit.
Nec Favor, aut Lucrum meritos diſpenſat honores;
Heu, quid non Regnum pertulit inde mali!
Plus nocet hoſte ipſo, fungi qui munere neſcit,
Quod petit, et patriam decipit ipſe ſuam.
Et Phaëthonta ferunt Solis rexiſſe quadrigas,
Munus at hoc terris exitiale fuit.
Excuſſit flammis orbem, didicitque cadendo,
Maiora ingenio fraena petiſſe ſuo.
Turpe procul Lucrum! vani procul eſte Favores!
Nunc ſperet, qui ſe promeruiſſe ſciat:
Nec petat indignus, quisquis ſit, Rege ſub iſto,
Cui meritum, non ſors, ſceptra Polona dedit.
Hoc etiam noſtris veniet ſub Principe Muſis
Priſcus honos, longa quae tacuere mora.
Sarmaticoque loqui diſcent ſermone Sorores,
Et fluet Iſtuleis Caſtalis unda vadis.
Iamque adeo in Vates omnis ſe gleba reſolvit,
Et populo cari Principis acta canit;
Vos tantum, o Superi, PATRIAE *ſervate* PARENTEM,
Et placida inceptis mente favete ſuis!

Toż po Polsku.

Mogłoż kiedy to ſzczęśćie potkać naſze progi,
By twe po nich Monarcho deptać miały nogi?
Fortunne Kſiążąt gmachy, choć ſię im raz zdarzy
Widzieć w podwoiach ſwoich promień Pańſkiey twarzy!
Myśmy z ſług twych nayniżſi, ani możem żądać,
By ſłabe oczy miały na twoy blaſk poglądać.
Ni takiemu gośćiowi znaydzie dom naſz wſzytek
Mieyſca, chyba że w ſercu damy ći przybytek;
Ten ći więc otwieramy; lecz tam gośćiem Panie
Nie będzieſz, bo w nim dawno miałeś pomieſzkanie.
Cożkolwiek bądź; choć na twey widzim złoto głowie,
I z uſt twych praw czekaią waleczni Lechowie,
W niczym ći nie uwłacza ta podła gościna:
Wſzak i Bogom odwiedzać ludzi nie nowina.

Nie zawſze, co ſwoy pałac wynioſł nad obłoki,
Po gwiazdziſtych poſadzkach Jowiſz liczy kroki,
Częſtokroć śrebrnopiorym orłem unieſiony,
Wziąwſzy poſtać śmiertelną zwiedza ziemſkie ſtrony.
Ani, co przez niebieſkie wozi światło znaki,
Pędzi zawſze Apolo poczworne rumaki,
Czaſem złote z ſwych ſkroni złożywſzy promienie,
Spieſzy gdzie Parnas z laurow czyni ſłodkie cienie.
Często nada z umyſłu przykre złożyć troſki.
Wſzak od ſtarań ani ſam wolen rodzay Boſki.
Ma co czynić w niebieſiech ten co wſzyſtkim włada,
Ma zwierzchność, co na ziemi tron iego zaſiada.
Korona, iaſność berła, i blaſk z pereł mnogi,
Coż ieſt ieśli nie ciężar? to tylko, że drogi.
Kogo na wyżſzym ſtopniu ſzczęście poſadziło,
Temu więcey fraſunków i troſk przyczyniło.
Wiemy, iak ciężka przez ſię rzecz ludem kierować,
Coż temu, kto chce z iego pożytkiem panować?
Dobrym zaś żaden nie ieſt z Krolow, chyba ktory
Łączy ſerce oycowſkie z powagą purpury.
Wielu było, co światu panowali w Rzymie,
A ieden *Auguſt* noſił ſłodkie Oyca imie.
Wielu było *Auguſtow*; tyś ieden z tey kwoty,
Coś z imieniem *Auguſta* złączył iego cnoty.
Ugaſił on pożary od Marſa wzniecone,
J na właſną krew groty ztępił zaoſtrzone,
Przywrocił ſprawiedliwość i rząd miaſtom dawny,
Przyczynił ſkarbu, wygnał zbytek marnotrawny,
A ſzczękiem nienawiſney broni ktore były
Uſzły z Rzymu, za niego Muzy ſię wrociły.
Rownie za ciebie Krolu potomſtwo Lechowe
Widzi w Monarſze ſwoim wieki Auguſtowe,
Już Szaleńſtwo i co krew lać braterſką rada,
Nie mogąc znieść twey twarzy precz uchodzi Zwada,
Uchodzi, à z roſpaczy trzęſąc warkocz ſmoczy,
Wściekła w pochodniach właſnych kły pieniſte tłoczy.
A Pobożność ze Zgodą zwiedza naſze niwy,
J Pokoy noſząc wieńce na głowie z oliwy.
Ni Swawola w obłudney wolności maſzkarze
Łamie praw, co w przod łżyła trony i ołtarze,

Ni

Ni Fawor z Zyſkiem podłym urzędy rozdawa.
O iak wiele z tąd złego kray ieſzcze doznawa!
Więcey niż nieprzyiaciel Oyczyznie ſwey wadzi,
Kto ſię pnie na urzędy i bez zaſług ſadzi.
J Faeton chciał rządzić cugi ſłonecznemi,
Lecz ten dar był oſtatnią zgubą całey ziemi.
Obròcił świat w perzynę, á upadkiem z nieba
Doznał że chciał więcey, niż dać mu było trzeba.
Precz z tąd Względy bez ocżu, precz Zyſku ſzkodliwy,
Teraz niech ſię ſpodziewa zdolny i poczciwy.
Wſzak bez zaſług rzecz pròżna pukać w tego wrota,
Który ieśli ma berło, to mu dała Cnota.
Za niego i Kamenom luſtr ſwòy przywròcony
Będzie, á zaſzłe prochem odezwą ſię ſtrony,
J Sarmackim ięzykiem pieiąc rymy ſwoie,
Zamienią nurt Wiślany w Kaſtaliyſkie zdroie.
Ba iuż ſię wſzyſtka prawie Polſka w Muzy zmienia,
Nòcąc zewſząd dowcipne o ſwym Królu pienia.
Ty tylko ſpraw, o Boże, by był długo żywy,
A day początkom iego bieg równie ſzczęśliwy!

CLXI.

Idem ingenioſiſſimus vir, FESTVM MEMORIAE AVSPICATISSIMORVM COMITIORVM: IN QVIBVS SENATVS POPVLVSQVE POLONVS, SERENISSIMVM PRINCIPEM, STANISLAVM AVGVSTVM, IN REGEM POLONIAE, MAGNVMQVE LITVANIAE DVCEM, CONCORDIBVS VOTIS ELEGIT: MLOCINIIS, LOCO AD VISTVLAM AMOENISSIMO, ACCVRANTE BONO CIVE, PATRIAEQVE ET REGIS AMANTISSIMO, AVGVSTO COMITE

MOSZYNSKI, DAPIFERO REGNI, ORDINIS AQVILAE ALBAE EQVITE TORQVATO, MDCCLXV CELEBRATVM, eo modo expoſuit;

I.

Hic, ubi frondiferis redimitus Viſtula ripis,
Mlocinium placido recreat amne ſolum,
Et Patriae CARO Moszynski *templa* PARENTI
Artifici doctus ſtruxerat ipſe manu:
Spectatura novam molem ruit undique ab urbe
Turba, vigil multa quo vocat aura face.
Dumque alias alii depromunt ordine laudes,
Hic pretium celebrat, comprobat iſte decus:
Ecce! ſuper templi reſidens AMOR *alta ſacrati,*
Purpureo tales fudit ab ore ſonos:
LECHE, tui qui nunc ſpectas ſolemnia Regis,
Et procul, vt videas, laetus ab urbe venis,
Quid iuvat artificis dextrae monumenta videre?
Quod miraris opus ſcilicet, intus habes.
Non ego nunc primum veſtro penetralia Regi,
Prima nec, ut cernis, nec nova templa dedi.
Nam tibi quot cives, tibi ſunt quot amantia corda,
Tot CARO REGI *templa ſacravit* AMOR.

Tam, gdzie w brzegach roſkoſznych pędząc potok żywy
Młocińſkie Wiſła nurtem ſwym oblewa niwy,
A MOSZYNSKI ku ſwego Króla wieczney chwale
Kościół mu dziwną ſztuką zbudował na ſkale;
Zbiegły ſię na ten widok ćiekawe gromady,
Gdzie wabią z ogniów iaſne na powietrzu ślady.
Więc gdy każdy wſpaniałe dzieło, ku ſwey myśli,
To z ozdób to z ſzacunku pochwałami kryśli;
Oyczyſta Miłość co na wierzchołku ſiedziała,
Z temi ſię do patrzących słowy odezwała:
Polacy, co rzuciwſzy domowe mieſzkanie,
Przyszliście to kunſztowne widzieć budowanie,

Y dzi

Y dziwicie ſię dziełu dowcipney prawice;
Wſzak każdy z was ma w ſobie takową Swiątnicę.
Nie pierwſzy raz ia tym ſię budowaniem bawię,
Ni dla Króla waſzego ten pierwſzy gmach ſtawię;
Bo ile kochaiących ſerc ieſt w tey krainie,
We wſzyſtkich KROL KOCHANY ma ſwoie świątynie.

II.

Templa aliis Mavors duro fabricata metallo
Extruat, et caeſae munere gentis emat.
Cui poterit ſaevis manibus conſtructa placere
Et populi multo plena cruore domus?
Cui galeae, nudique enſes, ſtrictaeque ſecures,
Scutorumque oculis exitiale iubar?
Iſta Tyrannorum ſatient penetralia mentes,
Vel quibus in gelido pectore ſaxa rigent.
Non ego laudabo Regem, qui Marte cruentum
Dum quaerit nomen, deſinit eſſe Pater.
Nobiliora Tibi, Princeps AVGVSTE, faventis
Pacificus populi templa ſacravit Amor.
Hic Tua marmoreis centum benefacta columnis
Perpetuo fidis ſculpet in aere notis.
Dumque alii, necibus populorum et ſanguine, Reges
Vivent! Te faciet vivere Gentis Amor.

Po zmienionych w krew polach, a miaſtach w popioły,
Niech innym Mars ze ſtali wycina Kościoły.
Komuż proſzę zbudowan od ręki morderſkiey
Dom ſię podobać będzie pełen krwie braterſkiey?
Komu z mieczmi płytkiemi, topory, przyłbice,
I puklerze ſwym blaſkiem rażące zrzenice?
Niech ſię Tyrani ſycą takiemi obrazy,
Lub którym twarde, ſerca otoczyły głazy:
Trudna rzecz chwalić Króla, co dla próżney chęci
Zwycięſtwa, Imię Oyca wyrzucił z pamięci.
Koſztownieyſze nierównie, łaſkawy naſz Panie,
Spokoyna zbudowała Miłość ci mieſzkanie.

Tam tyſiące łaſk twoich na twardych wyryte
Kruſzcach wſpominać będą wieki nieprzeżyte,
I gdy inni przez ogień, miecze, śmierć i rany,
Chwalebniey Ty przez Miłość będzieſz wſpominany.

III.

Interiiſſe diem ſibi Titus dixerat, in qua
De populo meritus non aliquando foret:
Nam ſibi non tempus fuerat. Menſura dierum,
Diſperſa in Patriam ſed Benefacta ſuam.
Non bene nos Lechi revolutum dicimus annum,
Quo Tibi Sarmatici ſunt data ſceptra ſoli?
Nam Tua, mi Princeps, ſi quis benefacta recenſet,
Nullum anni dicet praeteriiſſe diem.

Dzień w życiu każdy, Tytus miewał za ſtracony,
Dobrodzieyſtwem gdy iakim nie był zaſzczycony;
Mieniąc, że próżno liczyć te dni i te lata,
Których żadne dobrodzieyſtw dzieło nie przeplata.
Mylim ſię i my mówiąc, że rok miia cały,
Iak Polſkiego ci tronu rząd Stany oddały,
Bo ieśli kto twe Królu liczyć łaſki żąda,
Żadnego dnia próżnego wiem że nie ogląda.

IV.

Inſula caeruleis quae circumfunditur undis,
Nec vidit longo tempore praeter aquas;
Vt ſimul artifices micuere per aethera flammae,
Viſa eſt ad Dryades talia verba loqui:
Nonne Amor eſt Paphia, Cives, Genitrice creatus,
Orta nec e lymphis num ſua Mater erat?
Quid ſibi flammigeri poſcunt per inane rotatus,
Quid ſua continuo fulgurat igne domus?
Deſine mirari, reſpondit Nympha, nec iſte
Eſt natus Cypria Matre, nec illa Parens.
Sic amat inconſtans, ut ceſſet amare, Cupido;
Durat at aeterno tempore noſter Amor.

Otoczony błękitnym paſem wód wieczyſtych
Wyſep, co wprzód nie widział krom potoków czyſtych,
Skoro uyrzał ogniſte na powietrzu kłoſy,
Z takiemi ſię do ſwoich Nimf dał ſłyſzeć głoſy:
Co widzę, zaż Miłośći nie z tey żywot dany,
Która ſię z Oceańſkiey urodziła piany?
Czemuż ſię winna morzu życie, ogniem bawi,
I na przybytku ſwoim tyſiąc ogniów ſtawi?
Nie dziwuy ſię, odpowie Nimfa: nie z Bogini
Płochey ta żyie Miłość, ni ią matką czyni:
Lekki zawſzę Kupido podległy odmianie,
A naſza Króla kochać nigdy nie przeſtanie.

DO I. W. IMCI PANA
AVGVSTA MOSZYNSKIEGO
STOLNIKA KORONNEGO
KAWALERA ORDERV POLSKIEGO ORŁA BIAŁEGO.

Godzien dla wielkich zasług, Pana twego względu,
Coć był przed rokiem iednym Kolegą urzędu,
Mógłżeś kiedy uczynić dzieło chwalebnieyſze,
A Królowi z Oyczyzną milſze nad dziſieyſze?
Przez cię on niezawodne świadectwo odbiera,
Że tron iego na ludu Miłośći ſię wſpiera.
Mocny to nader filar, a na innym żadne
Nigdy lepiey nieſtoi Państwo ſamowładne.
Przez cię oraz ſamego Oyczyzna ſię cała
Oświadcza, co przez wſzyſtkich ſłuſznie czynić miała.
Więc gdy Panu Kośćioły Miłośći buduieſz,
Na Króla i Oyczyzny Miłość zasługuieſz.

CLXII.

Divinus ille vir, *Stanislaus Konarscius*,
AD STANISLAVM AVGVSTVM,

POTENTISSIMVM POLONIAE REGEM, AC MAGNVM DVCEM LITVANIAE, ANNIVERSARIA EIVS ELECTIONIS DIE, haec VATICINIA GENTIS POLONAE, IN CAMPO AD VOLAM, edidit:

Ad Volam ſitus, atque comparandus
Eleo bene Martioque campis,
Tectus Nobilitate purpurata,
Biſſenos retro, Campus, ante menſes,
Cum fervens, animisque vocibusque
TE concordibus ad Thronum vocaret,
Quantis ominibus, bonisque fatis,
Quantis auguriis, amoribusque,
Auditus mihi perſonare totus!

Praedicit populus lubens, quod optat:
Et de Principe ſumma ſperat. Aevum
Ac Saturnia iam redire regna,
Pars eſt vaticinata. Pars, ab aethra
Aſtreae reduci, foro remotas
Venales animas, locum daturas.
Pars, Numen placidum, piosque nobis
Divos affore pollicetur, aula
Pulſis, impietate, troſſulisque.
Pars, e ſemine fortium Virorum
Quod natura viros, paresque priſcis
Heroas dabit: hinc vigebit almae
Pacis conſiliis gravis Senatus,
Et belli ſtudiis calens iuventa.

Pagis et Ceres, Vrbibusque Tiphys,
Omnes divitias ferent opesque.
Fundent Sarmatici metalla montes:
Nec lucentia Seribus, vel Indis,
Nobis fas erit invidere fila,

Lana-

Lanarumque nives Ibericarum:
Silvae lanificos dabunt Polonae
Vermes, vellere prata noſtra, nulli
Cedent Heſperiae, nec Albioni.

Aetas artibus ulla percolendis,
Aut plus ingeniis amica, nusquam,
Quam ſub tam Sapiente Rege, nobis
Affulgebit. Opes, decus, ſalutem,
Fruges, otia tuta, gloriamque,
Hoc ſub Principe fas ſit ominari.

Haec praeſagia, quaeque laeta, de TE,
Fuderunt ſimul hoc die Quirites.
Felix, omina, vota, ſpes adimple!
Imo ſpes ſupera omnium! TVAE*que*
Sis Gentis Pater, optimusque Regum!
Nil iſtis puto maius eſſe votis,
Nullum DI *quoque maius audiere.*

CLXIII.

Piotrowscius, pári ingenii atque iudicii vi, et Latini ſermonis munditia, et rerum copia, et pronunciandi gravitate dexteritateque praeditus, hancce ORATIONEM, DE NECESSITATE ELOQVENTIAE, PRAESERTIM IN LIBERA REPVBLICA, CVM ANNVVM TEMPVS FORTVNATAE ELECTIONIS, STANISLAI AVGVSTI, SERENISSIMI ET POTENTISSIMI, AC SAPIENTISSIMI REGIS POLONIAE, AC MAGNI DVCIS LITVANIAE, RECVRRERET ANNO MDCCLXV, IN GYMNASIO VARSAVIENSI SCHOLARVM PIARVM, habuit:

Lac-

Laetor vehementer, impoſitum mihi eſſe munus, cohortandi Adoleſcentes noſtros ad amorem ſapientiae et eloquentiae, hoc feliciſſimo tempore, quod nobis omnibus recordationem iucundiſſimam reducit Electionis, poſt hominum memoriam celeberrimae, in qua omnium vota et animi conſpirarunt, in REGEM POLONIAE, STANISLAVM AVGVSTVM, Principem ſapientem, omnibus Divinis, humaniſque ſcientiis inſtructiſſimum, ac ſi quis unquam in Republica ea laude floruit, eloquentiſſimum, tum vero Regiis artibus ac virtutibus ornatiſſimum, et amore Populorum beatiſſimum.

Diem itaque ſolemnem illum, a Poſteris quoque noſtris ſuaviſſime commemorandum, repetimus Auditores, quo hic praeſens noſter amor, Tito nobis Traianoque carior, deliciae Populi, Pater Patriae amantiſſimus, et ſi quid de optimo Rege verius atque uberius a quoquam dici poteſt, Electus in Regem, Populum divinitus ſibi commiſſum, in paterno primum palatio, deinde in auguſto templo, denique in arce Regia, ſuperiore hominum ingeniis, nam certe divina quadam vi, alloquebatur: proinde nihil aequius eſſe ſtatuo, quam ut hoc ſolum vivum exemplum ſapientis eloquentiae, Adoleſcentibus noſtris, proponam imitandum.

Excitabat enim vota omnium, incendebat pectora amore Patriae, commovebat animos, lacrymas etiam eliciebat, haec divina, ut ita dicam, ſapientia et oratio STANISLAI AVGVSTI, Regis Noſtri, neque quisquam ex tot liberrimae Gentis Civibus ſimul congregatis erat, qui ab hac digna Regibus maieſtate orisque gratia, plurima bona in Patriam noſtram derivanda non ſperaret.

Neque vero fefellit ſpes ita vaticinantem Senatum, ac univerſum Equeſtrem Ordinem. Experiuntur namque hodie, non ſine iucundiſſima voluptate, quantum bonum ſit liberae Genti, habere Regem ſapientia eloquentiae coniuncta praeſtantiſſimum.

Ego vero, actis etiam atque etiam immortalibus gratiis, nomine totius Patriae, DEO Optimo, Maximoque,

que, qui Reges creat, et in cuius manibus cor Regis eſt, pro Rege tali, qualem optavimus, ſapientiſſimo et eloquentiſſimo, incongrue imprudenterque agere me putarem, ſi aliud hoc loci, hocque die, pro exhortanda ad ſtudia bonarum litterarum iuventute, dicendi argumentum quaererem, quam quod e re ipſa naſcitur, ſcilicet quod e praeclariſſimo Regis noſtri exemplo ſponte et ultro manare videtur.

Dicendum itaque mihi eſt de ſumma quadam, ſub Rege ſapiente et eloquente, neceſſitate nobiliſſimae artis eloquentiae, ſi in quavis Republica libera, tum vel maxime in Noſtra Polona liberrima Gente. Hoc igitur argumentum ita me tractaturum promitto, ut niſi me omnia fallant, hanc artem ſapientis eloquentiae, ſupra omnes alias, cum omnibus liberis Civibus, tum inprimis Polonis neceſſariam eſſe, nobili Iuventuti noſtrae facile perſuadeam.

Spero Vobis, Auditores, probatum iri hunc dictionis meae ſcopum, ut pote et a Polona libertate, et ab hoc aureo AVGVSTI Noſtri ſaeculo, et a Veſtris ſtudiis minime abhorrentem.

Omnium rerum pulcherrimarum atque utiliſſimarum parens, et conſervatrix eſt, ſapiens eloquentia, Auditores. Omnibus ſaeculis magna, multa, et ampliſſima illius fuerunt munera.

Primis certe illis temporibus, quibus fundatae civitates, et conſtitutae Reſpublicae ſunt, quid ſine hac arte fieri potuiſſet? Abducti ab agris et ſylvis homines, fera et barbara vita in nobilem et honeſtam commutata, moenibus ſeptae urbes, arces erectae, leges conditae; iura iudiciaque ſtatim deſcripta ſunt. Haec vero omnia quo fonte, quaeſo, manarunt in genus hominum? nullo certe alio, quam illa ſapientiſſimorum virorum, apta ad quidvis perſuadendum, naturaeque conformi eloquentia.

Vnde, in caligine et rerum omnium perturbatione, rudes illi civilem cultum, et iucundam lucem adſpicere primum coeperunt: firmas ſocietates inire, ſanctas amicitias colere, multa ac deinde etiam omnia ad commu-

nem

nem uſum excogitare, artes quoque paulatim invenire, interque ſe communicare, et amplificare non dubitarunt. Quas, quamquam generi humano utiliſſimas, nulla profecto alia ratione inveniſſent, niſi concinna, ad ſuadendum perſuadendumque facta, auribus demulcendis, devinciendisque mentibus accommodata, uſi fuiſſent oratione. Huius quoque adminiculo res ſcitu dignae, a Maioribus noſtris notitia comprehenſae, non modo conſervatae, ſed claro caſtoque ſermone auctae, exornatae, atque excultae, ad nos Poſteros feliciter pervehemunt.

Etenim cum ita per naturam conſtitutum ſit, ut omnia certis dierum ac temporum intervallis orta, tum deinde ut mobilia, et incerta, temporibus occidant, atque ab ipſa die rerum edace conſumantur; nihil aliud DEVS Immortalis et Clementiſſimus, propter humanum genus, oratione melius praeſtabiliusque dediſſe poterat: quae una et ſola caeteras artes, resque omnes ad poſterorum memoriam traducendas, a ſitu, ſquallore, et oblivione vindicaret: incredibiles fructus pareret: ac maxima toti humanae cognitioni (quanta eſſe poteſt,) adiumenta et ſubſidia compararet.

Huius nobiliſſimae artis vim ille duntaxat non percipit intelligendo, qui nunquam cogitat, quae, et quanta, ſine hac, hominum fuiſſent incommoda? Quae vita, aut potius quae mors, vitam miſerrimam trahentibus fuiſſet, ſi quae mente comprehendimus, apte, clare, eleganterque eloqui non potuiſſemus? Eſt enim vero vita civilis tranſigenda mutuis officiis, et conſtituenda quadam inter homines neceſſitudine. Et docendo, monendo, orando, ſuadendo, diſſuadendo, accuſando, defendendo agendum eſt in communi hominum ſocietate. Id quod praeſtare non poſſe, aut neſcire, quid eſt, quaeſo, quod hominibus gravius et moleſtius evenire potuiſſe, quisquam exiſtimet?

Quis vero pietatis aut iuſtitiae fructus, ſine ſapiente eloquentia, haberi unquam potuiſſet? ſi triſtiſſimis amicorum rebus ac temporibus neque adeſſe queas: neque miſeros ac proſtratos ſublevare, innocentes tueri, conſolari, erigere: neque inimicis repugnare, improbos deter-

deterrere: nec denique populi aut ſavorem conciliare, aut motus componere?

Vere atque ex animo, ſi Vos adnuitis Auditores, ego adfirmabo: nullius uberiora erga Rempublicam amoris teſtimonia, et erga alios officia obſervari, quam hominis ſapienter eloquentis.

Sine hac quippe arte, quid ageret civis liber in Patria? quid ſtatueret et decerneret aequus iudex? quomodo loqueretur publicus aut privatus Legatus?

Quae porro ipſarummet Rerumpublicarum liberrimarum glória? quae bonorum civium, quae militum fortium? quae Imperatorum ſcientiſſimorum non minus, quam feliciſſimorum laus? quae commendatio? quae memoria eſſet, ſi eloquentia defuiſſet? Quis enim Graecorum, aut Romanorum Herouin facta, aeternitati commendavit? eloquentia! Quis Miltiadis, aut Themiſtoclis tropaea? quis Pompeii civiles militaresque virtutes, Auguſti triumphos, Fabii Magni matura conſilia, Catonis ſeveram gravitatem, Marcii Coriolani erga Matrem et Patriam ſuam amorem, ſeu potius pietatem ad poſteros cum laude tranſmiſit? eloquentia!

Neque Thebanorum antiquam nimis et fabulis usque ſcatentem, neque Lacedaemoniorum, Athenienſium, caeteraſque antiquiores et poſteriores Reſpublicas noſſemus, niſi ab eloquentiſſimis et ſapientiſſimis hominibus, eas quondam extitiſſe et floruiſſe, accepiſſemus.

Haec, haec ipſa rerum, atque animorum humanorum rectrix, ſapiens eloquentia, Mucios Scaevolas, Brutos, Scipiones, Attilios Regulos, caeteroſque magnos in Republica Romana viros, ad ingentia facta excitavit, et conſilia ab eis ſuſcepta confirmavit. Haec pacta et foedera, non modo inter cultiores, ſed inter barbaras quoque gentes ſanxit. Haec labentes et deſtitutos plerumque ab omni ſpe militum animos, in bello ad victoriam perſequendam et obtinendam erexit.

Interiiſſes iam procul dubio, Domina gentium, Roma! et cum turpi dedecore una cum exercitu tuo in acie iacuiſſes, niſi eloquentiſſimus dux ille tuus, Tatius, fugientes Romanos tuos, vel conficta miraculorum narratio-

ratione, et Deorum reſponſis, ad arma capeſſenda revocaſſet.

Actum iam fuiſſet de tua Republica! cum Populus, contra Senatum offenſus ſupra modum, recedere ad hoſtes in animum induxiſſet, niſi Menenius Agrippa, homo ſapiens ac eloquentiſſimus, iucunda oratione coniunctionem Populo cum Senatu perſuaſiſſet.

Tanti momenti fuerunt ſemper, et nunc quoque eſſe debent Oratores in Republica libera, ut nemo ſit civium, qui melius ſaluti ac felicitati publicae, quam illi, conſulat.

Quamobrem callidiſſimus ille Graecae libertatis oppreſſor, Philippus, pro concordia cum Athenienſibus ſtabilienda, in ſignum mutuae benevolentiae, Oratores ſibi tradi poſtulavit. Hac ſiquidem arte facile exiſtimavit, tota deinde Republica ſe ſe potiturum, ſi hos a Republica amoviſſet, qui ipſius contra Graeciam univerſam conſilia proderent, exagitarent, populos vero liberos ad ſpem libertatis et fortunae melioris excitarent.

Vnde ille nihil tantum penſi habuit, quam ut Demoſthenem, ſummum apud Athenienſes atque in univerſa Graecia, et ſapientiſſimum Oratorem, e vivis tolleret. Quid praeterea inveniri iam poterat, quod Antonius, ille Romanae libertatis praedo, intentatum reliquerit, ut Marcum Tullium, eloquentiſſimum ac ſapientiſſimum in Romana Civitate Oratorem, opprimeret? Qui hac ſola arte fretus, non modo Antonii furores deſpexit, non modo Clodiorum libidinem et crudelitatem domuit, non modo nefaria Catilinae contra Patriam inita conſilia diſſipavit, ſed maiorem omnibus triumphis lauream, propter hanc ſolam artem, ab ipſis hoſtibus adeptus fuiſſe agnoſcebatur.

Hac itaque arte nobiliſſima, ſapiente nimirum eloquentia, quicunque liberi Cives optime imbuti ſunt, illi plurimum Reipublicae ſuae proſunt.

At caeterae quoque artes, (dicet quiſpiam,) ac vel ipſa vitae magiſtra, et praeceptrix bene regnandi, philoſophia, idem ſine eloquentia, in quovis Regno ac Civitate, praeſtare poſſent? Id ego quidem, Auditores,

neque

neque capere, neque cuiquam concedere poſſum; mea enim opinione, artes omnes diſciplinasque, et ipſam philoſophiam, veluti ſtipites ſine vigore fore futuras, niſi eisdem ſuccum quendam vitalem ſuggereret infunderetque oratio.

Omnis certe veritas, in profundo quodam veluti puteo haereret, et latitaret demerſa, niſi eam in lucem educeret, niſi eam ad hominum intelligentiam, vis quaedam et energia dicendi explicaret.

Nam ſi parentem, aut principem Philoſophorum Ariſtotelem, ſectatores illius haberi volunt: at ille ſive cum de natura, ſive cum de Republica philoſophatus eſt, a nemine unquam legeretur; niſi tanta dictionis gratia et copia excelluiſſet, ut eam Cicero auro fluentem fluvium appellare non dubitarit.

Plato ideo divinus Philoſophus, quod omnes tam Philoſophicae, quam Politicae ſcientiae partes, omniaque virtutum et Rerumpublicarum gubernandarum praecepta, cum tanta ſermonis felicitate ac venuſtate pertractavit, ut eiusdem Tullii iudicio Juppiter ipſe, ſi Graece loqui vellet, non alio niſi Platonis ore et ſermone loqueretur. Xenophon ideo ſummus vir, quod et Philoſophus, et Orator inſignis eſſet. Theophraſtus Philoſophus, a divino ore, id eſt, ab uberrima ſuaviſſimaque eloquentia, nomen obtinuit. Carneades, ſummus Philoſophus, ſed longe Orator celebrior; de quo accepimus, eum ita eloquentia valuiſſe, ut nullam rem confirmandam ſuſceperit, quam non probaverit, nullam impugnandam, quam non everterit. Pro mille tamen exemplis, par illud Romano imperio caput, M. T. Cicero ſufficiat, non modo Oratorum omnium anteſignanus, ſed Philoſophiae quoque Latinae primus fundator, et coryphaeus, ab omnibus ſaeculis agnitus, et agnoſcendus ſemper.

Sed quid in profanis duntaxat haeremus? In promtu ſunt teſtes quoque huius rei, ex noſtris Chriſtianis, viri et ſapientiſſimi, et eloquentiſſimi. Atque, ut Patres Eccleſiae, Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Ambroſios, Hieronymos, Auguſtinos, Iſidoros, Hilarios, iisque pares praetermittam: in quibus plane omnibus eloquentiam pulcherrimam cum divina Theologiae faculta-

te admiramur. Felices illi Minucii, Firmiani Lactantii, Melchiores Cani, Theologi ſimul et Oratores inſignes; Contareni, Hermolai Barbari, Mirandulae, caeterique bene multi, qui philoſophiam, aliasque honeſtas et nobiles diſciplinas, ita feliciter eloquentiae naturali quopiam curſu fluente exornarunt, ut nulla plane dictio ſit in eorum Libris, quae proprietatem et venuſtatem, quae denique Latinum nomen non mereatur.

Quid? quod inſignes illi Iuris periti, Iuſtinianus legum collector, Andreas Alciatus, atque alii elegantiſſimi legum interpretes, ne Trebonium antiquiorem praeteream, ita de legibus diſputant, ut ad illam, mirum in modum delectantem, ac permoventem ſermonis Latini maieſtatem, quam proxime accedere videantur.

Secus, ac noſtris temporibus, quidam leguleii et rabulae de foro facere ſolent, qui vix dum e limine humaniores litteras ſalutaverint, mox ad iuris ſcientiam incumbunt, quique contra linguam Latinam, ut eandem proſtituant, coniurare videntur.

Quid de Hiſtoricis? Liviis illis, Salluſtiis, quorum lectio pulcherrimi ſimul ſermonis penu quoddam eſt copioſum.

Quid de Politicis? Quid de Medicis ipſis, caeterisque ſcientiarum, et eloquentiae nitidae, maturae, propriae atque elegantis amatoribus, dicam? Illi duntaxat amantur: illorum ſcripta nocturna diurnaque manu revolvuntur, qui ſapientiam, rerumque uberrimam cognitionem, cum clara, pulchra et gravi dictione, egregio artificio coniunxerunt. Illi vero negliguntur, qui ſcripta ſua turpitudine, macie, et horrore miſerrimi ſermonis infecerunt.

Hinc iam itaque, Auditores, pronum ac facile unicuique erit iudicare: parum aut certe nihil caeteras bonas artes utilitatis adferre poſſe, ſi eloquentia, rebus explicandis percommoda, et perneceſſaria ſint deſtitutae; eumque non niſi hominem, in quavis Gente ac Republica, rebus perficiendis ſupra alios idoneum eſſe, qui ſapiente polleat eloquentia.

At iterum ſaepiusque a quibusdam parum prudentibus eloquentiae obtrectatoribus audire cogimur, vanis ac ſpecioſis verborum lenociniis veritatem quandoque obſu-

obfuſcari ſolere, in iisque praeſidium malos homines, contra bonos, plerumque reperire.

Sed haec, ut verum fatear, ab iis duntaxat inconſulto obſtrepuntur, qui minime veram eloquentiae naturam intelligunt. Nos a ſapientia ita iudicamus eloquentiam non poſſe ſeparari, ut haec, ſine illa, nihil ſit aliud, niſi vanus verborum ſonus, inutilis vocum congeries, vacuae ventoſaeque ampullae. Non illi igitur, apud quos, ut Cicero inquit, multum eloquentiae, ſapientiae parum, non illi inquam Oratores Reipublicae utiles ſunt: ſed qui iuſti, probi, recti, innocentes, ſancti Cives, nihil aliud in medium proferre, nihil ſuadere, nihil conſulere, nihil defendere poſſunt, quod non ſit cum virtute, iuſtitia, ac veritate coniunctiſſimum. Tales certe nedum veritatem fuco verborum obtegere non ſtudebunt, nedum nequitiae nunquam patrocinabuntur, nedum iudicia iudicumque mentes pervertere nequaquam laborabunt, nedum noxia Reipublicae non conſulent: ſed quidquid ſanctiſſimum, quidquid Patriae ſaluberrimum, quidquid vitae, innocentiae, fortuniſque aliorum tuendis proficuum, quidquid Genti glorioſum et laudabile, carorum Civium animis inſpirare, totaque virium contentione commendare, non deſiſtent. Tales profecto Oratores non minus virtute, quam oratione commendabiles, a STANISLAO Noſtro AVGVSTO, Regum optimo, in Provincialium Legatorum conſeſſu magni eſſe habendos, atque ampliſſimo Patrum Conſcriptorum Senatui ab Eo accenſendos, tales magiſtratibus omnibus ſacris, civilibus, ac militaribus admovendos, tales ad miniſteria belli paciſque deligendos ab Eo, procul dubio ſperandum eſt. Quandoquidem Ille ipſe, talium Oratorum perfectiſſimum atque abſolutiſſimum exemplar, et ſpeculum, veriſſime appellari poteſt.

Cuius praeclariſſimum, ac tanto ſplendidius in Maieſtate relucens exemplum, dum Nobilis noſtra Iuventus imitari induxerit in animum, atque ambabus (ut aiunt,) ulnis arripuerit, dubium nemini erit: quin in generalibus Regni, Provincialibusque comitiis et conſiliis, in foro, in ſacris tribunalibus, in omnibus denique Eccleſiae atque Reipublicae officiis, magiſtratibus-

que, viros eloquentiſſimos ac ſapientiſſimos, non ſine incredibili animorum voluptate conſpecturi ſimus, quales viros honor, ſalus, felicitas publica Patriae praeſtolantur.

Eloquentiam enim ſapientem cum aliis, ut hactenus dixeram, tum vel maxime Polonis noſtris Civibus, ſub ſapientiſſimo atque eloquentiſſimo STANISLAO AVGVSTO, neceſſariam eſſe ſtatuo. Quam alteram dictionis meae partem dum, qua potero, brevitate perſequendam aggredior, a vetere quopiam bonoque Sarmata, orationis meae curſum non nihil interrumpi animadverto. In noſtra (graviter inquit ille,) Polonia, quam olim Martis imperium extulit, propagavit terror, et ad omnium invidiam vel admirationem ſcientia rei militaris promovit, nihil plane eloquentiae ornamenta proſunt.

Eam profecto ob rem (dicit ille,) effoeminata hodie ſpectatur virtus, et quodammodo depreſſa eſt excelſitas animorum apud Polonos, quod plane in morem abierit, legere ac loqui plurima, agere nihil dignum viris. In libris habitamus, o Poloni! libris nos plane involvimus atque ingurgitamus: limites interea noſtri diripiuntur, vaſtantur. Vbi nunc miles ille Polonus, qui ex parvis initiis, ad tantum incrementum, rem Polonam perduxit?

Vt porro Archimedes, ſiderum contemplatione, et ſapientia ſua, Vrbi Syracuſanae non profuit, cum illa hoſtium armis perſtreperet, et quaſi cardinibus revulſa, in ſuorum iam prope Civium ſanguine nataret; ita nihil eloquentia quaevis, et ſapientia profuiſſet, *Audaci* et *Krivouſto Boleslais*, ſummo illi, Romanisque ac Graecis Imperatoribus pari, *Zamoiſcio*, *Tarnoviis*, *Kamieniecciis*, *Zolkievio*, *Zbaraviis*, *Chodkievicio*, *Lubomiriis*, *Gąſievio*, *Potocciis*, *Sapiehis*, *Czarnecio*, *Sobieſciis*, *Wiſniovieciis*, *Jablonovio*, caeterisque, ſi pugnandi vis et robur animi emarcuiſſet.

Latet ſiquidem perculſa metu, atque inter tubarum lituorumque clangorem, nullum ſui praebet uſum, ſapiens eloquentia. Hic ego iam Vos obteſtor, Auditores! quiqui adeſtis. Vos ne patiamini tantam labem inſpergi noſtrae Reipublicae? quaſi vero illa antiquioribus

bus ſaeculis totum imperium ſaevo Marti, nihil autem Palladi, nihil Muſis loci relinqueret? quaſi nulla olim ingenia, niſi ſolae vires corporis in noſtra Patria floruiſſent.

At vero quis ignorat, eundem ipſum *Ioannem Zamoiſcium*, quem illi memorant, et militem ſtrenuum, et oratorem nulli ſecundum, legum ac rerum omnium ſcientiſſimum, ut pote ſupremum Regni Cancellarium, ſupremumque exercitus Poloni Imperatorem exſtitiſſe, adeo quidem, ut M. A. Muretus, oratorum aeui ſui in Gallia et Italia facile princeps, elegantiam venuſtatemque ſermonis, et amplitudinem ſapientiae illius ita miraretur, ac ſi quispiam, ex illis priſci Romani Imperii luminibus, Sarmatiae illuxiſſet.

Prius adhuc, illud Poloniae ſidus, *Ioannes Tarnovius*, primarius Regni Senator, tota Europa Ruſſicis, Pannonicis, Scythicis, atque etiam Luſitanicis bellis, et continuis victoriis celeberrimus Imperator, idem autem Latinis, Graecis, patriisque Litteris, idem incredibili rerum omnium ſcientia, idemque ſumma orandi, animosque Gentilium in comitiis, quocunque voluit, flectendi gratia ornatiſſimus. Quis ignorat *Georgium Oſſolinſcium*, ad S. Apoſtolicam Sedem, ad Germaniae Caeſares, et pleroſque Europae Principes, inſignem Oratorem fuiſſe, eundemque in caſtris Polonis legionibus glorioſe imperitaſſe. Quid numerem utraque lauru innumerabiles in Patria noſtra viros?

Iisdem certe ſaeculis, eadem tempeſtate, qua victoriis tropaeisque noſtri annales redundant, non minus ſapientiſſimorum ac eloquentiſſimorum civium copia exornantur. Te appello, *Zbignieve Oleſnicki*, qui unicus, praeſentia animi et brachii fortitudine, ſervaſti Patriae *Vladiſlai* Regis ad Grunwaldum vitam: qua deinde ingenii ſapientiaeque gloria, et ſacrum Romae, et Polonum domi Senatum illuſtraſti! Te, *Martine Cromere*, patriae hiſtoriae princeps, alter Livi Polone, qui per omnium ora volitas, qui illam dictionis Latinae caſtitatem, ac verborum vim, cum ſententiarum gravitate, tam admirabili nexu ſociaſti: ut nihil plane interſit inter tuum et parentum Latinitatis ſermonem. Te etiam appello, alter e Polonis Varro, doctiſſime *Lau-*

renti Goſlicki: Te, *Chriſtophore Warszewicki:* Te, *Ioannes Łaſki:* Teque, *Orichovi*, Roxolane eloquentiſſime: Te, *Demetri Solikovi, Bielſki, Twardowſki, Paule Piaſecki, Petre Krzycki, Staniſlae Łubieńſki, Staniſlae Karnkowſki:* Vos denique, *Kochanowſcii, Maximiliane Fredro, Kochovi, Staniſlae Lubomirſki, Mieszkowski, Starowolſki, Chryſoſtome* et *Ioſephe Zaluscii*, aliique viri ſummi atque in litteris elegantiſſimi, qui in veſtris immortalibus pro aeternitate ſcriptis, quibus Patriam condecoraſtis, Tullios, Senecas et Tacitos nobis loquentes exhibuiſtis, ut nihil iam ſit, quamobrem vel Lipſios Germanis, vel Thuanos Gallis, caeterosque doctos et eloquentiſſimos viros, aliis Gentibus ac Rebus Publicis invidere poſſimus.

Enimvero cum illa tempora in memoriam revoco, quibus Vos, in Polonia veſtra cariſſima, litterarum praeſides, promi condi, et Apollines fuiſtis; triſtiſſima ſane illa fuerunt; neque tamen Vos Germanorum irruptiones, Bohemorum intra limites noſtros vaſtationes, clades, non Tartarorum, Moſchorum, ac Turcarum ferocia, non Suecorum, non Coſacorum ſuperbi ac inſolentes tumultus, non Ruſſorum turbae, non aliorum atque aliorum hoſtium, contra Patriam noſtram, impetus a litteris colendis et excolendis avocarunt.

Atque iisdem temporibus, quibus in Polonia caedes, rapinae, et ſola crudelitatis hoſtium veſtigia ubique ſpectabantur, Vos percommode manſuetioribus Muſis atque eloquentiae cultiſſimae operam dabatis, idque quod ego probare contendo, exemplo veſtro certiſſimum eſſe docuiſtis, ſapientiam ac eloquentiam belli et pacis temporibus in Republica libera neceſſariam et ſalutarem eſſe. Hoc ſiquidem unicum rebus plerumque lapſis ac proſtratis in Republica fuerat remedium, docta ac opportuna conſilia.

Hoc animos Noſtrorum in felici quandoque bellorum fortuna obſtupefactos, ad religionem, pietatem, virtutem, iuſtitiamque revocabat, cum viri ſapientiſſimi ac eloquentiſſimi ſuadere, monere, obteſtari, urgere, egregie ſciverint, atque a neceſſitate ad virtutem Cives ſuos traducere.

Con-

Contra vero, nulla gloriae et felicitatis cupiditas, nullus libertatis patriae, ne iuſtitiae quidem amor vigere poteſt in illis Rebus Publicis, in quibus Cives muti, et elingues ſunt: in quibus litterae, ac praeſertim eloquentia, temporibus omnibus Reipublicae inſerviens, in contemptu et oblivione verſantur.

Quamobrem Mitylenaei, cum aliquas gentes maxime vero opibus ac viribus inſigniores bello ſuperaſſent, nullas eisdem poenas irrogabant, praeterquam quod litterarum ac imprimis eloquentiae artis tractationem interdicebant: ne ſcilicet illi, maiorum virtutes ac victorias commemorantes, iugum ſervitutis reſpuerent atque excuterent.

Quae enim ſunt, quaeſo, alia libertatis retinendae auxilia, et ſubſidia? niſi ſapientia et eloquentia civium. Stabit felix et fortunata illa Civitas, in qua iudicia iuſta, et conſilia ſalutaria probe adhibentur. His enim duobus quaſi fundamentis Rerum Publicarum felicitatem conſiſtere, cum omnibus de Republica bene ſentientibus, aſſerit doctiſſimus noſter Antiſtes *Goslicius*, conſilio videlicet, et iuſtitia.

Satis equidem, ut ego arbitror, his praeſtantiſſimorum in Republica noſtra Polona virorum exemplis, eorum audaciae ac temeritati reſponſum eſt, qui ita fortaſſe opinantur: ad veram Poloni nominis gloriam nihil referre bonas litteras, et vel maxime eloquentiam; qui ita (quod graviſſime doleo,) in vulgus ſpargere non erubeſcunt: ex eo mox tempore rei Polonae gloriam concidiſſe, ex quo Poloni amoenioribus litteris ac humaniſſimis diſciplinis animos adiunxerunt.

Ab illa ſiquidem librorum conſuetudine (inquiunt illi,) orta eſt deſidia: deſidia timorem, timor contemptum rei militaris, contemptus bellandi inſcitiam, haec vero, noſtris temporibus, graviſſimas Patriae calamitates et aerumnas attulit.

O cruda, omnisque honeſtatis, ac rationis etiam rectae vacua pectora! Quaſi vero ſapiens eloquentia, divinum munus, quo a belluis ſecernimur, eiusmodi virus in ſe contineat, otium et deſidiam.

Ecce Vobis STANISLAI AVGVSTI, REGIS Noſtri ſapientiſſimi ac eloquentiſſimi, quotidie in ocu-

 las

los incurrens exemplum. Qui cum ſua ſapiente eloquentia nihil oſcitationi, nihil otio, totum vero conſiliis, vigiliis, ac laboribus, pro ſalute ac felicitate ſuorum populorum, tribuit. Qui ita exiſtimat, totam vitam ſuam tranſmittendam eſſe aliorum negotiis, bono, et commodo. Quem (ut olim Themiſtoclem Miltiadis tropaea,) aliorum Regum ac Principum maximorum exempla excitant. Ille quidem, cui librorum lectio, vitae etiam Regiae eſt pars potiſſima, quoties legit Pompeium lacrymantem in Hiſpaniae Vrbe Gaditana: quod hac aetate Hiſpania nondum potitus eſſet, qua Magnus Alexander orbem univerſum in ſuam ditionem redegerit: an totus non exardeſcit rerum magnarum pro ſua Patria gerendarum ſtudio? Cum Periclem, Oratorem fulgurantem, ac Ducem belli ſumme peritum: Architam Tarentinum, doctum ac eloquentem, eundemque ſexies exercitui praefectum: Cimonem Leonidamque, tam doctrina atque eloquentia, quam bellica virtute clariſſimos exſtitiſſe, ex hiſtoriis, quibus deditiſſimus eſt, abunde cognoſcit: cum nitidos ac venuſtos C. Caeſaris commentarios, inter ferum ac periculoſum bellum Gallicum conſcriptos, diligenter lectitat, frequentesque ipſius, atque inſignes victorias, ex iisdem intente conſiderat: cum denique *Auguſti* incredibilem erga litteras ac litteratos homines amorem, cum maximis illius triumphis confert: difficile dictu eſt, quantopere animum ſuum Regium, ad res excelſas et arduas arrectum, gloriae cupiditas inflammet atque incendat? Et dum bella ſilent, quid tandem Ille praetermittit, quo magis pacis artibus ac ornamentis Patriam noſtram cumulet, aliisque gentibus ac Rebus Publicis non minus beatiorem efficiat.

Audimus, ac legimus omnes, Illius ſapientiae monumenta. Laetique experimur curas aſſiduas, nobisque ſalutares, quae Ipſius Regium ac paternum animum verſant. Videmus, ut in his fauſtiſſimis Regii Eius apud nos principatus exordiis, leges olim deſpectae, nunc poſt liminio reſtituantur: libertas potentiorum effuſa, ac ſupra modum ſubſiliens, lenitate iuſtitiaque temperetur: publici aerarii adminiſtratio, ac menſurarum ponderumque obſervantia, rerumque, quibus quotidie egent incolae, certa pretia, numerus quoque ac diſciplina

pſina militum, prudentiſſimis Illius, diviniſque conſiliis et imperiis, exigantur. Nobis vero communem utilitatem, honoremque, et dignitatem adferunt. Hi ſunt ſcilicet, hi effectus nobiliſſimi, ſapientis Illius eloquentiae, cui condiſcendae, ab ineunte aetate, plurimum temporis feliciter impendit, et cuius futuram perfectionem iam tum facile in illo unusquisque augurabatur.

Quos enim ſors naſcendi, ad clavum imperii deſtinavit, eorum animis quandam excelſitatem et robur, iam ab ipſis incunabulis, adiunxit plerumque et inſeruit. Ita, qui ad Rerum publicarum gloriam creſcunt, ut de Cyro, Romulo, caeterisque Principibus magnis edocemur ex hiſtoriis, iam inter pares generis, aevique aequales, vel a primá infantia et praetexta, regiam exercent induſtriam; iam ſermones, omnesque eorum occupationes, regium quiddam oſtendunt. Sic STANISLAVS quoque Noſter AVGVSTVS, Regum optimus ac ſapientiſſimus, priusquam hoc ampliſſimo in terris honore inſigniretur, quis ignorat, quod ſapiente eloquentia ſua, certum iter ad hoc ſupremum gloriae faſtigium ſibi communiverit. Cum nimirum toties Provincialem Legationem apud Rem Publicam congregatam gereret, unus tum inter omnes, (neminem tamen offendo,) denſis plane audientium humeris elatus, cum ſumma voluptate audiebatur. In Eius eloquentia, ſuavitas Hortenſii, ubertas Tullii, Demoſthenis vis regnare, non ſine iucunditate et admiratione Auditorum exiſtimabantur. Quod ſummum beneficium imprimis quidem DEO, ſapientiae et virtutum Datori: tum vero Patri Illius viro incomparabili, ac Regio ſanguine et ſapientia ſpectatiſſimae Matri debemus; quae ſupra ſexus ſui indolem evecta, non modo foeminas, ſed viros plurimos, pulcherrimarum ac maximarum omnium rerum ſingulari cognitione, et exquiſita ſcientia ſuperavit.

Hoc itaque exemplum vivum ac venerabile ſapientis eloquentiae, Vobis Adoleſcentes propono, hocce celeberrimo die, qui nobis ſummam illam omnium Regni Ordinum laetitiam obiicit, dum Regis ſui concordiſſime Electi ſermone prope divino, in admirationem raperentur: et ſaepiſſime deinde proponam imitandum, cum

mihi in hac Regia ampliſſimaque Vrbe, in hac ſede ſapientiſſimi ac eloquentiſſimi Regis Noſtri, STANISLAI AVGVSTI, munus obtigerit tractandae vobis huius nobiliſſimae maximeque neceſſariae in quavis Republica artis. Hoc Duce, ad ſummum culmen perfectionis, in hac Regina omnium artium (ſic enim eam Euripides appellat,) contendite. Neque ſperatote, ſub eloquente ac ſapiente Principe, Vos alia via magiſtratus aliquos in Republica conſecuturos, niſi ſapiente eloquentia, cum virtute coniuncta. Vt enim ille totam (quae ſumma eſt,) gloriam his artibus imputat, ita nemini Reipublicae adminiſtrationem credet, niſi viris ſibi ſimillimis, id eſt ſapiente eloquentia et virtute, maiorem in modum commendatis. Cui ſapientiſſimo, optimoque REGI, una mecum omnes omnia fauſtiſſima precemini. VIVAT ſapientia, eloquentia, virtute, et amore omnium beatiſſimus REX NOSTER, STANISLAVS AVGVSTVS! Atque ſub illo REGE, ut olim Romae ſub AVGVSTO, floreant litterae et imprimis eloquentia! Regnent cum illo, uti coeperunt religio, pietas, libertas, virtus, iuſtitia! Omniaque publica ac privata bona, ſub BONO REGE, qualem optavimus, et amare debemus, augeantur et confirmentur!

CLXIV.

Pontifex Cracovienſis, CAIETANVS IGNATIVS SOLTICVS, Princeps, ut in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentiſſimus, ſuperiore anno, in comitiis *Inaugurationis*, memorabilem dignamque *Polono Senatore*, orationem habuit. Sub cuius finem, *Sacram Regiam Maieſtatem*, atque *Rempublicam*, impenſe obſecravit obteſtatusque eſt, ut AVGVSTI III, optimi quondam ac maximi Regis, piaeque ac ſanctae ipſius coniugis,

iugis, MARIAE IOSEPHAE, corpora e Saxonia in Poloniam deportentur, atque Cracoviae, debito more rituque ſacrorum, ac decenti pompa, veterum Regum Patrumque ſepulcro inferantur. Interque Senatores eos, quibus Rex, ac Regni Ordines, exequendi huiusce ſupremi pietatis officii curam demandaturi ſint, ſe Praeſulis partem gratiſſimo ac libentiſſimo animo aſſumturum, ultro pollicitus eſt. Idque graviſſimum, atque doctiſſimum e Societate Ieſu virum, eundemque elegantiſſimum poetam, MICHAELEM KORYCIUM, Varſavienſis Collegii Rectorem permovit, ut ſummum iſtum, et magnanimum, fideque in Reges ſuos celeberrimum Principem atque Antiſtitem, in celebratione lucis annuae, quam ille primam vitae habet, hocce munere, digno Apolline, fuerit proſecutus:

AVGVSTVS III.
POLONIARVM REX,
CAIETANO CRACOVIENSIVM EPISCOPO,
EX CAMPIS ELYSIIS.

Conceſſum Harpocrati ſatis eſt: ſemperne tacebo,
Et mea ſecreto pectore ſenſa premam?
Tertia iam meſſis flavas detondet ariſtas,
Ex quo noſtra Tibi littera nulla data eſt.

Hinc

Hinc ſi forte putes, quod noſtram oblivio mentem
Obruat: hac animus ſuſpicione vacet.
Dum celer Elyſias cymba portarer ad oras,
Eſt mea Lethaea tincta carina vado:
Sed mea Lethaeis mens non eſt pota fluentis,
Vt, CAITANE, Tui deſinat eſſe memor.
Quam teneo, Divûm Sedes oblivia neſcit,
Neſcit dilectos non meminiſſe ſuos.
Dum mihi ſepta fuit mortali corpore vita,
Plurima, queis animus diſtraheretur, erant.
Pars in Familiae curam non parva diei,
Pars in Rempublicam contribuenda fuit.
Quot mihi, vos teſtes Superi! contriverat horas
Turba per inſtantes ſaepe moleſta preces.
Iſte Senatorum veſtiri murice poſcit,
Militiae clavam vendicat ille ſibi;
Prope ſuis Natis hic orat: poſtulat alter,
Gaudeat ut Frater nobiliore loco.
Si quibus intentat decreta timenda Tribunal,
Ad Solium accurrunt, auxiliumque rogant.
Interea rapiunt diverſa negotia mentem,
Nec vacuam curis triſtibus eſſe ſinunt.
Damna ferunt miſeri, paupertas aere levanda eſt;
Accuſant, poena eſt conſtituenda reo.
Conſiliis opus eſt, Procerum cogenda corona:
Curſor abit, celeri littera danda manu.
Hoſtis adeſt, gravibus ſuſpirat Saxo ſub armis:
Suppetiae debent arte vel enſe dari.
Sic ubi ſollicitus multorum commoda curo,
Talibus in ſtudiis vita peracta mihi.
Principis haec ſors eſt, ut dum ſua regna gubernat,
Nunquam ſit dominus temporis ipſe ſui.
Funera quid memorem toties defleta meorum?
Quam ſaepe in luctu noxque diesque fuit!
Extremo ſua fata die lectiſſima Coniunx
Clauſerat, et Matrem Nata ſecuta ſuam:
Nata, cui ſpumans auro parebat Iberus,
Et cui vectigal terra Sicana dabat:
Cuius in Imperio Titan non occidit unquam,
Deploranda oculis occidit illa meis.

Tum

Tum vidi, quod ſit rerum variabilis ordo,
Et petat excelſum ſumma procella caput.
Mors caras animas, terras mihi Pruſſus ademit:
Bis ſimul infelix, orbus et exul, eram.
O Superi! (libuit teſtari voce dolorem,
Qui ſi prorumpat mitior eſſe ſolet,)
O Superi! quibus eſt rerum ſuprema poteſtas,
Qui regitis terras, qui mare, quique polum:
Nil geritur caſu: triſtis, ſeu proſpera res ſit,
Veſtris conſiliis res agitata venit.
Seu caelum affulſit, veſtro data numine lux eſt:
Seu tonuit, veſtra fulmen ab arce ruit.
Non ego conſilium ſacris penetralibus actum
Damno, ſed veniam ſupplice poſco prece.
Infenſas cohibete manus, et parcite tandem
Dura tot in miſerum tela rotare caput.
Si quas commerui, ultrices ſuſpendite poenas,
Nec cumulate novis vulnera vulneribus.
Non mihi durato cor eſt adamante recuſum,
Nec natura meas duxerat aere fibras:
Sum mortalis ego, quamvis me Iuppiter altus
Extulit, et rerum fraena tenenda dedit:
Sum mortalis homo, quem magni dextra Tonantis,
E fragili maſſa, labile finxit opus.
Num Superis laus eſt, vili contendere limo,
Aut frangi calamos omnipotente manu?
Hos ego, Divorum ſacras proſtratus ad aras,
Fundebam triſtes corde dolente ſonos.
Ac veluti turtur, viduatus coniuge cara,
Et nido pulſus, nocte dieque gemit:
Sic ego complebam lacrymoſis queſtibus auras,
Dum mihi Nata, Vxor, Patria rapta fuit.
CAIETANE *vides, ſi tot quaſſata procellis*
Mens mea non potuit non meminiſſe Tui:
Tene obliviſcar, memorique e corde movebo,
Dum me curarum nulla procella rotat?
Iam teneo portum: tuta ſtatione quieſcit
Cymba, per adverſos quae fuit acta Notos.
Non me Gradivi feralia claſſica turbant:
Hunc, ubi laetus ago, pax tenet alma locum.

Depo-

Depoſui diadema, cui eſt ſollemne gravare:
Sceptra mihi dederant nobiliora Dii.
Dum tamen ad Lechiam mea verto lumina: laetor,
Quod regitur ratis haec a ſapiente Tiphi
Nec mea curarum ſtimuli praecordia pungunt,
Cum natale animo ſaepe pererro ſolum.
Iam reparat fractas bello Saxonia vires,
Firmo XAVERII fulta patrocinio:
Donec tractandis ſceptris adoleſcat et armis
Ingenuus, vigili Matre fovente, Nepos.
Non doleo extinctum Natum, ſed gaudia teſtor,
Quod citus ad ſedes venerit ille meas.
Nec licet in luctum ſolvi, quod Nata, vel Vxor
Eſt praematuro funere rapta mihi.
Quas complorabam amiſſas, utramque recepi:
Eſtque Viro Coniunx reddita, Nata Patri.
Ducimus hic alacres multo felicius aevum,
Quam vel ſumma hominum fingere vota queant.
Omnia terrarum modo mens ſolatia ſpernit,
Aeternaturis exſatiata bonis.
Namque, ſuperniarum ſuaviſſima copia rerum,
Quem, rogo, non ſatiet, qua Deus ipſe ſatur?
Et licet immenſis Superûm circumfluo donis,
Sidereo celſum nactus in orbe locum:
Non tamen e rerum ſublimi culmine temno,
Si quos mortalis carcere vita tenet.
Promittebat opem Pharius Pincerna Ioſepho,
Quando miſer parili compede vinctus erat.
At poſtquam liber Regum remeavit ad aulam,
Promiſſis fallax non ſtetit ille ſuis.
Ingratos animos, naturae immania monſtra
Odi, nec Lybicis monſtra ferenda plagis.
Nobis Caelicolis caeli natura ſequenda eſt,
Quae terris hauſtas ſponte refundit aquas.
Sic ego conſimili facto benefacta rependo,
Quique mihi ſervant, his ego ſervo fidem.
Quos vivus ſtabili fueram complexus amore,
Hos etiam, vitae munere functus, amo.
Tu, CAITANE, mihi fueras HEPHAESTION *alter.*
Tu quoque prae multis nunc mihi carus eris.

Vt

Vt taceam veteremque fidem factisque probatam:
Quae nova ſunt, tantum commemoraſſe iuvat.
Rege coronato nuper, ſcio, qualia feſto
In Procerum coetu vota fuere Tua:
Vota, Tuum certum quibus es teſtatus amorem,
Vota mihi nullo non recolenda die:
Scilicet, ut cineres conſumpto ſanguine moeſtos,
Ac mea Lechiacum conderet oſſa ſolum.
Quae dederat vivo Solium, ſi terra dediſſet
Extincto tumulum: res mihi grata foret.
Interea, quicunque locus mea corpora ſervet,
Spondeo: ſemper erit mens mea iuncta Tibi.

CLXV.

Rex, altae nobilitatis indolisque virum, *Ioannem Chodkiewicium*, Samogitiae Caſtellanum creavit. Foederatae Podoliae Mareſchalcum, *Nicolaum Stadnicium*, fama generis, editisque omnium virtutum experimentis inſignem, Camenecenſi Caſtellania ornavit. Princeps Cracovienſis Praeſul, Cathedralem Canonicum ſuum, *Ioſephum Olechowscium*, excellenti ingenio, ac doctrina, prudentiaque praeditum, magna item pontificii iuris peritia, rerumque omnium eccleſiaſticarum notitia copioſe inſtructum, ſingulari denique animi bonitate, induſtria atque diligentia, et pietate, et humanitate, et integritate, tam Suae Celſitudini, quam etiam omni clero, ac populo pluribus modis probatum, Surrogatum in Epiſcopali Curia Iudicem dixit. Vladiſlavienſis Antiſtes, Cathedralis

ſuae

ſuae Eccleſiae Canonicum, *Ludovicum Bratoszewſcium*, moribus ac litteris praeſtantem, in Primicerii gradum promovit. *Zlocium*, ob merita multa ſibi cariſſimum, in demortui *Wybicii* locum, Pomeraniae Archidiaconum ſubſtituit. *Ioannem* autem *Grochowalſcium*, doctiſſimum virum et admodum facundum, Canonicorum Cathedralium ordini inſeruit.

CLXVI.

Cricius, eximiae erga Regem fidei et conſtantiae praemium, Krywinenſem Caſtellaniam reportavit. Rypinenſem accepit *Michael Podoscius*, Nobilitati admodum gratus. Succeſſit ipſi in Praefecturam Bobrownicenſem, germanus frater, *Franciſcus* nomine, carus inprimis et amicus popularibus. *Kluczewscius*, vir impigro atque acri ingenio, ſummaque prudentia, et modeſtia, et abſtinentia, et fide, apud Regni Archicamerarium, Principem *Poniatovium*, ſecretiorum Epiſtolarum officium ſuſcepit. *Giuliani*, Regius quondam apud Turcarum Imperatorem interpres, decora corporis forma, ingenii ſagacitate, promta comtaque facundia, et elegantiorum, et utilium omnium rerum doctrina, tractandorumque atque explicandorum negotiorum cura, et diligentia commendatiſſimus,

ſimus, morbo citiſſimo atque vehementiſſimo, nobis eſt ablatus. Receptusque caelo eſt Cathedralis Livoniae Cancellarius, *Ludovicus Meline*, facie deterrimus, animi autem, ingeniique indole, moribusque et ſtudiis, cum optimis clariſſimisque huiusce aetatis viris conferendus.

CLXVII.

Korycius; prudentia atque humanitate non minus, quam ingenio ac doctrina pollens, Ducem Muſarum, IOSEPHVM ZALVSCIVM, Kioviae atque Czerniechoviae Praeſulem, Varſavienſium Patrum Societatis Ieſu aeſtivas delicias, Pulcoviam, egregia Autumni tempeſtate inviſentem, omni pietatis honorisque officio excepit, datisque in epulis, ſuave hoc, et dulce carmen, ad citharam cantitare iuſſit:

AD VOLVCRES, QVAE AVTVMNI TEMPORE SVAS SEDES MVTANT.

Picta cohors, Volucres! patriae viridantis alumni,
Aërei ſolatia regni,
Quid mutare iuvat ſedes, et remige penna
Metiri intervalla viarum,
Quaerereque ardentes peregrino ſidere terras?
Impigros prohibete volatus!
Cernitis, ut verni, noſtra regione, renidet
Temperies placidiſſima caeli.

*Ver aries * ſignat: IOSEPHI lilia vernant*
Et violae per brachia ſerpunt.
Doctrinaeque comes, Laurus numeroſa vireſcit,
Praeſuleis innexa Tiaris.
Huc, alata phalanx! rapidis allabere pennis,
Huc, o ſylveſtres citharoedi!
Hic, ubi vicini platanus vetus accola montis
Frondoſas late explicat umbras:
Viſtuleumque amnem ſublimis deſpicit ornus,
Et ſalices tiliaeque comantes,
Affuſum terris herbarum vulgus opacant:
Hic patulis conſidite ramis,
Hic dulces iterate ſonos, et carmine feſto
Praeſuleas depromite laudes.

CANTVS.

Adeſte, veris Gratiae,
Sertis onuſtae floreis!
Roſis vias inſternite,
Qua Praeſul hoſpes advenit:
Quem Purpurata dignitas
Candorque morum purior,
Et rubicundum, et candidum,
Eccleſiae Sponſum notant.
Hic, ſi quid auri colligit,
In pauperum ſpargit gregem:
Ovesque manſuetus regit,
Et Agnus, et Paſtor ſimul.
Hunc eloquentem Curia,
Hunc Templa Numinis pium,
Suumque Patrem Patria,
Doctumque proclamant libri.
Nec ille tantum doctus eſt,
Sed Doctor audit omnium,
Quos excolit ſcientiis,
E Bibliotheca docens.

Quae

* Alluditur ad Stemma ZALVSCIANVM.

Quaecunque Gentes Thybridem,
Auroque flaventem Tagum,
Aut Ararem lentum bibunt,
Artes bonas hinc hauriunt.
Huc Roſſus armorum potens,
Opumque dives Batavus
Venit, reditque ditior
Scientiarum copiis.
Quae tandem in orbe natio
Vallata duris montibus,
Aeterna quo non permeet
ZALVSCIORVM gloria?
Quam magna laus eſt Nominis,
Tam longa vita Praeſulis,
Honoribus circumfluens,
In mille ſaecla floreat.
O vos, Sorores tetricae!
Quae fila vitae ducitis,
Aevo perenni, ſtamina
Noſtro IOSEPHO tendite.

CLXVIII.

Smolenſciae Caſtellanus, *Thadaeus Burzynscius*, parentis ſui, nomine *Staniſlai*, doctiſſimi atque eloquentiſſimi viri, legumque ac rerum omnium patriarum ſcientiſſimi: qui depoſita Senatoria dignitate, Societatem Ieſu, pietatis eruditionisque opinione claram, et inſignem, ingreſſus eſt: **Generalium Omnium Regni Comitiorum, Statutorumque, Et Conſtitutionum, Quae Ad Publicum Poloniae Ius Faciunt, Accuratam Notitiam**, vernaculo ſermone congeſtam, civium uſui et iudiciis exhibuit. Regisque imagine, *Marſtalleri* opera adornatam, Suae Maieſtati dedicavit. Zacrocimenſis Praefecti filius *Thadaeus*

daeus Mlocius, adoleſcens probus, idemque ingenioſus, et diſertus, et eruditus, egregioque patre digniſſimus, Burlamaquii Principia Iuris Naturalis, Polonico ore donata, Regi obtulit. *Minaſowicius*, Canonicus Kiovienſis, Auſonii Selectiora Epigrammata, Eiusque Epitaphia Heroum, Et Edyllia, in ornatiſſimos atque optimos verſus Polonicos tranſtulit, Regiaeque Maieſtati eleganti carmine conſecravit. *Rogalinscius*, Societatis Ieſu Presbyter, apprime philoſophiae naturalis, et mathematum ſtudiis doctus, bonum librum, De Rerum Omnium Naturalium Initiis Atque Effectis, lingua vernacula compoſitum, Regi publice vovit et porrexit.

CLXIX.

Konarscius, magnus homo, et plane ſapiens, IN ANNIVERSARIO DIE, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI STANISLAI AVGVSTI, REGIS POLONIAE, MAGNIQVE DVCIS LITVANIAE CORONATI, SERMONEM IN LVCEM EDIDIT: QVO ADOLESCENTIBVS GLORIAE VERAE NOTIO DATVR, SENSVSQVE INSPIRATVR. ANNO MDCCLXV. VII. KAL. DECEMBRIS.

Prae-

Praemiſſa ei, haec ODE, IN ANNIVERSARIIS SACRIS CORONATI REGIS, AD DIVOS REGNI INDIGETES:

O quibus, Regis Patriaeque res ſunt
Deſuper curae, SVPERI Benigni!
Supplici, mites placidas et aures,
Flectite voto.

Hic dies pleno redit almus anno,
Sacra lux magnae Populi ſaluti!
Liberis certum melioris omen
Gentibus aevi!

Primus hic celſae diadema fronti,
Optimi Regum, Patriaeque Patris
Iunxit, et Regno nova fluctuanti
Fata recluſit.

Quanta biſſeni peperere menſes!
Pulchra Libertas, animamque Leges,
Et Themis ſedem penitus relictam
Tuta recepit.

Conſili ſanctus vigor, et Senatus
Temta iam dudum rediere iura.
Spes alit bellax, avidusque priſcae
Sarmata famae.

Mirus inceſſit calor et Iuventam,
Gloriae Patrum ſatis invidentem.
Quid boni non dent, et Opes, et Artes
Creſcere iuſſae?

Proſperent haec DI bene coepta! Multo
Thure fumantes adoremus Aras,
Imperi ſortes ut eant ſecundae,
Soſpite Rege.

 Sub-

Subſequitur SERMONIS ARGVMENTVM hiſce verbis:

Poeta dat Iuventuti verae gloriae notionem. Incipit vero ab *Horatii Flacci* Venuſini exemplo, qui, dum *Auguſtus* ioco, de eo quereretur, ſe ab eo ſperni, quod ſuas Epiſtolas et Sermones aliis, non ſibi ſcriberet, ſeſe eleganti ad *Auguſtum* Epiſtola I. Libri II. excuſavit, pudore ſe retrahi, ne parvum carmen, et repentes per humum ſermones Maieſtati obtrudat. Sequi tamen vel eminus ſe *Horatianos* ſermones velle, qui cum tempore emendari poſſint: praeſertim Noſtri AVGVSTI ſaeculo, ſub quo ſpes ſit, litteras, et educationem Iuvenum fore florentiſſimam. De cuius utilitate aliquid innuit: deinde laudis et gloriae cupiditatem adoleſcentibus potiſſimum inſpirandam eſſe: monendos tamen eos eſſe, in quo veram olim gloriam ſtatuere illos oporteat; non in opibus certe, non in titulis et potentia, non in protendendo armis imperio; ſed in bene merendo de Patria, praeſertim vero in excolendis omnibus artibus, quae ſint Civibus ac Populo perutiles, beatamque reddant Rempublicam.

Habes hic integrum Sermonem:

Repere ſe Venuſinus humi, neque Caeſaris aure
Promere dignum quid, Muſa obluctante, fatetur:
Arridet tamen Auguſto, *ſermone, ſolutae*
Conſimili linguae, cum maieſtate locutus.
Carmina nos quoque non numeris, non arte polita,
Indeque praeceptis morum meliora ſecuti,
Tentamus, premimusque ducis veſtigia Flacci
Loripedes. Conandum aliquid vel debile, donec
(More Crotoniatis, ſueti portare lacertis
A vitulo creſcentis onus bovis,) ad graviora
Artus firmentur. Niti libet: anxia coeptis
Ars rudibus, limam ſemper dabit, et mala menda
Paulatim expunget: vitiis ac oblita, nunc et
Pinguia, deterget, polietque laborque diesque.

Auguſti

Auguſti et nobis redit aetas, Principe docto!
Pacato qui conſiliis ſapientibus orbe,
Legibus ornata Patria, coetuque peracto
Magnae Gentis; compoſitis belliqne, domique
Rebus; depulſis longe qui nubibus atris,
Sanguineam quae vix non depoſuere procellam;
Sedato motu pelagi, civilibus armis
Ereptis, Iani ancipitis qui cardine clauſo,
Ac Themidis templis, et apertis Areopagis,
Tranquillo ſerum Solio fruiturus in aevum,
Imperii curis iſtam potioribus addet:
Sarmata habere domi proprias ut poſſit Athenas,
Deficiat formandae ut nil ad magna Iuventae,
Nec Latio, Druidum nec ſucceſſoribus, olim
Spartanis quidquam neque Legibus invideamus:
Gloria quo Patriae creſcat, mirentur et aptos
Caſtra viros, Arae myſtas, et Curia Patres,
Quos nunc Palladiis ſpectamus ludere in ulmis.

Aſt ut quid certi prima a lanugine conſtet,
Expedit, a teneris, quas ſit traducta per artes
Aetas, in cunctas verti tunc prompta figuras.
Eſtque ratum et conſtans, tales olim fore Cives
In Patria, ſancta tales et in aede Senatus
Patres, primaevo quales in flore Iuventae,
Hos Praeceptorum prudens vigilantia finget;
Inque animos molles melioris ſemina vitae
Injiciet. Monita inter, cauſas inter honeſtas,
Illicio famae et laudis, ſuperanteque vulgus
Gloria, ad egregios, generoſo et pectore dignos
Ducitur auſus, pubes florentiſſima Regni,
Praetextam poſitura brevi, ferulaque relicta,
Civium et ipſa ſacros coetus auctura bonorum.

Sanguinis eſt etenim alti, gloria, ſemper amica,
Pervaditque animos, et magnorum corda virorum,
Nomen ut eximium praeponant vitae, opibusque,
Et potiora ſibi quaevis diſpendia ducant
Rerum; quas primas cupiunt, virtute relicta,
Serviles animae, lucrique cupidine captae.

 Nam

Nam quis in his unquam famamque, decusque reponat
Summum, fluxis et perituris rebus? aut quis
Fortunae prodeſſe putet niſi munera caecae,
Vt nemo ſit clarus, felix nemo, niſi idem
Dives, honoratus, multisque clientibus auctus?
Faſcibus ac praeeunte auream lictore liburnam,
Victrici aut lauru, ſua circum tempora, cinctus?

Eſt breve, mortales quidquid delectat, id unum
Praeter, quantum quis Patriae bene praeſtitit, et ſe
Exemit vulgo, magni qui nomine Civis.
Hoc ſapiens bene ſcit: ſed oberrat ſaepe Iuventus,
Neſcia, quo ſeſe populum ſuper elevet; et rem
Summam, nunc in opum ſtatuit ſplendore ſuperbo,
Nunc ampullata ſerie locat in titulorum,
Nunc tantum domito in captis ex hoſte tropaeis.
Sed nos velamen teneris demamus ocellis,
Incerti ſumant ne lucida pro pretioſis.

Divitiisne igitur tentetur gloria primum?
At tibi ſint, fuerint quae Craſſo, quaeve Lucullo,
Aut his maiores Croeſo vel Pygmalioni;
Si nihil hinc Patriae, niſi quod gravioribus arcis
Brachia nulla ſatis ſint, quod frangantur aheni
Vectes; ridendi populo praebebis avari
Materiem, ad manesque macros inglorius ibis.
Quis furor iſte etenim? mentis quae inſania? dum tot
Artibus iniuſtis legitur, celetur ut aurum?
Nil intentatum, nil ſanctum, nilque propinquum,
Auri ſacra fames patitur: ſopita revolvit
Rurſus iura: fidem nulli bene ſervat amico:
Vicino iuxta litem movet, atque remoto.
Creſcit res, avido creſcit ſub pectore flamma.
Nil curo, modo ſim dives, locuples, opulentus:
Talem me norint cuncti, ſic audiar urbi.
Talis eris, ſed non melior, nec pluris Apella
Iudaeo, cuius faſtum, et ſtratum ſolido auro
Grande pavimentum calcavit et Amſtela riſit.
Qua data porta opibus lectis per fasque, nefasque,
Nil ignobilius, quin certa infamia merces.

Nil

Nil in res alienas uſurpat ſibi iuris
Gloria vera, ſed utilibus praeponit honeſta.
Ergo congeſti non ingens aeris acervus,
Manſurae faciet laetari munere famae
Quenquam, ſi friget ſtudium probitatis et aequi,
Omnis et in fulvo demerſa eſt cura metallo.
Nomen ne quaeras fruſtra in praedivite cenſu,
Aeterno quicunque voles ſplendeſcere honore.

Ad faſces juvat ergo recurrere, et ordine longo
Poſcere tranſmiſſas ab avis proavisque ſecures.
Scilicet officiis amplis, titulisque, clientum
Turba et amicorum poterit ſtudioſa parari.
Fas erit in quavis primas tum ludere ſcena,
Et mediam, Patriae damna inter, commoda et inter,
Lancem agitare: ultro quia parent cuncta potenti,
Et ſibi nil vetitum ducit, nil inficiale.
Quid liceat? vel nulla, vel ultima quaeſtio: quippe
Illi eſt prorſus idem, omnia poſſe, ac cuncta licere.
O miſerum! famam qui in libertate nocendi
Peccandique impune putat ſe poſſe locare:
Cui ſit idem quidvis audere, ac eſſe potentem.
Gloria vera ſequi non vult hanc paſſibus aequis,
Sublimi venit quaecunque ab honore, poteſtas,
Ni tota in Patriae populorum et commoda cedat.
Vile Magiſtratus, Comes, et Dux, vile Senator,
Vile Palatinus, Princeps, et Maximus Archon,
Grandia diſtendant ſi tantum nomina pompam,
Intus quam claudit ventoſa cucurbita, nil plus.
O ingens caput! at mutum, vel inane cerebro.
Quot geſtant ſtatuas, ipſae ridentque Curules!
Gloria nempe ſuis hos accenſebit alumnis?

Trans Arabes etiam extremos, trans ſi quis et Indos,
Proferat Imperii fines mucrone ſoluto,
Clarus erit, ſaeclis at deteſtabilis idem.
Namque, quid interſit, ratio docet ipſa, Latrones
Victoresque inter populorum? furca quod illis,
At thronus iſtis, pro facto debetur eodem.
Praedo fores rumpit, violatque mapalia: Regna
Tota quatit, gentes necat, exſcinditque Tyrannus;

 Exi-

Exiguam funis praedam) ſed purpura pendit
Grande latrocinium. Mercator caeſus, opaco
Detegitur ſaltu, mento iam putruit: ohe!
Publica Praetoris clamat vindicta ſecures.
Impius aggreſſor Regni, ſi millia centum
Innocuorum hominum enecuit, miſitque Charonti
In ſtyge mergendos, nimio prae pondere cymbae;
Non contentus adhuc redimi ſua tempora lauru,
Letiferum caput expoſcit diademate cingi.
Io triumphe! heus iam pueri mimique, celebres
Cantate Heroas, quot gentibus exitiales!
Tigribus atque lupis, queis ſaevior unguis, et illis,
Se citius ſatiet calido panthera cruore.
Si tamen humani quidquam illis inſit, at ipſo
Veſani quid non patratur Martis in aeſtu!
Immeriti quantum deſpumat ſanguinis aequor!
Oppidaque in cineres atramque redacta favillam,
Et non ploratae, deletis Civibus, Vrbes
Intereunt: monumenta ſacrae immortalia Famae!
Hiſne decet manibus decus attrectare perenne,
Humana fervent quae caede, ſcatentque cruore?
Fas non eſt, illos aeternis vivere faſtis,
Vita queis aliena uno ſtetit aſſe minoris;
In genus humanam quibus uſurpata poteſtas
Divinae vim legis habet; qui ferrea cudunt
Vincula, mortales ipſi, mortalibus aeque;
Tollere qui vitam cunctis poſſunt, dare nulli.
Myriadas gladiatorum, fera Myrmilionum,
Orbis in excidium, quibus agmina plebs alit aegre:
Nam vix ipſa fame non deperit, has ut hyaenas
Nutriat, hos pardos, quos trux Ducis ira ferocis
Innocuis immittat agris, ſtragesque minetur
Continuas: pavor undique, et undique clades
Imminet, et vicina fremunt, et diſſita pallent.
Scilicet, hoc homines Dis aequat, gloria vult hoc:
Par nihil: aſſiduis iuvat inclareſcere bellis.
Summus apex hic eſt famae, laudumque ſuprema!
At ſpernenda Viris eadem, execrandaque magnis,
Legitimi, liciti, et iuſti, et cultoribus aequi:

Dete-

Deteſtanda bonis, linquenda Neronibus atris:
Quam qui illis ſors invideat, dementior iisdem eſt;
Et tribus anticyris caput inſanabile portat.

Clarior ergo mihi meritoque illuſtrior ille,
Qui prudens belli flammam, impavidusque perhorret,
Et cui plus vita eſt Civis, quam gloria quaevis
Propria. Sed Patriam ſi barbarus aſſilit hoſtis,
Fortunae, capitis, ſobolis, ruit immemor idem,
Vt Leo, per medias caedes, per tela, per ignes,
Conſervatque ſuas defenſis Civibus aras,
Tranquillosque Lares, cunctis tuta otia praeſtans:
Sed ſimul, ut cuſtos argutus, et undique cautus,
In ſubitos quosvis caſus parat arma, manusque.
Securam populo ſic aſſerit ille quietem,
Pacatusque ſuae Patriae Numa Civibus audit.
Legibus humanas tum res in pace revincit,
Effingitque hominum genus ad virtutis amuſſim.
Ingeniis inſiſtit, et artibus expoliendis;
Quae mentes acuant, ac ad ſublimia tollant,
Quae ſolidi faciant ad veri cognitionem.
Quarum aliae, pulſa eraſaque ſuperſtitione,
Numinibus normam, et ſacris dent rite colendis,
Atque probos mores inducant, et baſin omnis
Iuris; quod fieri tibi non vis, et mibi nolis:
Aſt aliae impediant, vitiis ne dedita ſit plebs
Torpida, pigritie ne diffluat, at maleſuadam
Indefeſſa famemque ſitimque induſtria pellat.
Fons ut opum primus, ſolers cultura ſit agri,
Vrbicolis lucroſa ferant commercia nummos;
Plebeiae turbae diteſcendi hic modus eſto,
Hic labor, ars digitis quidquid ſubtilibus audet.
Sic modico ſenſim creſcent aeraria cenſu
Patria, collectique et magni fluminis inſtar,
Gaza velut parvis turgeſcet publica rivis.
E populo iam quisque parum ſibi demat, et addat
Communes ad opes, ne pulvinaria, ſoli
Dignique invidia jaceant Regalia Perſae.

Conſilio factoque ſuis qui talia praeſtat
Civibus, et patrios vitam partitur in uſus;

Cui

Cui ſcopus eſt commune bonum; cui denique primae
Eſt curae Reſpublica, felix atque beata
Vt ſit: huic debet ſe gloria iure perenni:
Invida non petet hunc inimico dente vetuſtas,
Nec monimenta dies delebit, nec meritorum
Tempus edax teſtes tabulas, nec marmora laedet:
Sed nomen potius gratum transmittet in aevum,
Poſteritasque memor tabulas, et marmora vincet.

O Cives! Cives generoſo pectora honeſto
Imbuti! vobis quid non, ſub Principe tanto,
Moliri expediat, verae pro gloriae amore?
Qui iam pene ſui oblitus, propriaeque ſalutis
Immemor, in res, emolumentaque Civica totus
Imminet, antiquos inſtauraturus honores
Gentis, et Europae lanci momenta daturus.

Ergo, Pater Patriae, Regum, reor, Optime, ſalve!
Optatum decus Orbis Sarmatici, inclyta Magni
Herois Proles, populo da iura fideli,
Spes ſupera noſtras, Piaſtique et Neſtoris aevum!

CLXX.

Albertrandi, Presbyter Societatis Ieſu, copioſiſſimo ingenio, elegantiſſimisque omnibus litteris ac doctrinis, atque omni virtutum genere praeditus, IOANNIS III, POLONIARVM OLIM REGIS, ELYSIIS EX SEDIBVS, AD SVOS POLONOS EPISTOLAM, ANNIVERSARIA CORONATIONIS DIE, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS STANISLAI AVGVSTI, his verſibus confinxit:

Vos

Vos, quibus inſignis veniebat plurima lauro,
  Lechiadae! noſtra littera ſcripta manu,
Accipite hanc etiam, quae gaudia noſtra recenſet;
  Quamlibet, umbrarum ſedibus, illa venit.
Non ita funerea merſum me credite nocte,
  Ne bona, vel mala me tangere veſtra queant.
Qui fuit in vivis, ſedes amor obtinet iſtas,
  Laetitiamque ferunt fauſta, nefaſta dolent.
Regulus everſa riſit Carthaginis arce,
  Infremuit Brutus dum iuga Roma ſubit:
Laetitiam ſenſit populo victore Lycurgus,
  Legibus everſis ingemuitque ſuis.
Quid veteres memoro? ſiquidem mea gaudia ſenſi,
  Mutata toties iſſe, rediſſe vice.
Laetabar, quando Cameneci moenia, veſtris
  Cogitur expulſus linquere Turca plagis:
Dum, toties fruſtra tentata Podolia bello,
  Edomitis ſubiit Lechica ſceptra Scythis *.
Moerebam, Arctois quando Mars excitus antris
  Funeſtas Patriae ſubderet ipſe faces:
Cognatasque aquilis aquilas opponeret, arma
  Sarmatiae tribuens, ſe quibus illa necet **.
Laetabar, quando Scythicas furor actus in oras
  Diffugit, et Patriae pax redit alma meae ***.
Moerebam ... Veteres mitto renovare querelas,
  Triſtitiae nullus cum locus eſſe queat.
Quae venere mihi nunc gaudia, gaudia vincunt
  Omnia, nec luctum commemorare ſinunt.
Expectata meae rediit iam gloria Genti,
  Et Patriae, et ſceptris, quod fuit ante, decus.
Eſt tandem, eſt aliquis, Gentis qui ſceptra Polonae,
  Sarmatiae Civis, iudice cive, regat.
Eruta iamque animis vaneſcit opinio, nullum,
  Cui dare conceſſum eſt, poſſe tenere thronum.

Tri-

* Camenecum, et univerſa Podolia, Poloniae a Turcis reſtituta MDCXCIX.

** Bellum Sueticum MDCC.

*** CAROLVS XII, in Turcarum ditionem fuga delatus MDCCIX.

Triſte erat, in talem cives impellere mentem,
Turpe fuit, tali credulitate capi.
Vt referat dignas Regum, Diademate gemmas,
Non petit Arctoas Indica puppis aquas;
Vt revocet ſparſas per florida prata ſorores,
Non cicindelam provida quaerit apis:
Dux eadem volucris, volucri eſt, dum trans mare terras
Sepoſitas, Ibis frigore pulſa, petit.
Sic iam diſplicuit nimium placuiſſe, remotis
Prenſuri qui aderant ſceptra Polona plagis;
Viſus et eſt dignus Civis, qui regnet, et olim
In Patria aequales pergat amare ſuos:
Qui legem, magno ſuffultam a cive labore,
Iam ſolam dominam noverit eſſe ſuam.
Laetor ego, atque meos, hoc facto, noſco Polonos,
Qui mihi ſceptra, quibus nomina clara dedi.
Ipſe mihi, Regni Civis dum flectit habenas,
Et vitam et ſolium iam rediiſſe puto.
Laetitiam ſenſere parem, quicunque Piaſti
Stirpe ſati, patriae poſthabuere thronum.
Magnus, et in fratris redivivus prole, IAGELLO,
Amplius exſtinctam non dolet eſſe Domum.
Dulce STANISLAI nomen iam ſceptra tenentis
Sarmatica, Herois cor tetigitque Patris.
Gaudet, (namque dato quis non diademate plaudat,
Illud ſi virtus ſique paravit amor?)
Gaudet, quod dederint gentis ſuffragia Nato
Sceptra, magis patriae quod bene gaudet erit.
*Fecit amor gentis, ne vivus ſceptra teneret *:*
Idem amor et Nato plaudere Rege jubet.
Purpura diſplicuit civilibus ardua rixis:
Cunctorum votis purpura parta placet.
Par decus, oblatam et Patri fulſiſſe coronam,
Et Nato acceptam ſuſtinuiſſe, fuit.
Non amor haec finxit Patris, ſed talia credit,
Quisquis in Elyſios Sarmata venit agros.

Non

* Ajunt viri fide digni, ſub Electionem Anni MDCCXXXIII, fuiſſe complures, qui palam dicerent; cupere ſe quidem Regem STANISLAVM, dummodo is PONIATOVIVS eſſet.

Non opus, aeternis demerſas usque tenebris
Fatorum tabulas, conſuluiſſe fuit.
Ipſe ſibi eſt animus fatum, ſperandaque Regno
Pandere, Regnantis mens generoſa poteſt.
O Patria! o Ciues! mihi ſemper amabile nomen,
Rege STANISLAO, vos bona quanta manent!
Pace frui dabitur, non quae languore ſolutis
Ciuibus, at multo parta labore venit.
Scilicet utilior numeroſo milite fiet,
Quae fuerat bello pax metuenda magis.
Praelia, pace tamen ſtabili, compoſta quieſcent,
Queis nullus, ſpreta lege, triumphus erat:
Nempe Aſtraea locum quando concedere Marti
Debuit, et ferro victa ſilere Themis.
Legibus omnis abhinc inerit vis: ſolaque erunt haec
Arma timenda malis, arma petenda bonis.
His ne forte ruat libertas fulta columnis,
Quae mala ſunt Patriae, ſola vetare ſciet.
Lex eadem validis luxum frenabit habenis,
Sola nec, inter opes, Patria pauper erit.
Imo dives erit, propriis dum mercibus aucta,
Eoas viſet Lechica pinus aquas:
Aequoraque haud unquam velis tentata Polonis,
Signaque Sarmatiae divitiasque vehent.
Hinc, utriusque orbis ſpoliis opibusque ſuperbae
Vrbes, extollent arduum ad aſtra caput.
Hi campi, hi colles, ingentia moenia fient,
Quos nemus, aut late ſparſa ruina tenet.
Illa etiam, toties fruſtra depulſa, tenebras
Barbaries repetet non reditura ſuas.
Qui Tameſim Sequanamque bibunt, qui Tiburis undas,
Hic Muſas quaerent, hic Latium atque Sophos.
Non tamen, obtentu doctrinae, priſca licebit
Sacra cavillari, aut ludificare Deos.
Ingenium poterit civis placuiſſe Lemani *,
Ingenio ſed erit carior ipſa Fides.

Scri-

* Laci Lemani, ſeu Genevenſis. Notiſſimi ſunt duo illi, huiusce aetatis auctores, quorum unus adpellatione, alter incolatu, cives ſunt Genevenſes.

Scribere plura vetor. Veterum ſed maxima Regum,
Rege STANISLAO, *gloria tota redit.*
Ille SIGISMVNDOS *fortuna vincet et annis;*
Prae STEPHANIS *palmam pace ſagoque feret:*
Iuſtior et Maior CASIMIRIS: *nominis haeres*
Vtque IAGELLONII *eſt, ſic pietatis erit.*
Denique Sarmatiae dum ſtabunt Regna, manebit
Celſa STANISLAI *gloria, gentis amor,*

CLXXI.

Gneſnenſium Archipraeſul, Regnique Poloniae Primas, ac Primus Princeps, *Vladislaus Alexander Lubienscius*, diſertas admodum ſuaveſque publicavit Homilias, quas lingua vernacula frequentiſſime ad populum dixit. Optimi clariſſimique Culmenſis Antiſtitis, *Andreae Baieri* iuſſu, caeleſtis illa divinaque concio, quam ſapiens atque eloquens vir, *Petrus Hyacinthus Sliwicius*, Congregationis Miſſionis ſummus in utraque Polonia moderator, S. STANISLAI die ſolemni ac feſto, in novi heroici ordinis inauguratione habuit, expreſſo auctoris nomine, in lucem edita eſt. *Valentinus Szylarscius*, eruditiſſimus homo, et laborioſiſſimus, Cracoviae in collegio Canonicorum Regularium, quod de Saxia nominatur, humaniores litteras profitetur. Traditam diſcipulis ſuis Rhetoricam Eccleſiaſticam divulgavit. Collegii Praepoſito, *Staniſlao Wolscio*, graviſſimo viro, ſtudiorumque amoenitati-

tatibus deditiſſimo, inſcripſit. *Fulgentius Obermaior*, Presbyter Scholarum Piarum, ingenii acumine, Latinaeque facundiae copia ſimul et venuſtate excellens, Varſaviae lectiſſimos, clarosque a ſanguine iuvenes, oratoria arte inſtituit. Emiſit in doctorum manus, tres Orationes ſuas, Romanis auribus dignas: unam, De Coniungendis Cum Nobilitate Litteris; alteram, De Laudibus Divi Thomae Aquinatis, Angelici Eccleſiae Doctoris; tertiam, De Theologia Profano Sive Saeculari Homini Neceſſaria. Dicavit ſummo iure, Kioviensium atque Czerniechovienſium Praeſuli, *Ioſepho Andreae Zaluscio*, qui omne ſuum conſilium, ſtudium, officium, omnem operam, curam, impenſam, cogitationem, mentem denique omnem, ad conſervandam atque augendam litterarum amplitudinem, dignitatemque convertit.

CLXXII.

Doctus ille, ſanctusque, et pius Kiovienſium Epiſcopus, *Ioſephus Andreas Zaluſcius*, credito fidei ſuae Clero atque Populo, illam Epiſtolam miſit:

LITTERAE PASTORALES, ILLVSTRISSIMI, REVERENDISSIMI, EXCELLENTISSIMI DOMINI, D. IOSEPHI COMITIS ZALVSKI, KIOVIENSIVM ET CZERNIECHOVIENSIVM EPISCOPI, EDITAM BVLLAM SVMMI PONTIFICIS, CLEMENTIS XIII, QVA INSTITVTVM SOCIETATIS IESV RVRSVS CONFIRMATVR, SVA IN DIOECESI PROMVLGANTES.

Fratres, Filiique mei, in DEO Cariſſimi. Singulari DEI Providentiae tribuamus neceſſe eſt, quod his temporibus, quando corrupti, ac extra legum repagula erumpentes ipſorum quoque Orthodoxorum mores, communem quandam vitae licentiam prae ſe ferunt; dum capitales Fidei Catholicae hoſtes ſanctiſſima Legislatoris Noſtri CHRISTI Domini inſtituta convellentes, contra ſacrum SOCIORVM IESV Ordinem, horrendam excitarunt procellam; tum maxime Caput Vniverſae Eccleſiae, et S. PETRI Succeſſor, Pontifex Maximus, feliciter, atque utinam ad plurimos annos, gubernaculis rei Chriſtianae praeſidens, ſolenni decreto, ſive Bulla, religioſam, et ad lucrifaciendas animas, Deo dicatam Familiam, ſecundum antiquas Anteceſſorum ſuorum, Romanorum Pontificum, ac ſaepe repetitas confirmationes, denuo confirmare, et approbare dignatus eſt: quo arrogantes Eccleſiaſticarum Legum violatores rubore inſigniter ſuffundit, qui ſtatus ſui ſaecularis limites ſuperbe egreſſi, impias et ſacrilegas manus ad thuribulum audent extendere, in iisque viris, Divini cultus augendi ardorem reſtinguere, qui a Patre ſuo IGNATIO, in Deum ac Proximum, amoris flamma ſuccenſi ſunt. Hanc tantam perverſorum eiusmodi hominum improbitatem, acerbiſſime ferentium, quod IESV SOCIETAS palam acriterque, pro Eccleſiae Fideique integritate, ſe illis obiiciat, in qua illi labefactanda, diſturbandaque, magno conatu laborant, ut revinceret, ruboremque eis incuteret, ad haec, ut palam faceret, veritatem illius ſententiae ad eos pertinere: Mentita eſt iniquitas ſibi; dum eorum alii SOCIOS

CIOS

CIOS IESV criminantur, quod a praeſcripta Legibus ſuis vivendi ratione aberrent; contra alii, quod aequo religioſius legibus ſuis adhaereant, ac obtemperent, re ac nomine clemens, totius Chriſtiani Orbis Pontifex, CLEMENS inquam huius Nominis XIII, ſupra memoratam Bullam, per totum Chriſtianum Orbem publicam fecit, quam Nos eo maiore ſtudio, ac voluntate, CHRISTI fidelibus, curae noſtrae commiſſis evulgamus, quod non communes ſolum aliis Praeſulibus, verum etiam peculiares, ad id, nos cauſae permoveant.

Nam ut praeteream, quantum Gymnaſiis SOCIETATIS IESV debeam, e quibus prima virtutis, ac doctrinae cepi rudimenta; neque commemorem, quam firmo, a primis vitae annis, conſtantique ſtudio, ſacram hanc Familiam proſequerer, quae me ad perſequenda Sancti, ac etiam, ſi fas eſt gloriari, neceſſitudine mihi coniuncti Adoleſcentis, STANISLAI veſtigia invitabat; vel id ipſum Fratris mei Cariſſimi exemplum, qui cum eſſet in Epiſcoporum Poloniae numero antiquiſſimus, Principis Sielunenſis honorem cum modeſtia Religioſa permutavit in SOCIETATE IESV, ſacra eius veſte Romae ſuſcepta, ſatis mihi incitamenti afferret, ut animum meum, huic Ordini magnopere deditum, hac occaſione ſignificarem. Praeterea, ſi ad virum illum, ſanctitatis laude conſpicuum, *Thomam* de *Rupniew Uieyſcium*, in Kioviae Epiſcopatu, Anteceſſorem meum, animum intendo, qui teſte, Vitae ipſius Scriptore, *Brittio*, Apoſtolicis laboribus paene confectus, in rerum terrenarum deſpicientia, contemplationeque caeleſtium, reliquum in SOCIETATE IESV vitae curſum abſolvit; dum in auribus meis etiamnum ſonare videntur, voces illae Beati Martyris CHRISTI, *Ioſaphat Kuncewicz*, Archi-Epiſcopi Polocenſis, quibus ſuam, erga hanc Societatem, voluntatem teſtabatur, prae teneritudine ſenſus identidem inquiens: Eum nequaquam eſſe e numero praedeſtinatorum, qui non eſſet e numero SOCIETATIS IESV amicorum, num mihi temperare poſſum, quin meum etiam, erga hanc ſacram Familiam amorem, documentis quam maxime manifeſtis teſtificer?

Etiamſi autem graves, quae me peculiariter attinent, cauſas minime haberem, ipſa tamen *Paſtoralis Officii* ratio ſatis me ad id excitaret, ut pro viribus me interponam, pro ſacri huius Ordinis integritate, qui a Summis Eccleſiae Romanae Pontificibus, ſit repetitis vicibus confirmatus: ab Eccleſiae Occidentalis Antiſtitibus in *Tridentina Synodo* commendatus: ab Epiſcopis autem Poloniae, tanto in honore, amoreque habitus, ut univerſae prope, quotquot exiſtunt in Regno Poloniae, eius Domus, ac Collegia, ſi non ex integro impenſis Epiſcoporum excitata, ſaltem ab iisdem liberaliter aucta ſint, et amplificata. Id quod non alio animo hic commemorandum duxi, quam, ut eos obtrectatores pudore ſuffundam, qui huius Societatis homines temere criminantur, quaſi Epiſcoporum poteſtati repugnent, ac contra illam nitantur, rebusque iis, quae ſunt muneris Paſtoralis, ſe ingerant, intrudantque. Aliter profecto de iis ſtatuendum putarunt, maxime memorandi illi in Patria noſtra Primates, *Dzierzgowſcii*, et *Uchanſcii*, qui viros de hac Societate in Poloniam accerſere magnopere cupiebant. Aliud quoque de iis iudicavit, ille ſaeculorum omnium memoria dignus, Varmienſium Antiſtes, *Hoſius*, qui evocato in Poloniam *Salmerone*, SOCIETATIS IESV Theologo, ſub *Synodo Tridentina*, orbi toti notiſſimo, Ordinis huius in perſona *Salmeronis*, quandam veluti ſementem primus Brunsbergae fecit. Longe alia erat de iis ſententia, illorum Antiſtitum ſapientum, divinoque ſpiritu praeditorum, quando eorum quilibet, eos apud ſe habere nitebatur; deque iis ſinguli inter ſe certare videbantur, quales fuere: *Noſkowſki*, Epiſcopus Plocenſis, qui eos Pultoviam; *Konarſki*, Epiſcopus Poſnanienſis, qui Poſnaniam; *Karnkowſki*, Regni Primas, qui Caliſſium; *Wolucki*, Epiſcopus Luceorienſis, qui eos Luceoriam, et Ravam accivere. Hi enim omnes, viros hoſce non modo incredibili excepere, complexique ſunt amore, verum etiam opportunos conſtituendae eorum, confirmandaeque rei familiari, proventus liberaliter aſſignarunt; inter quos praecipue nominandus venit, praeſtantiſſimus vir ille, *Valerianus Protaſewicz*, Epiſcopus Vilnenſis, cui non erat ſatis, ut praeſidia vitae opportuna, eis benigne

nigne providerit, quin etiam Academiam, variarum Facultatum ſedem ac domicilium, eorum curae fideique commendaret. Praetereo ultro alia poſteriorum temporum, Collegia, Domicilia, ſacrarumque expeditionum Domus, nec non Theologicas Cathedras, Societati deſtinata et attributa, a reliquis Epiſcopis, eorum enim numerum, *Epiſtolae Paſtoralis* brevitas, quae in animo propoſita eſt, vetat perſequi. Satis eſt, ſi duorum duntaxat illorum virorum praeſtantiam ſplendoremque intenta mente aliquantum contempler; quorum alter SOCIETATEM IESV in Poloniam; in Lituaniam alter evocavit. Quanto imprimis in pretio, apud omnes Poloniae incolas, ſit oportet vel ipſum *Hoſii* nomen, facile quisque apud ſe ſtatuet, cum de eo vel ipſi Catholicae Fidei iurati hoſtes adeo praeclare ſenſerint, ut eum, teſte *Rescio*, qui Vitam eius litteris conſignavit, *Papiſtarum* ac *Polonorum Numen*, appellare ſolerent. Quanta etiam ſanctitatis fama floruerit *Protaſevicius*, luculenter id declarat *P. Antonius Poſſevinus*, qui praeter alia, optatum Legationis ſuae a ſede Apoſtolica in Sveciam, Moſchoviam, et Poloniam exitum, poſt DEVM, precibus, nec non impertitae ſibi, ab impoſitis ſancti huius Praeſulis manibus, benedictioni refert in acceptis. Cum itaque ambo hi viri, ſanctitate et ſapientia illuſtres, tantopere SOCIOS IESV adamarent, cum eos piiſſimi, acerrimique Divini honoris Propugnatores, Poloniae Praeſules, tanto in honore haberent, profecto ante oculos eorum obverſabantur, tam praeclara hominum Societatis animi ornamenta, tanta doctrina, tam indefeſſus ad animarum lucra ardor, tanta virtutum exempla, quae ipſorum ſtudia, voluntatesque erga illos impellerent, ac quandam veluti vim ad illos fovendos adhiberent.

Et certe, ſi deploranda illa retro tempora tantum memoria repetamus, quibus incomparabilis ille Dei ſervus, *Petrus Skarga*, una cum Sociis, hanc vineae CHRISTI partem excolebat, haud dubie nobis fatendum erit, quod ipſi prudentiores, modeſtioresque Haeretici profiteri non dubitarunt, (ex Cardinalis *Commen-*

mendoni teſtimonio, * cum is Legatione tunc Apoſtolica in Polonia fungeretur,) Poloniam nempe impiorum dogmatum ſentinam, ac errorum perfugium eo tempore èxſtitiſſe, quos *Socini* illi, *Stancári*, *Liſmanini*, *Gentiles*, *Blandratae*, *Echini*, *Statorii*, *Budnii*, *Volani*, *Vergerii*, *Dudithii*, *Sylvii*, *Diſcordiae*, *Levartovii*, *Lascii*, *Sarnicii*, *Krowicii*, *Lubieniecii*, *Orzechowscii*, *Moskorzewscii*, *Brzezinscii*, *Romanowscii*, *Torbae*, *Sroccae*, *Bieſagae*, *Pierzchalae*, *Kreſichlebowii*, impune diſſeminabant. Intuebimur Patriam noſtram, meram ſpeluncam Latronum animarum, et officinam peſtiferarum opinionum fuiſſe, usque eo, ut quotquot fere eſſent Senatores, tot etiam diverſarum ſectarum exiſterent patroni, ac propugnatores. Videbimus propagatas in dies ab errorum architectis, venena ſua longe lateque dictis ac ſcriptis ſpargentibus, deteſtandas doctrinas: Scholasque Levartovienſes, Pinczovienſes, Broginenſes, Chmielnicienſes, Grudzienenſes, Kosminecenſes, Bereſtecenſes, Vilnenſes, Poſnanienſes, Scebreſinenſes, Turobinenſes, Seceminenſes, Neſviſienſes, Siemiaticenſes: *Rakovienſem* illam *Socinianorum* Academiam: coetum illum nemini ignotum deteſtabilium maxime haereticorum, ſub nomine *Fratrum Polonorum*, quorum vel ipſorum tantum ſcripta, praeterquam quod variarum Nationum idiomatibus ſint expoſita, tantum in Latinum converſa, decem integros in folio explent tomos, ac in Bibliotheca noſtra aſſervantur. Animadvertemus factioſorum eiusmodi hominum audaciam, furoremque eo iam tum evaſiſſe, ut Antiſtites ſacri fugam, qua vitae ſuae conſulerent, extra Patriam iam pararent; Sacerdotes vero, ſacros ritus clam ac furtim obire cogerentur; quibus enim tantum animorum erat, ut eos palam celebrare auderent? idque niſi capitis ſui periculo facere poterant, quemadmodum evenit ei, qui, cum ſacra Corporis CHRISTI myſteria, fretus Regis praeſentia, Lublini deferret publice, ſibilis aſtantium, convitiisque exploſus continuo, demum verberibus graviter eſt multatus. ** Comperiemus Praeceptores Orthodoxos e ſuis gymna-

* *Lagomarſinius*, in Commentario In Pogianum.
** *Hoſius*, Tom. II. Epiſtolarum, Ad Sigismundum Auguſtum, Poloniae Regem.

gymnaſiis eiectos, ſuffectosque in eorum locum errorum magiſtros; quotquot vero tam iniquis rebus obſiſtere auderent, vita ipſa exturbabantur; quemadmodum praeclarus ille Praeceptor Cracovienſis, *Wolſki*, quod Cathedram ſuam haeretico magiſtro haudquaquam cedere vellet, per ſummum cruciatum eſt interfectus. * Deprehendemus poſtremo Poloniam, non modo alienis a vera doctrina opinionibus infectam fuiſſe, verum etiam, quod deteſtabilius eſt, ad Atheorum impietatem iam iam declinaſſe, quando in Iudiciis non iam per Servatoris CHRISTI Crucem, verum per Solem, iureiurando manſura fides ſponderetur, cuius rei perhibet teſtimonium *Staniſlaus Orzechowſki* ** in haec verba: Nova Iudiciorum forma introducitur! Quidam Iudices, non per ſalutareCrucis ſignum, quod palam deteſtantur, ſed per ſolem, gentilium ritu iusiurandum interponunt. En! denuo (ſubiungit) nos Poloni, pro dolor! a vera Eccleſia deflectentes, ſenſim ad priſtinos inanium Deorum cultus ſacrilegos relabimur! Quando depravatae religionis anteſignanus ille, nimiumque pervicacis animi, *Domanowſki* infame ſcriptum, adverſus animae immortalitatem, Polociae ad valvas Eccleſiae affigere non dubitavit; ille autem deteſtabilis Socinianus, *Budny* de eadem animae immortalitate, ſententiam rogatus reſpondit: rem eiusmodi controverſam adhuc eſſe, ac ulteriori diſquiſitione indigere; quando denique impudentiſſimus ille, ac perfidioſus *Ochinus*, palam dictitare auſus eſt: ſe in dubium vertere, num aliquem Deo cultum praeſtari oporteret? *** Cum autem deplorandam adeo, per id tempus, Poloniae ſortem, in memoriam nobis revocamus, quaeramus pariter ex nobis: cuiusnam ope, ac labore, cariſſima Patria noſtra, ex tam acerbiſſimo rerum ſtatu ſit erepta? aut quisnam Regnum hoc, ab eiusmodi peſte communiter iam ſaeviente expurgarit? haud equidem poſſumus vel minimum derogare ardori Antiſtitum, nec non Sacerdotum, paſcendo CHRISTI gregi dicatorum. Vigilabant illi multum; quantumque in ipſis erat, furorem ſaevientium luporum ab ovili Domini acriter propulſabant; nihilo-

* *Reſcius*, in Spongia.
** in Epiſt. Ad Hoſium.
*** *Reſcius*, in Spongia.

hilominus tantae, ac tam diverſae depravatorum rei Chriſtianae multitudini, ipſi ſoli certe pares eſſe non poterant; potiſſimum, quod haereticorum calliditas, hanc ipſam eorum curam pervigilem, non tam ſalutis Animarum deſiderio, quam conſervandarum Poſſeſſionum ſuarum ſtudio, nequiter aſſignaret; quemadmodum id pulcherrime, praeclarus vir ille, *Rescius*, Andreioviensis Abbas declarat, qui refellendo haereticorum argumenta, inquit: Fuere, haud inficior, ante adventum in Poloniam Patrum SOCIETATIS IESV, viri rerum Divinarum cognitione praediti, litteriſque egregie perpoliti: verum, cum vobis, depravatores veritatis, obſiſteremus, hac ſemper adverſus nos, coram ſodalibus criminatione uſi eſtis: Nos ſcilicet, dum adverſamur vobis, non Amoris DEI, proximique, verum Epiſcopatuum, Abbatiarum, ac Praelaturarum rationem habere, velleque placere ſummo Pontifici, penes quem eſt largitio bonorum Eccleſiaſticorum. En! ad vos, in oculis omnium, in ruborem dandos, miſit DEVS in Regnum noſtrum homines, non minus Divini cultus ſtudioſos, quam eruditione commendatos; qui nequaquam ad Epiſcopatus, aliasque dignitates Eccleſiaſticas aſpirant, adeo, ut etiam voto ſe obſtringant, nullam ſe plane dignitatem velle aucupari, nec per ſe ipſos, neque per alios; qui pro quibusvis Spiritualibus obſequiis, qualia ſunt: Miſſarum Sacrificia, Sacri ſermones, Doctrina Chriſtiana, et horum ſimilia: nihil mercedis admittant; homines, qui a nemine quidquam expectant, praeterquam a Deo; metuunt nihil, praeterquam Divinam offenſam; ut vel ex eo cognoſcatis, vigere in Eccleſia Catholica, verum Animarum zelum, absque ulla ſpe lucri temporalis. Horum profecto hominum indefeſſo labori, magna ex parte Polonia debet, ſervatum rei Chriſtianae honorem, ac haereticae pravitatis extirpationem; qui Parvulos, rudimentis fidei, magna cura initiando; Gymnaſia, informandae ad pietatem et ſapientiam Iuventuti, aperiendo; per pagos, oppida, ac Civitates, verbum Dei, ſanam et ſalutarem doctrinam, diſſeminando; vitae integritate, virtutumque exemplis, depravatos mores emendando; errores haereticorum convellendo, Patriam noſtram, a certiſſima ruina ac interitu, quem iam ſpectabat, vindicarunt; eos, qui a veritatis doctrina defecerant, ad erroris agnitionem adduxerunt; haeſitantes dubioſque circa Fidei Myſteria plane confirmarunt, ac ſtabilierunt. Quos eorum labores, manifeſtis non ſemel miraculis, Omnipotentis DEI manus comprobare dignata eſt, e quibus, duo tantum, ne longior ſim, commemorabo.

Alte-

Alterum eſt: quod, cum haeterodoxus ille *Czechowicz*, de rebus fidei, cum quodam e Patribus Societatis decertaret, ſtabiliendique erroris cauſa diceret: velle ſe, ſi quae diſſeruiſſet, veritati repugnarent, ut facultatem loquendi continuo amitteret; cum Divina Iuſtitia eodem plane momento mutum reddidit et elinguem *. Alterum, dum alius nempe, de Capite Eccleſiae, Wiznae cum Patre *Smiglecki*, Societatis IESV, diſceptaret, atque in haec verba erumperet: ſi a vero aliena loqueretur, deſiderare ſe, ut potu calicis, quem manu teneret, mortem ſibi conſciſceret; derepente Divina vi exanimatus corruit.

Neque vero graves, ac ſapientes viri, ſilentio praeterierunt, impenſa Patriae noſtrae, ab hominibus Societatis, qua in extirpandis erroribus, qua in lucrandis Deo animabus, eiusmodi obſequia, quin etiam eos debitis praeconiis dilaudarunt. Quod enim, ſummae in Republica exiſtimationis, Primas *Uchanſki*, ad Patres Societatis Viennam, unde eos in Poloniam evocabat, perſcripſerat: quoniam a vobis, tanquam fortiſſimis bellatoribus, ad praelia Domini facienda, pro Eius Eccleſia deſtinatis, praeſentius, certiusque auxilium, quam ab aliis, ad ſuperandas hoſtium Fidei vires expectamus, id circo vobis, Ordinique veſtro hanc provinciam laboremque demandare decrevimus; id ipſum etiam magnanimus Rex ille, *Sigismundus Auguſtus*, in privilegio, quod tulerat, ad faciendam iuris publici *Sacram Scripturam*, a Patre *Wuiek* patrio idiomate expoſitam, confirmat in haec verba: quandoquidem antiquiſſimam vetuſtate, Fidem Catholicam, homines callidi, impiis artibus perturbant adeo, funditusque expugnant, ut merito timeri oporteat, ne res eo delabatur, neminem aliquando fore, qui importunitati ac proterviae eorum obſiſtere valeat, praeclarum fuit eorum conſilium, qui SOCIOS IESV in Poloniam acciverunt. Quippe ſpe nitimur, favente DEO fore, ut eorum ope, Orthodoxa Religio, in Regno noſtro, priſtinam auctoritatem recuperet, eaque deinceps conſtanter floreat. Idipſum quoque, incomparabilis ille Praeſul, aetate ſua Theologorum facile princeps, Cardinalis *Hoſius* teſtatur, qui, ut pro allatis Eccleſiae Dei emolumentis, gratum Societati praeſtaret animum, in haec verba, inquit: Perquam egregio, in reſtituendis Domi-

Ff 5 nico

* *Reſcius* l. c.

nico ovili, a quo aberrarunt, meis ovibus, venit mihi ſubſidio IESV SOCIETAS, quae niſi praeſto mihi fuiſſet, nunquam tam ancipitem cauſam ſuſcipere auderem! O quam inſolitam id mihi praebet laetitiam! dum fieri nempe eorum induſtria video, quod ſacrae DEO aedes in dies, multitudine fidelium ac frequentia, magis, magisque celebrentur; a Daemonum autem miniſtris, eorum diſcipuli, nullo non die, magno numero dilabantur.

Atque hic iam finem *Paſtorali* huic *Epiſtolae* meae conſtituerem, ſatis hisce aliquot ſapientibus gravibusque fretus teſtimoniis, niſi quorundam minus perſpicacium hominum voces ad aures meas pervenerint, ſcire ſcilicet cupientium: quidnam ſit cauſae, ut, tametſi, quemadmodum oſtendi, SOCIETAS IESV tam uberes afferat DEI Eccleſiae fructus, nihilominus non ab haereticis duntaxat, verum etiam ab ipſis Orthodoxis vexetur, prematurque? Ad haec profecto, ut quam pauciſſimis reponam, id tantum, quaerentibus ex me in memoriam revoco, quod aeterna veritas, et Magiſter Noſter, CHRISTVS dixit diſcipulis ſuis: Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret; quia vero de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus. Inſectabantur, neque inſectari ceſſant viros Societatis ſemper, ac ubivis maledicorum hominum linguae, malignitate tanta, ut eos peiorem in modum, quam ipſos flagitioſiſſimos haereticos, in animis hominum effingant. Exacuebantur contra eos, et exacuuntur per omnes late Regiones peſtiferi calami, tanto in numero, ut ſi eos tantum libros, quos prae manibus habeo, perſcenſere animus eſſet, maior eorum copia haberetur, quos videlicet adverſus hunc Ordinem malevoli conſcripſiſſent, quam qui ab omnibus, quotquot erant, Gentilibus adverſus naſcentem CHRISTI Eccleſiam aliquando ſunt editi. Comparabantur imo in caput ipſorum machinae; dolique per varia loca tanta immanitate, ut amplius duo millia eorum, inter quos ſex Cives ſuos numerat Polonia, CHRISTI Martyres memorentur. Ipſae denique eorum leges, ac inſtituta, toties a ſummis Pontificibus ventilata, approbata, et collaudata, invidiam hominum SOCIETATI IESV infeſtorum nequaquam effugere potuerunt, quin ea callidi veteratores calumniis contumeliisque appeterent, praveque ſemper, ac in deterius

inter-

interpretarentur. Novi probe haec omnia; ſatque frequenti auditione, lectioneque accepi magno animi mei dolore, tot ac tanta in hanc IESV SOCIETATEM iacta probra, ac maledicta; verum cum non ignorem quoque quidnam dixerit Servator mundi, ut animos, ad toleranda fortiter eiusmodi adverſa, ſuis diſcipulis adderet: Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum ſeparaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen veſtrum tanquam malum; cum neque me lateat, quid etiam Divus *Paulus*, in Epiſtola altera, ad Timotheum, de omnibus CHRISTI ſectatoribus ſentiat, ſcilicet: Omnes, qui pie volunt vivere in CHRISTO, perſecutionem patientur; cum denique ſatis exploratum habeam, quod ipſe dux ac conditor Familiae huius, id tanquam certum, maximumque velit eſſe apud ſuos Divinae benignitatis documentum, ſi multis ſane moleſtiis vexationibusque conflictentur, minime id mihi mirandum venit, ſi audiam, homines Societatis non ab haereticis duntaxat, verum etiam ab ipſis ſolutioris vitae Catholicis, qua dictis, qua ſcriptis, vi denique aperta exagitari. Verum criminentur illi eos, divexentque, quantum velint, ego certe in ea ſum ſententia, quam tulit ſedes Apoſtolica: * Conſtans fuit omnium ſenſus, etiam Pontificio confirmatus oraculo, Deum ſicut alios, aliis temporibus, Sanctos viros, ita Luthero eiusdemque temporis haereticis, IGNATIVM, et inſtitutam ab eo SOCIETATEM, obiecisse. Spargant alii, ac diſſeminent de B. IGNATIO, eiusque filiis, vel maxime deteſtandas opiniones; mihi tamen prae oculis obverſatur, quod Eccleſia Romana, de iis profitetur: ** Imprimis inter Catholicos inſtaurare pietatem curae fuit. Templorum nitor, catechiſmi traditio, concionum, ac Sacramentorum frequentia ab ipſo incrementum accepere. Ipſe ubique locorum, ad iuventutem erudiendam in litteris ac pietate, gymnaſia aperuit.

Itaque cum habeam tam multa, ac firma, qua communia aliis, qua mihi peculiaria, teſtificandi erga hanc Societatem amoris mei argumenta, non modo ea, qua par eſt, obſervantia animique alacritate, *Bullam* Sanctiſſimi D. N. Eccleſiae gubernacula feliciter tenentis, Romae ad S. Mariam Maiorem, VII Idus Ianuarii, Anno MDCCLXIV editam, quae incipit: Apoſtolicum paſcendi Do-

* *Brev. Rom.* Feſto *S. Ignatii.*
** ibidem.

Dominici gregis munus; excipio, verum etiam per univerſam Dioeceſim meam, de Cathedris promulgandam decerno, unaque oves meas hortor, ac obſecro, ut *Paſtoris* ſui vocibus obſecundent; atque eos, quorum inſtituta ſancta *Caput Eccleſiae* benigne approbat, collaudatque, certa ac ſincera caritate in CHRISTO complectantur, a quo ſolo tota ſpes noſtra, vita, aeternaque pendet felicitas. Datum Berdyczoviae, Anno Domini MDCCLXV.

CLXXIII.

Magnus Societatis Ieſu, Phoebique ſacerdos, *Michael Korycius*, ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO, COMITI IN ZALVSKIE ZALVSKI, KIOVIENSIVM ET CZERNIECHOVIENSIVM ANTISTITI, CVM SVAS PASTORALES LITTERAS, PRO TVENDA SOCIETATE IESV, IN DIOECESIM SVAM MITTERET, ID CARMEN dicavit:

FABVLA.

Veſper erat, pronoque Phanes devectus Olympo,
Heſperias ſpectabat aquas: cum Paſtor, aprico
Exſpatiatus agro, dulces inflaret avenas,
Lanigerosque greges ad paſcua laeta vocaret:
Ecce autem, nemorum latebris caecisque cavernis,
Procurrunt mala turba, Lupi! conſpectibus atrox,
Fulvo dente minax, promiſſis hiſpida villis,
Evibransque faces rubeas per lumina torva.
Iam propius ſteterant, praedamque hinc inde vagantem
Contuiti, exacuunt dentes, ac morſibus aptant.
Interea ſolers Spartana gente catellus,
Horriſono inſtantes ululatu prodidit hoſtes.

Haud

Haud mora, proſiluere canes, queis cura tuendi
Eſt commiſſa gregis, Melaneus et Asbolus acer:
Et Dromas, et Laelaps, natosque ſecuta Lyciſca:
Et curſu praeſtans Pterelas, validusque Moloſſus,
Aſper Hylax, audaxque Thous, fratresque Lacones.
Diſcurſant, animosque ferunt ad bella paratos,
Ac rutila oſtentant nudis in dentibus arma,
Atque ſuas raucis teſtantur vocibus iras.
It ſonitus, pulſae ſtrident latratibus aurae.
Non ſecus, ac alta vigilans ſpeculator ab arce,
Dum videt adverſas acies conſcendere muros,
Clamat adeſſe hoſtem, tremulo dans claſſica cornu,
Inſequitur fremitusque Virûm, clangorque tubarum,
Armorumque ſonus totam perlabitur Vrbem:
Sic, ubi pacifico ravus populator ovili
Imminet, agnorum cuſtodia fida, Moloſſi, et
Caetera turba canum, latratibus aëra rumpunt.
Accurrit Paſtor, iaculis ſuccinctus acutis,
Queis trepidas tutetur oves, rabidamque repellat
Progeniem, innocuo cupientem ſanguine paſci.
Tum Lupus, ingenio reliquis verſutior, unus
Mentitus Charites oculis, blandumque renidens,
(Si tamen eſſe poteſt hirſuto gratia vultu)
Signat amicitiam, fluitante per aëra cauda,
Vtque ſibi liceat pauciſſima verba profari,
Obſecrat, ac duris ſternit ſua corpora terris.
Conticuere canes; Paſtorque accommodat aurem,
Dicere quid tentet villoſus latro bidentûm.
Ille videns, ſiluiſſe canes, ſiluiſſe Viroſque,
Tales demiſſo profundit gutture voces:
Inclyte vir, cuſtosque gregis, fortiſſime Paſtor!
Hae turbae, hi fremitus, haec tela micantia quorſum?
Non pugnae ſtudium nobis, non cura nocendi eſt.
Iuro per Satyros, per nomina iuro Dianae,
Vera loquor, nulloſque dolos ſub pectore verſo:
Ipſe mihi teſtis non abnuet eſſe Gradivus.
Nec maleſvada fames, nec dira cupido cruoris,
Linquere nos iuſſit tranquilla cubilia ſylvae.
Non praedas agere, aſt auras captare ſalubres,
Fert animus: pigra ne corrumpant otia corpus.
Si curſu ſuperamus agros, num currere crimen?
Si caras ſpeculamur oves, num noxa videre?

Can-

Candida ſi pecudum, Scythicisque aequata pruinis,
Vellera laudamus, pulchrum laudare nefasne?
O bellas ovium ſpecies! praeclara Deorum
Pignora! digna, quibus textum fulgente metallo,
Vt Phryxeo Agno, tegumentum Juppiter addat:
Digna, quibus radiet magnorum ſtemma Virorum:
Digna ſuper caelos ferri, medioque locari
*Zodiaco *, pulſoque gelu dare gramina terris,*
Arboribusque comas, viridesque volucribus umbras,
Atque thymos apibus dulces, roremque cicadis.
Haec ovium laus eſt, nullum reticenda per aevum,
Quae tamen (ut verum fatear,) non inſcia labis.
Scilicet, ut ſociam iungit ſe ſpina roſeto,
Gemmaque ſcabritiae, ſcoriaeque adnaſcitur aurum,
Cordeque mortali reſidet rariſſima virtus,
Quam non ullius vitii confinia laedant:
Sic placidis ovibus probroſum crimen adhaeret,
Quod non immerito noſtras exſuſcitet iras.
Cara Diis ſoboles; et manſuetiſſima pubes!
Quid tibi cum canibus, monſtris peioribus angue?
Cerberea cum prole, dies noctesque morari
Non pudeat? lubeatque tuam committere vitam
Veſanae ſtirpi, cui gloria ſumma, lupinum
Divexare genus, noſtroque inhiare cruori?
Iungis amicitias cum noſtris hoſtibus: hinc, quod
Sis nobis inimica, probas, poenamque mereris.
Abfuerit vis dira canum, mox ira luporum
Deſinet, ac nunquam violanda pace quieſcet.
Crede mihi, Paſtor, pereant ſi pignora Lachnes,
Teſtis adeſt Iupiter! non incurſabimus agnos.
Nec video, cur tanta tibi ſit cura nefandae
Gentis, quam nigris aluit Medea venenis.
Tene latent malefacta canum? conſumere fruges,
Corporibus feſſis gratum turbare ſoporem,
Inſidias ſtruere, ac iras ſervare perennes,
Infeſtare homines, ipſosque laceſſere Divos;
Hic pravae ſtirpis labor eſt, haec unica virtus.
Actaeon periit, propriis data praeda Moloſſis,
Nec raro a canibus magna allatrata Diana eſt.
Tolle canes, genus hoc inviſum hominique lupoque,
Atque Diis ipſis: et pax aeterna ſtatuta eſt.

Grex

* Sole ſignum arietis ingreſſo, ver incipit.

Grex tibi tutus erit, terra veſcemur et herbis.
Quid ſtamus, longasque pigri conſumimus horas?
*Foedera *. firmemus, caeſa de more bidente.*
Haec Lupus. At Paſtor, telo ſubnixus aheno;
Excubiisque canum circumvallatus, et armis
Fidorum comitum protectus, talia reddit:
Novi ego fallaci mendacia tecta colore,
Occultosque dolos, pulchra ſub imagine pacis.
Gens vobis odioſa, canes, quod nuntiet hoſtes,
Quod tueatur oves, veſtrisque inſultibus obſtet.
Hinc vigilem turbam, tacitos quae detegit aſtus,
Dentesque infeſtos obiectis dentibus arcet,
Expulſam cupitis trans aequora, et ultima Thules:
Scilicet ut, fido longe cuſtode remoto,
Rictibus inſanis ſint victima certa bidentes.
Ohe! praeclaram pacem, quae atrocior ipſo
Bello, non cuſtoditum vacuabit ovile.
Res mihi clara magis ſolari luce pateſcit;
Si vigiles periere canes, ovibus pereundum eſt.

VERITAS FABVLAE.

Veſper adeſt: certum ruituri machina mundi
Vergit ad occaſum: nec enim tot ſaecula ſtabit,
Saecula quot ſteterat: veterum haec ſententia Patrum eſt.
Vtque peragrato feſſus dum Cynthius orbe
Heſperiis ſe condit aquis, tum tetra Luporum
Agmina concurſant, cupiuntque explere voracem
Ingluviem, inſontique necem meditantur ovili:
Sic, ubi deficiens mundus, propiorque ruinae
Quotidie, extremam celeratus tendit ad horam;
Prava cohors hominum, quam legum nulla ſacrarum
Contineat, ponatque modum crudelibus auſis,
Saevit atrox (Superi, procul hanc avertite peſtem!)
Saevit atrox, nulloque ſinens ſe limite claudi,
Aggreditur Divos, miſcetque ſacrata profanis.
Metiri ratione Fidem, planeque videre
Myſterium, Deus obſcura quod nube recondit,
Et ſepit tenebris: opus hoc eſt, hic labor illis.
Quod ſi non capiant: perfricta fronte negare,

Ver-

* Foedera olim caeſis victimis confirmabantur.

Vertere virtutem vitio, vitiumque coruſca
Pingere virtutis ſpecie: ſaeclisque probata
Dicta Patrum, inſano tentant explodere riſu.
Imponunt populo falſa ſub imagine veri,
Chriſtiadumque gregem deceptum mille per aſtus,
Mille per errores actum ſub Tartara mittunt.
Quid? ſi quis pravas illorum detegat artes,
Ac defendat oves, peſtem reprimatque nocentem:
Infrendent, Acheronta movent, certumque minantur
Exitium, atque minas patrato crimine complent,
Excubiasque gregis vigiles terraque marique
Oppugnant, cunctisque volunt expellere terris.
Viderat haec alta Romanus Praeſul ab arce,
Praeſul, cui dederat placidum CLEMENTIA nomen,
Et virtus diadema triplex: ſummaque potiri
Iuſſerat, ac totum late regnare per orbem.
Ille, ut perſpexit fraudes artesque nefandas,
Queis petimur pravorum hoſtes, fideique tenaces:
Ilicet infeſtis conatibus obvius ivit,
LOJOLAEque ſacras iam leges ante probatas
Pontificum edictis, iterumque iterumque probavit.
Interea dum Fama volans oracula ſummi
Paſtoris celebrat paſſim, terrasque per omnes,
Clariſono cornu veriſſima nuntia ſpargit:
Hunc Lechiae Patres, capita exornata tiaris,
Accepere ſonum, ſuperisque tuentibus aequa,
CLEMENTIS placitum concordi voce probarunt.
Hos inter TV PRAESVL eras, qui non modo ſacrum
Papae decretum, ſacrato in corde locaſti,
Aſt etiam Socios, quos tanquam immania monſtra,
Errorum artifices, ſtirpem cupidamque cruoris,
Et cunctis hominum genus exitiabile terris,
Exagitant alii, ſcripto factoque tueris.
Perge Tuas rebus noſtris impendere curas,
MAGNE PATER, tutorque ovium, terrorque Luporum,
Eccleſiae columen, ſaeclo memorande perenni
PASTOR perge, tuere Tuos, certumque teneto:
Si fidos tutere canes, tutaberis Agnos.

CLXXIV.

CLXXIV.

Maſoviticae Societatis Ieſu Provinciae primus Praepoſitus, *Carolus Korycius*, germanus *Michaëlis* frater, vir omnium callidiſſimus, et in expediendis explicandisque magnarum rerum conſiliis promptiſſimus, praeterea ſumme doctus, iuvandisque ſtudiis, et tuendae diſciplinae acriter intentus, inque omni vita ſua rectus, et providus, et navus, et induſtrius, ſtudioſorumque amantiſſimus, Provinciarum omnium Polonicarum, a latere Generalis Praepoſiti, Aſſiſtens eſt renunciatus. Proficiſcenti Romam, atque Varſaviam tranſeunti, paterno amore ei dilectus, *Naruſſewicius*, totius Collegii Nobilium nomine, debitam reverentiam, gratumque animum, elegis his declaravit:

Non mihi res, fateor, ſcribendis verſibus unquam
Apta magis vati, difficilisque fuit;
Quam celebrare tuas Hoſpes Gratiſſime laudes,
Quem nobis eadem datque rapitque dies.
Dum te conſpicio, plectrum citharamque repoſco,
Laetaque ſuaviloquum dextra fatigat ebur:
Dum repeto, quam ſit brevis haec, qua te, hora videmus,
Ipſa cadunt manibus plectra fidesque meis.
Nec mihi fas quidquam nunc eſt, niſi dicere: Salve,
Et moeſta pariter dicere voce: Vale.
Quidquid id eſt, cum te Superum vocet alta voluntas,
Et meritum, et meriti gloria fida comes;
Perge decus noſtrum! et felicibus utere fatis,
Nosque favens memori pectore ſemper habe.
Cumque per immenſam rurſus ſpatiaberis Vrbem,
Romuleae quondam nobile gentis opus;

Occurrentque oculis centum ſuſpenſa columnis
Marmora, et ingenti vaſta theatra ſitu;
Templorumque ſacrae moles, circique, viaeque,
Et varii iactus ludificantis aquae,
Quae, neque barbaricis manibus convulſa, nec atro
Temporis ignavi dente peroſa, manent:
Haec ubi luſtrabis, ſicut prius ante ſolebas,
Occurrat noſtrae triſtis imago domus.
Parva quidem eſt; aſt inde ſibi, ſi Fata iubebunt,
Eſt habitura Patres Curia, Bella Duces.
Iamque Senatorum coetus, Equitumque corona,
Ex illa meritos gaudet habere viros.
Interea hic turpi ſquallent loca turgida coeno,
Saeva paludoſum dum quatit unda ſolum.
Nulla regit ſparſos ars hinc atque inde penates,
Qui male compacta iam trabe paene cadunt:
Et modo per rimas gelidus furit Auſter hiantes,
Et modo nimboſus per tabulata ruit.
Credideris Satyros tectis habitare ſub iſtis,
Tantus in hac regnat ſquallor et umbra domo.
Haec animo volvens, tacitus ſecum ipſe loquare:
Illa etiam curis eſt reparanda meis.
Illa mihi a primis ſemper dilecta diebus,
Dum per me Muſis gloria priſca ſtetit.
Illa meis fabricanda fuit conatibus olim,
Tempora conanti ſi magis apta forent.
Et merito: ſua namque tibi primordia debet,
Alterius quamvis ſit ſtabilita manu.
Per te Relligio doctos eſt nacta Magiſtros,
Qui norunt, veteres quae docuere Patres.
Per te non loquitur, quae non intelligit ipſe
Verba Sophus, miſeros nec necat arte ſua.
Reddita maieſtas Cathedris, nec ut ante ſolebant,
Rumpuntur ſterili pulpita ſacra ſono.
Per te formari methodo meliore Iuventus
Coepit, et ad Latios ora movere ſonos:
Diſcere terrarum tractus caelique rotatus,
Hiſtoriam et patrii iura vicesque ſoli.
Vtque eadem ſtudiis tempus quod debet haberet,
Aptior hoc, nullus viſus adeſſe locus.
Otia amant Muſae: ſtrepitu diſtamus ab omni.
Si latitare volunt frondibus, hortus adeſt.

Pega-

Pegaſeos poſcunt latices: cui gratior unda eſt?
Maximus hac lympha pellit Apollo ſitim.
Aethera reſpirant purum: quid purius iſto,
Semper ubi molles parturit aura roſas?
Adde loco, ſtudiis quae ſit domus apta colendis:
Et locus ex omni parte beatus erit.
Fallor! an erecti ſurgunt ſuper aethera muri,
Tectaque perpetuo fulgurat aere domus?
Mille intus iuvenes, poſitis ex ordine cellis,
Virtuti incumbunt, artibus atque bonis.
Frigora non illis, gelidi non flamina venti,
Non imber, Syrii nec nocet aura canis.
Omnis porticibus ſpatioſis area circum,
A ſole et pluvio tempore, tuta manet.
In medio turris ſurſum protenditur, ex qua
Uraniae vigiles luſtrat in axe rotas,
Factorumque memor, Magni *inter maxima nomen*
Sidera KORTCKI laeta referre parat.
Non ego me fallo, ſterilique cupidine ludor:
Annuit ad noſtras CAROLVS ecce preces,
Et facienda brevi, vultu promittit amoeno.
Ver propera! optatum Vere reſurget opus.

CLXXV.

Samogitiae Caſtellanus, *Ioannes Chodkiewicius*, munificentia animi, officiorumque ſedulitate, copioſae ac potenti huiusce provinciae Nobilitati, maxime acceptus, ab eadem Praefectus generalis eſt electus, illiusque rogatione, a Sacra Regia Maieſtate confirmatus. Supremus Podoliae Gubernator, *Adamus Caſimirus* Dux *Czartoryscius*, propter maximas ſuas, clariſſimasque virtutes, toti Polonicae Genti cariſſimus, praetorianorum in Lituania militum generalem Praefe-

ɛturam obtinuit. Idem Princeps, excitatae modo Militaris Academiae regimen, a Rege accepit. Lituanorum Pincerna, *Michael Ronikierus*, meritorum praemium et fructum, Chweydanſcenſem Praefecturam impetravit.

CLXXVI.

Rex HEPHAESTIONEM ſuum, *Xaverium Branicium*, Regni Subdapiferum, Aquilae Albae inſigni donavit. Praefectum Lidenſem, *Ignatium Scipionem*, multis animi atque ingenii dotibus, bonisque artibus conſpicuum, Lituani Subdapiferi honore decoravit. Pinſcenſis Rutenici Epiſcopatus Coadiutorem, *Antoninum Mlodowscium*, doctiſſimum hominem, acerrimoque ingenio praeditum, et in dicendo exercitatum, et rebus maximis expediendis conficiendisque aptum, Metropolitae Roxolano, *Philippo Feliciano Wolodkiewicio*, in Vlodomiriae Epiſcopatu, adiutorem et ſucceſſorem dedit. Varmienſium Praepoſitus Cathedralis, *Carolus Cema a' Cemis*, natalium claritate, virtutumque ſplendore, Principi Epiſcopo plurimum commendatus, ab eo Suffraganeus aſſumptus eſt. Cathedralisque Vladiſlaviae Praepoſitus, *Cyprianus Wolicius*, nobilitate generis, gravitateque animi, et probitate, et prudentia inſignis, a magno ſuo Antiſtite, Suffraganei muneri in Pomerania deſtinatus.

CLXXVII.

CLXXVII.

Kioviae Epiſcopus, *Ioſephus Zaluſcius*, Regis gratia, Cathedralem ſuum Primicerium, *Ioſephum Kochanowſcium*, elegantiſſimum adoleſcentem, et modeſtiſſimum, inditi atque nobili Varſavienſis Eccleſiae Collegiatae Praepoſitura, adiutorem atque ſucceſſorem acceptavit. Cathedralem autem Canonicum, *Adamum Duninum Wanſowiscium*, vetuſto genere natum, eximiaque iuris ſcientia, prudentia, conſtantia, vitaeque et morum religione praeditum, Epiſcopalis ſuae Curiae generalem Auditorem conſtituit. Scholaſticus Cathedralis Kiovienſis, *Caietanus Rosciszewſcius*, vir graviſſimus integerrimusque, Cathedrali Luceoriae Cancellariatu auctus eſt. Archidiaconus, *Andreas Tokarscius*, formae auctoritate, magnitudine animi, conſilii gravitate, dicendique facultate, et copia, omnium praeſtantiſſimus, dura nobis, atque acerba morte interiit; cum optimi Praeſulis voluntate, ad cognoſcendas, in Poloniae minoris Tribunali, Eccleſiaſticas cauſas, Iudex concorditer electus eſſet.

CLXXVIII.

Regium Varſavienſe Societatis Ieſu Collegium, VETVSTISSIMAM DIVAE ME-

MORIAE STEPHANI BATHOREI EFFIGIEM, POLOCIA SIBI ALLATAM, SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRINCIPI, AC DOMINO, STANISLAO AVGVSTO, POLONIAE REGI ORTHODOXO, SAPIENTI, FELICI, PACIFICO, MAGNO LITVANIAE DVCI, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO, additis hiſce elegis obtulit:

Pacatumque reget patriis virtutibus orbem. VIRGIL.

Qualis in adverſos per tela minantia campos
Iverat, expertum qua dabat enſis iter;
Accipe Sarmaticum PRINCEPS AVGVSTE Gradivum,
Aeternumque mei pignus amoris habe.
Hic ille eſt STEPHANVS, pietate inſignis et armis,
Parrhaſii quondam terror amorque ſoli.
Cernis, ut in tenui tela licet, emicat ardor
Martius, et vigiles frons iacit alta minas!
Queis olim attonitae tremuerunt Pergama Dunae,
Et mage quam Scythico diriguere gelu.
Aſt Tibi mens parili quanquam virtute caleſcat,
Cordaque magnanimo digna Parente geras;
Mitior interea frontem natura creavit,
Vt qui in Te jaciat lumina, dicat: amo.
Gratia DIs: vultum pacati Fata ſequuntur
Principis, et Patriam munere pacis alunt.
Iamque Tuis noſcit Regum Placidiſſime curis,
Quam bene ſit, ſceptro pacis amante regi.
Anne etenim Muſas, an amicas urbibus artes
Excoleret, Getico bella ſonante Deo?
An priſcum caperent, ut nunc, ſua jura vigorem,
Si ſemper ſtricto jura ſub enſe ſilent?

An

An veheret merces tranquillis navita remis,
Ne vectae, metuens, diripiantur opes?
An bona corrupto rediiſſet forma metallo,
Bellorum nuper contemerata lue?
Ergo alii late regnent: Tu in pace guberna,
Et Tua ſint potius regna beata, ſtude.
Quid juvat ingentes ſceptro moderarier oras,
Sanguine ſi plebis venditur ulna ſoli?
Quid juvat ambitos meruiſſe ex hoſte triumphos,
Quos celebres hominum carnificina facit?
Quid juvat implicitos lauro portare capillos,
Et ſpecioſum alta fronte referre nefas?
Ecquis non doleat, manibus poſt terga ligatis,
More canum, tractos per fora longa Duces?
Quis matres natis, natosque parentibus orbos,
Conſciſſa, lacrymis, veſte, rigare ſinum?
Raptorisque ſui feſtivas ante curules,
Expreſſa in tabulis oppida capta vehi?
Parce precor, quamvis celebres, veneranda vetuſtas!
Laudibus Emathium mille per ora Ducem;
Non ego laudabo flentem, victore Philippo, *
Quod ſibi famae ſpes omnis adempta foret:
Non, quod deſpectis Europae finibus, iret
Vindice verſurus Perſidis arva manu.
Vnius interea dominandi ſaeva cupido
Vix non concuſſam cardine movit humum:
Vnius arbitrio gentes et regna ruebant:
Vnius eſt tellus crimine facta nocens.
Vtque ferox juvenis victoris nomen haberet,
Proh Superi! mundus debuit eſſe miſer.
Ite procul, duri miſeranda tropaea Gradivi,
Et Regno et populis exitiale decus!
Non lati fines, non longa potentia magnos
Efficiunt Reges: fama petenda alio eſt.

Magni

* *Alexander* Magnus, quoties praeclara aliqua pugna *Philippus* vicerat, laetantibus aliis, ipſe indoleſcebat, exceptaque vox eſt querentis inter aequales: Omnia, o pueri! genitor occupabit, ita ut ne vobiscum grande aliquod facinus oſtentare mihi ſit reliquum. PLVTARCHVS.

Magni nomen habet; qui non ſua bella recenſet,
Profuſa in Patriam ſed benefacta ſuam.
Magni nomen habet; quo certum eſt ſoſpite, cunctos
Adverſis populos poſſe carere malis.
Magni nomen habet; qui terris laetus avitis,
Plurima non, quam quae fas retinere, cupit.
Quem non lictorum ſtipant metuenda ſecuri
Agmina, ſed gentis fidus obarmat amor.
Quem Muſae comites cingunt: quem Copia, quem Pax,
Quem Pietas, fraudis neſcia, ſancta Fides.
Ille etiam victor potiori jure feretur,
Quem peregrinus amat non minus, atque ſuus.
Exiguam Creten Minos ditione tenebat: *
Nec Pylio centum regna fuere Seni. **
Non erat, ut nunc eſt, Latium ſub rege Sabino: ***
Parvaque Dulichio ſub duce terra fuit. †
Dum Macedo interea nomen raptoris habebit,
Hos dicent ſemper ſaecula grata, Patres.
Iſtorum exemplum Princeps Generoſe ſequare:
Pace Tibi populi gloria maior erit.
Iamque facis, jam plura Tuus bona computat Annus,
Quam ſi regnaſſes Martia luſtra decem.
Poſteritasque legens Tua facta fatebitur omnis:
Terram alii, dederat STANESILAVS opus.

* *Minos*, juſtiſſimus Princeps, atque optimarum legum in Creta conditor.

** *Neſtor*, Pyli Rex, conſiliis et eloquentia celebris.

*** Omnium tamen maximum *Numae* operum fuit, tutela, per omne regni tempus, haud minor pacis, quam regni. LIVIVS.

† *Vlyſſes*, prudentia clarus.

